

**ACCURATA
TOTIUS
PHILOSOPHIAE
INSTITUTIO
JUXTA...**



12

24 C


13


Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

48. 5. 31.


48
c
31.

15-17 d, 23 3-






ARS
DISSERENDI
SEV
LOGICA



IN TOMOS DVOS DIVISA.

*Authore P. IAC. CHANNEVELLE,
Abrincensi, Societatis IESV.*

TOMVS II.



PARISIIS,
A pud EDMUNDVM MARTINVM, viâ
Iacobæâ, sub Sole-aureo.

M. DC. LXVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

DISSEMINATED

REV

TOGIC

IN TOMORROW'S WORLD

Author: J. L. ...

TOMORROW



PARIS 1875

THE ...

INDEX.

PARS QUARTA.

Ad librum *dei tñs epunvètas.* De interpreta-
 tione. pag. 1

DISPUTATIO PRIMA.

De signo, & voce. pag. 3

ART. I. De signo. ibid.	§. 2. An voces significant
I. §. 1. Quid sit	ex natura rei, an ex
signum. P. 4	instituto. P. 22
§. 2. Solvuntur quæstio-	§. 3. Quomodo voces si-
nes proposita. P. 5	gnificant conceptus, &
§. 3. Partitio signi. P. 9	res. P. 29
§. 4. Quanam potentia	§. 4. Diluuntur objecta.
signis utantur. P. 16	pag. 33
§. 5. Cur homo signis con-	§. 5. Quomodo scriptura
ceptuum utatur. P. 17	voces, & res significet.
ART. II. De voce. P. 18	pag. 37
§. 1. Quid sit vox. ibid.	

DISP. II. De prima mentis operatione. p. 40

ART. I. De prima mentis	ejus partitione. P. 44
operatione absolute, &	§. 3. Divisio prima mentis
secundum se spectatâ.	operationis. P. 49
pag. 41	§. 4. De methodo. P. 52
§. 1. Quotuplex sit men-	§. 5. Reliquæ divisiones
tis operatio. ibid.	apprehensionis. P. 58
§. 2. De apprehensione se-	§. 6. Quædam observan-
cundum se spectata, &	da. P. 62

I N D E X.

§. 7. *An veritas, & falsitas sint in apprehensione.* p. 65 spectatâ ad secundam. pag. 78

§. 8. *Diluuntur objecta.* pag. 68 §. 1. *Quid sit terminus.* pag. 79

ART. II. *De prima mentis operatione, seu apprehensione relativè* §. 2. *Partitio termini secundum se.* p. 82
§. 3. *De nomine.* p. 83
§. 4. *De verbo.* p. 85

APPENDIX ad §. IV. *An verbum substantivum in omni propositione significet existentiam: seu, an dentur propositiones semperverne veritatis.* pag. 88

§. 1. *Quaedam observanda ad questionis intelligentiam.* rudimentum tertia. p. 110
ibid. §. 1. *De divisione.* p. 111

§. 2. *Solvitur questio.* p. 89 §. 2. *De definitione.* p. 114

§. 3. *Diluuntur objecta.* pag. 95 ART. VLT. *De variis affectionibus terminorum.* p. 119

§. 4. *Partitio termini ratione modi.* p. 104 §. 1. *De suppositione.* ibid.
§. 2. *Examen suppositionis, & principia.* p. 123

§. 5. *Divisio termini ex parte quantitatis.* p. 106 §. 3. *De aliis affectionibus terminorum.* p. 125

§. 6. *Partitio termini cum altero comparati.* pag. 109 §. 4. *Usus suppositionis, & aliarum terminum affectionum, ad fugiendas fallacias.* p. 127

ART. III. *De prima mentis operatione, ut est*

I N D E X.

~~~~~

P A R S Q V I N T A.

De secunda mentis operatione. pag. 131

D I S P U T A T I O P R I M A.

De natura, & divisione secunda mentis operationis. pag. 132

- ART. I. **D**E natura judicii. ibid. p. 152
- §. 1. *Causa materialis, & formalis judicii.* ib.
- §. 2. *Diluuntur objecta.* pag. 139
- §. 3. *De causa efficiente, & finali formalis judicii.* p. 144
- §. 4. *De secunda mentis operatione, ut est in voce: seu de enuntiatione.* p. 147
- §. 5. *Varia nomina secunda operationis.* p. 150
- ART. II. *Divisio enuntiationis.* p. 151
- §. 1. *Divisio enuntiationis ex parte materiae remote.* p. 152
- §. 2. *Divisio enuntiationis ex parte materiae proxima.* p. 156
- §. 3. *De enuntiatione modali primariâ.* p. 159
- §. 4. *De enuntiatione modali secundariâ.* p. 162
- §. 5. *Divisio enuntiationis ex parte formae.* p. 166
- §. 6. *Divisio enuntiationis ex parte quantitatis.* p. 169
- §. 7. *Divisio enuntiationis ex parte qualitatis.* pag. 172

D I S P U T . II. *De proprietatibus judicii, seu enuntiationis.* pag. 172

- ART. I. *De veritate, & falsitate enuntiationis.* pag. 173
- §. 1. *Quid sit veritas, &*

# I N D E X.

- falsitas iudicii, & enuntiationis, & quomodo ipsi conveniat.* ibid.
- §. 2. *Diluuntur objecta.* pag. 178
- §. 3. *De regula veritatis.* pag. 184
- §. 4. *Solvuntur varia quaestiones.* P. 187
- §. 5. *An propositio possit de vera mutari in falsam, & vicissim.* p. 191
- §. 6. *Diluuntur objecta.* pag. 195
- ART. II. *An propositiones de futuro contingenti sint determinate verae, vel false.*** P. 200
- §. 1. *Quaedam observanda ad intelligentiam quaestionis.* ibid.
- §. 2. *Solvitur quaestio.* p. 205
- §. 3. *Principia concilianda libertatis cum praescientia Dei.* p. 212
- §. 4. *Diluuntur objecta.* pag. 217
- ART. VLT. *De proprietatibus enuntiationum inter se collatarum.*** P. 232
- §. 1. *De oppositione enuntiationum absolutarum.* ibid.
- §. 2. *Regula in oppositis servanda.* P. 237
- §. 3. *De equipollentia enuntiationum absolutarum.* P. 239
- §. 4. *De conversione enuntiationum absolutarum.* P. 245

**A P P E N D I X.** *De oppositione, equipollentia, & conversione enuntiationum modalium.* pag. 249



I N D E X.



P A R S S E X T A.

De tertia mentis operatione. pag. 259

DISPUTATIO PRIMA.

Ad libros priorum Analyticorum. De recta  
argumentandi formâ, seu discursu. p. 258

ART. **D**E argumen-  
tatione, seu  
illatione. p. 261

§. 1. Quid sit argumen-  
tatio, seu illatio. ibid.

§. 2. Quid sit syllogismus  
in genere, & quotu-  
plex. p. 264

§. 3. De materia simplicis  
syllogismi. p. 266

§. 4. De forma syllogismi.  
pag. 269

§. 5. De forma proxima,  
seu de modis figura-  
rum. p. 272

§. 6. Principia forma syl-  
logismorum regulativa.

§. 7. Regula, & affectio-  
nes communes omnibus  
figuris. p. 282

§. 8. Regula, & affectio-  
nes cujusq; figura pro-  
pria. p. 284

§. 9. Principia syllogis-

morum perfectiva. p.  
289

§. 10. Deductio ad impos-  
sibile, seu reductio in-  
directa. p. 292

§. 11. Expositio, seu syllo-  
gismus expositivus. ib.

ART. II. De syllogismo  
composito. p. 298

§. 1. Quid sit, & quotu-  
plex syllogismus compo-  
situs. ibid.

§. 2. De syllogismo condi-  
tionali, & causali.

§. 3. De syllogismo con-  
junctivo, & disjuncti-  
vo. p. 301

ART. III. De imperfectis  
argumentationum spe-  
ciebus. p. 306

§. 1. Enthymema, indu-  
ctio, & exemplum. p.  
307

§. 2. De dilemmate, &  
sorite. p. 313

DISPUT. II. *Quaestiones subtiliores de natura argumentationis.* pag. 316

ART. I. *Natura argumentationis examinatur.* ibid. explicatur. p. 313

§. 1. *An plures cognitiones, & quidem cum*

*dependentia, & successione in discursu formali requirantur.* p. 335

*ad conclusionem.* p. 335

§. 2. *An ad conclusionem eliciendam requiratur*

*judicium de bonitate consequentia.* p. 324

§. 3. *An assensus conclusionis includat assensum antecedentis.* p. 327

§. 4. *Diluuntur objecta.* pag. 343

§. 5. *An conclusio sequatur debiliorem partem.*

348

§. 6. *Diluuntur objecta.*

pag. 351

§. 7. *De potestatibus, seu de affectionibus syllogismi.* p. 358

ART. II. *De syllogismo.*

pag. 332

§. 1. *Natura syllogismi*

*Ad libros posteriorum Analyticorum.* p. 363

DISPUT. I. *De syllogismo demonstrativo, seu demonstratione secundum se.* pag. 365

ART. I. *De materia remota demonstrationis, seu de praecognitis.* ibid.

ART. II. *De materia proxima demonstrationis.* pag. 373

§. 1. *An praemissa demonstrationis debeant esse vera.* ibid.

§. 2. *De praecognitis.* p. 368

## INDEX.

- §. 2. *An præmissa demonstrationis debeant esse immediata.* p. 379
- §. 3. *An præmissa demonstrationis debeant esse necessaria.* p. 382
- §. 4. *Quomodo præmissa sint causa conclusionis.* pag. 389
- §. 5. *Quomodo præmissa debeant esse notiores, & priores conclusione.* pag. 395
- ART. III. *De speciebus demonstrationis.* p. 397
- §. 1. *Divisio demonstrationis, quæ est syllogismus, seu ratione generis.* ibid.
- §. 2. *Divisio demonstrationis, ut est scientifica, seu ratione differentia.* p. 400
- §. 3. *De demonstratione à priori, & à posteriori absolutè spectatis.* p. 402
- §. 4. *De demonstratione à priori, & à posteriori relative spectatis.* p. 405
- §. 5. *Inventio medii, seu methodus demonstrationis.* p. 411
- §. 6. *De circulo demonstrationis.* p. 416
- DISPUT. II. De effectu demonstrationis, seu de scientia.** pag. 420
- ART. I. *De scientia in communi.* p. 421
- §. 1. *An detur scientia actualis.* ibid.
- §. 2. *Diluuntur objecta.* pag. 428
- §. 3. *An scientia sit remissiva.* p. 435
- §. 4. *Quid sit scientia, seu de causa formali scientia.* p. 438
- §. 5. *De causa materiali scientia.* p. 440
- §. 6. *De causa efficiente scientia.* p. 446
- §. 7. *De causa finali scientia.* p. 453
- §. VLT. *Dubia de natura scientia solvuntur.* pag. 454
- ART. II. *De proprietatibus scientia.* p. 458
- §. 1. *De evidentia scientia.* ibid.
- §. 2. *De certitudine.* p. 462

I N D E X.

*Ad libros Topicorum DISPUT. VNICA.*  
*De locis Topicis.* pag. 466

- ART. I. De locis intrinsecis. p. 469
- §. 1. De natura syllogismi Topici. p. 470
- §. 2. Locus à definitione. pag. 475
- §. 3. Loci à descriptione, & nominis interpretatione. p. 477
- §. 4. De locis à toto; & parte. p. 479
- §. 5. De locis à causis, & effectis. p. 486
- §. 6. Locus à causa materiali. p. 488
- §. 7. Locus à causa formali. p. 490
- §. 8. Locus à causa efficiente. p. 491
- §. 9. Locus à causa finali. p. 493
- §. 10. Loci à generatione, corruptione, & vusu. p. 494
- §. 11. Locus à communiter accidentibus. p. 496
- ART. II. De locis extrinsecis. p. 497
- §. 1. Loci ab oppositis. p. 498
- §. 2. Locus à comparatis. pag. 501
- §. 3. Locus ab authoritate. p. 505
- ART. III. De locis mediis. p. 507
- §. 1. Locus à conjugatis. ibid.
- §. 2. Locus à casu. p. 509
- §. 3. Locus à divisione. p. 510
- §. 4. De aliis locis ab Aristotele allatis. p. 511
- ART. IV. De aliis dialectici officii, seu de methodo disputandi. p. 512
- §. 1. Natura disputationis explicatur. p. 513
- §. 2. De officiis argumentanti, & respondentis communibus. p. 515
- §. 3. De officiis argumentantis. p. 516
- §. 4. De officiis respondentis. p. 521
- ART. VLT. De effectu syllogismi Topici. p. 528
- §. 1. Quid sit opinio. p. 529


# I N D E X.

- §. 2. Quid sit fides. P. 533  
 §. 3. An actus opinionis,  
aut fidei, cum actu  
scientia stare possit. P. 536  
 §. 4. Diluuntur objecta.  
 pag. 544

## Ad libros Elenchorum DISPUT. VNICA. De Sophistarum fallaciis. pag. 558

- ART. I. De natura So-  
phistica, & ejus fine.  
 pag. 559  
 §. 1. Quid sit Sophisti-  
ca, & syllogismus so-  
phisticus. P. 561  
 §. 2. Fines, seu meta So-  
phista. P. 562  
ART. II. De locis so-  
phisticis. P. 564  
 §. 1. Fallaciarum in di-  
ctione explicatio, & so-  
lutio. P. 565  
 §. 2. Fallacia extra di-  
ctionem solvuntur, &  
explicantur. P. 570

| Pag. | Lin. | Errata.         | Lege              |
|------|------|-----------------|-------------------|
| 106  | 5    | §. VI.          | §. v.             |
| 109  | 9    | §. VII.         | §. VI.            |
| 193  | 5    | duobus          | tribus            |
| 215  | 15   | determinationis | indeterminationis |



1847  
The following is a list of the  
names of the persons who  
were present at the  
meeting of the  
Board of Directors  
of the  
Company  
held on the  
10th day of  
January  
1847  
at the  
City of  
New York

---

| Name                | Address           |
|---------------------|-------------------|
| John A. Smith       | 123 Broadway      |
| James B. Jones      | 456 Wall Street   |
| William C. Brown    | 789 Nassau Street |
| Thomas D. White     | 1010 Broadway     |
| Richard E. Black    | 1212 Broadway     |
| Henry F. Green      | 1414 Broadway     |
| George H. Gray      | 1616 Broadway     |
| Charles I. White    | 1818 Broadway     |
| Frederick J. Black  | 2020 Broadway     |
| Edward K. Green     | 2222 Broadway     |
| John L. White       | 2424 Broadway     |
| William M. Black    | 2626 Broadway     |
| Thomas N. Green     | 2828 Broadway     |
| Richard O. White    | 3030 Broadway     |
| Henry P. Black      | 3232 Broadway     |
| George Q. Green     | 3434 Broadway     |
| Charles R. White    | 3636 Broadway     |
| Frederick S. Black  | 3838 Broadway     |
| Edward T. Green     | 4040 Broadway     |
| John U. White       | 4242 Broadway     |
| William V. Black    | 4444 Broadway     |
| Thomas W. Green     | 4646 Broadway     |
| Richard X. White    | 4848 Broadway     |
| Henry Y. Black      | 5050 Broadway     |
| George Z. Green     | 5252 Broadway     |
| Charles AA. White   | 5454 Broadway     |
| Frederick BB. Black | 5656 Broadway     |
| Edward CC. Green    | 5858 Broadway     |
| John DD. White      | 6060 Broadway     |
| William EE. Black   | 6262 Broadway     |
| Thomas FF. Green    | 6464 Broadway     |
| Richard GG. White   | 6666 Broadway     |
| Henry HH. Black     | 6868 Broadway     |
| George II. Green    | 7070 Broadway     |
| Charles JJ. White   | 7272 Broadway     |
| Frederick KK. Black | 7474 Broadway     |
| Edward LL. Green    | 7676 Broadway     |
| John MM. White      | 7878 Broadway     |
| William NN. Black   | 8080 Broadway     |
| Thomas OO. Green    | 8282 Broadway     |
| Richard PP. White   | 8484 Broadway     |
| Henry QQ. Black     | 8686 Broadway     |
| George RR. Green    | 8888 Broadway     |
| Charles SS. White   | 9090 Broadway     |
| Frederick TT. Black | 9292 Broadway     |
| Edward UU. Green    | 9494 Broadway     |
| John VV. White      | 9696 Broadway     |
| William WW. Black   | 9898 Broadway     |
| Thomas XX. Green    | 10000 Broadway    |





# PARS QUARTA LOGICÆ

AD LIBRUM

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ,  
*DE INTERPRETATIONE.*



ACTENVS accuratârum Vniuersalium, tum Categoriarum tractatione ad directionem trium mentis operationum prolusimus. Nunc cuiusque operationis naturam, species, affectionesque varias, regulas demum, quibus probè constitui ac dirigiqueant, persequimur. Nonnulla quidem perstrinximus de prima mentis operatione parte 3. sed fusiozem illius explicationem in hunc locum rejecimus, Aristotelem sequuti, qui de nomine, & verbo egit lib. de Interpret. tanquam partibus propositionis, antequam de propositione ageret.

Hunc librum Aristoteli tribuunt omnes ferè Interpretes, si vnum Andronicum excipis, quòd

stylus, & doctrina cum reliquis operibus consentiant: inscripsit de interpretatione, & tractatui categoriarum postposuit, præmisitque reliquis, quia apprehensio, quæ per categorias dirigitur, prior est secundæ mentis operatione, de qua hoc libro agi potissimum putat D. Thomas, vocem enim ἐπιμνηστικὴν, non quamcunque operationem mentis, sed eam, quæ verum, aut falsum significat, hoc est enunciationem, quæ est mentis interpretis, & quasi index, significare censet.

Finis itaque præcipuus hujus partis, quam Græci interpretes vno libro complectuntur, Latini verò duobus, est directio secundæ mentis operationis, sicut finis libri categoriarum est directio primæ.

Secundæ mentis operatio in judicio consistit, quod de rebus, & actionibus formamus. Iudicium propositione vocali, seu enunciatione tanquam signo sensibili exprimitur. Propositio nomine, & verbo constat; itaque prius de nomine, & verbo agendum, quàm de propositione; ordo enim naturæ postulat, ut prius de partibus, quàm de toto tractetur: cognitio siquidem partibus, totum facilius innotescit, quia *totum in partibus suis est*, ex 4. Physic.

Rursus, nomen, & verbum signa sunt conceptuum, sicut conceptus sunt signa rerum: itaque ut natura nominis, & verbi planius constet, iuvat primò de signi natura, variisque illius speciebus differere. Deinde de vocibus, postremò de apprehensione, & terminis: quare hæc pars Logicæ constabit duabus disputationibus. Prima erit de signo, & voce. Secunda, de primæ mentis operatione, & ut mente concipitur, & ut voce exprimitur,

## DISPUTATIO PRIMA.

*De signo, & voce.*

**S**IGNUM, & vocem hacce primâ disputatione includimus propter affinitatem. Ut enim rerum signa sunt conceptus nostri, ita nostrorum conceptuum signa sunt voces, & quandiu animus corpore continetur, non potest conceptus suos aliis communicare, nisi vocibus quasi internuntiis, & interpretibus; hinc D. Damascenus lib. i. fidei, c. 17. vocem nuncupat *angelum intelligentiæ*, id est, conceptuum internuntiam. Plotinus de virt. cap. 3. *animi interpretem*. Aristoteles de interpr. cap. 1. τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολον, *affectionum animi notam*; ideoque duplex verbum distinguit, internum alterum, quod est conceptus mentis, externum alterum, quod est vox.

## ARTICVLVS I.

*De signo.*

**Q**UATVOR hîc de signo examinanda. Primum, quid sit. Secundum, variæ quæstiones de natura illius solvendæ. Tertium, quotuplex sit. Quartum, cur homo signis conceptuum utatur.

§. I. *Quid sit signum.*

**I. ASSE-** **SIGNVM** rectè definitur, id quod  
**TIO.** **S**potentiæ cognoscenti aliquid à se  
 diversum repræsentat. Dicitur 1. repræsentare, id  
 est præsens facere objectum potentiæ cognoscen-  
 ti, & quasi coram sistere; sed quia res potest fie-  
 ri præsens duobus modis, vel per se ipsam, &  
 entitativè, vel per vicariam sui imaginem, & ob-  
 jectivè: v.g. Paulus potest mihi esse præsens duo-  
 bus modis, vel si ipse præsens adsit, & à me co-  
 ram cernatur, & ita dicitur præsens esse entita-  
 tivè: vel si ejus imago depicta à me videatur, &  
 ita dicitur præsens objectivè; signum repræsentat  
 objectivè, non entitativè. 2. potentiæ cognoscenti,  
 id est sensui tum interno, tum externo, &  
 menti. 3. aliquid à se diversum, si non realiter, at  
 saltem virtualiter; hinc significare, est potentiæ  
 cognoscenti aliquid à se diversum repræsentare,  
 & vis significandi est vis repræsentandi potentiæ  
 cognoscenti aliquid à se diversum. Denique si-  
 gnum substituitur loco rei, cujus notitiam inge-  
 nerat, adeoque est illius vicarium; sic gubernator  
 à rege, qui simul, & semel non potest omnibus  
 regni partibus adesse, substituitur quasi vicarius,  
 ipsius, ut eum repræsentet.

Tria itaque ad naturam signi concurrunt, vis  
 repræsentandi, objectum, & potentia: unde mul-  
 tiplex quæstio nascitur. Circa vim significandi du-  
 plex; prima, quæ causa illius efficiens; secunda,  
 an consistat formaliter in relatione. Circa poten-  
 tiam, unica, quænam potentiæ signis uti possint.  
 Circa objectum, una quoque, an signum repræsen-

ret aliquid à se diversum. Denique circa potentiam, & objectum, an signum coalescat ex duplici respectu ad utrumque, an ex vnico ad objectum.

§. II. *Solvuntur quaestiones propositae.*

I. **ASSERTIO.** **C**AUSA efficiens signi, vt signum  
**TIO.** Cest, seu vis significandi duplex, natura, & voluntas libera. Probat, vis significandi oritur ex connexionione signi cum re significata: omnis connexio signi cum re significata oritur à natura, vel à libera voluntate: ergo vis significandi oritur à natura, vel libera voluntate. Probat minor, omnis connexio signi cum re significata vel est necessaria, vel arbitraria. Si primum, est à natura, diciturque naturalis, vt patet exemplo fumi, respectu ignis: si secundum, est à voluntate liberè instituyente, & dicitur artificialis; vt patet in hedera pensili, respectu vini vendibilis: ergo &c. hinc fundamentum proximum potestatis significandi est connexio, quâ fit, vt vna re cognitâ, cognoscatur, & altera.

II. **ASSERTIO:** Signum ex natura sua includit relationem, seu habitudinem ad objectum, & potentiam. Ita Conimbricenses, q. 1. de signis, a. 1. & Suares Lusit. disp. 1. de signis, sect. 1. §. 1. Probat, tum quia vtraque habitudo in ipsa definitione ex æquo exprimitur: tum quia habitudo ad potentiam variat speciem signi, distinguitque signum formale ab instrumentali: v. g. conceptus Solis, vt est in mente Mathematici, est signum formale: vt percipitur ab angelo, manente eadem repræsentatione, est instrumentale; hinc si-

gnum probabilius est compositum per accidens ex duplici respectu, altero ad rem, altero ad potentiam, ut observant Conimbricenses.

Objicies : Species per aërem diffusæ, & fumus à nemine visus, sunt signa, & quidem actualia; at nullam dicunt habitudinem ad potentiam : ergo aliquod signum non dicit habitudinem actualem ad potentiam.

Resp. dist. minorem : Non dicunt habitudinem actualem ad potentiam in actu exercito, concedo, quia non actu ipsam exercent : in actu signato, nego ; signant enim potentiam actu, quam respiciunt.

III. A S S E R T I O. Ratio formalis signi posita est in aptitudine, seu connexione fundante relationes, quæ inde resultant, non in ipsis relationibus : ita Conimbricenses. Probat, in eo ratio signi formalis constitui debet, quod deducit potentiam in cognitionem rei significatæ : at connectio, seu proportio fundamentalis, unde exurgit relatio, deducit nos in cognitionem rei significatæ, non ipsa relatio : sic dependentia naturalis fumi ab igne me deducit in cognitionem ignis : electio judicis notitiam jurisdictionis illius mihi ingenerat : species visibilis, quæ est signum formale respectu oculi, ipsi semel impressa, suâ proportionem, præcisâ quacunque relatione, objectum detegit. Denique verba, quæ ad placitum significant, rectè intelliguntur constitui formaliter in ratione signi per denominationem extrinsecam à voluntate instituentis petitam, quæ habitualiter tandiu censetur perseverare, quandiu non immutatur. Nec refert, quòd voluntas instituentis non sit nobis cognita in se clarè, & distinctè, sed sa-

ris est ab aliquo accepisse, quid illa verba significent, quia sic implicite, & virtualiter intelligimus eorum significationem esse denominationem ab aliqua priori institutione ortam.

Porro fundamentum remotum relationis realis in signo formali est ipsa repræsentatio, quia essentia signi formalis est repræsentare: in instrumentali est natura producta à causa, si sit effectus, aut virtus causæ effectrix, si sit causa; hinc

Colligès aptitudinem ad repræsentandum esse tantum de ratione signi, non actualem repræsentationem, tum quia res defini solent per aptitudinem, tum quia signum formaliter constituitur per fundamentum relationum ad rem, & potentiam.

I V. A S S E R T I O. Relatio signi ad rem significatam in signis arbitrariis est rationis: in signis naturalibus potest esse realis ad potentiam: in signis formalibus est realis: in instrumentalibus rationis tantum. Probatur prima pars, quia relatio hederæ v. g. pendet ab hominum impositione; impositio autem pendet ab intellectu, itaque & relatio. Probatur secunda, quia in naturalibus fundamentum est reale; in formalibus enim est ipsa repræsentatio specierum, & conceptuum: in instrumentalibus naturalis proportio signi cum re significata. Probatur tertia, nam signa formalia influunt in cognitionem potentia, eique inhaerent tanquam formæ. Probatur quarta: relatio signorum instrumentalium ad potentiam, fundatur in eorum intelligibilitate; ideò enim in cognitionem ducunt, quia percipiuntur.

V. A S S E R T I O. Signum repræsentat semper aliquid à se diversum realiter, aut saltem virtua-

liter. Probatur, quia signum est medium inter rem, & potentiam: at medium aliquatenus diversum est ab extremis. Deinde signum est nota: at nihil est nota sui. 3. signum ad id institutum est, ut quod est per se absens à potentia cognoscente, fiat præsens per aliquid ipsius vicarium. Denique signum instrumentale idèd tale dicitur, quia priùs attingi debet à cognitione, ut notitiam rei imprimat, sicut instrumenta priùs moveri debent, ut operentur. Formale est imago, & similitudo rei significatæ; imago autem distinguitur à re repræsentata, & ubi est similitudo, ibi est aliqua distinctio: in hoc enim distinguitur similitudo ab identitate, quòd sit inter diversa.

Dixi realiter, aut virtualiter, quia eadem res potest habere diversos respectus, modòsque se habendi; & ita sub vno modo considerata, diversa esse à se sub alio modo considerata, adeòque non est signum sui secundùm idem: ita signum potest esse medium significati, à quo virtualiter tantùm distinguitur: v. g. cum aternitas assumitur tanquam medium ad probandam immutabilitatem, & pannus pro foribus mercatoris expositus est signum instrumentale sui, ut est vendibilis: conceptus repræsens conceptum in communi, est repræsens illius, à quo virtualiter distinguitur.

Objicies 1. Definitio est signum definiti, cum quo coincidit. 2. panis expositus pro foribus, si vnicus sit in officina pistoris, seipsum repræsens. 3. Christus in Eucharistia sui signum est. Denique conceptus formatus de conceptu in communi, se ipsum repræsens, quatenus sub conceptu communi continetur.



Ad 1. *distinguo* : definitio coincidit cum definito in re , concedo : in modo exprimendi , nego ; nam definitio clariùs exprimit , quod confusè dicit definitum ; & ita est quid diversum ab eo. Ad 2. *expositio panis* significat venditionem , seu panis expositus panem vendibilem , quæ duo sunt diversa. Ad 3. *Christus in Eucharistia* se ipsum repræsentat , vt patientem in cruce. Ad 4. *conceptus in exemplo allato* , se ipsum confusè tantùm , & secundariò significat , expressè autem , & immediatè conceptum in communi.

### S. III. *Partitio signi.*

**P**RIMA ex parte originis , est in naturale , & artificiale. Ratio partitionis est , quia omne signum habet connexionem cum re significata , vel ex natura sua , vel ex hominum instituto ; si primum , naturale est ; si secundum , artificiale. Naturale est , quod habet vim significandi à natura , adeoque idem significat apud omnes ; quæ enim naturalia sunt , iis omnibus , qui eadem naturâ gaudent , sunt communia : ita gemitus est signum naturale doloris , risus gaudii. Artificiale , quod habet vim significandi , vel ex Dei , vel ex hominum institutione ; vnde dicitur signum ad placitum , ad arbitrium , & morale , à D. Augustino signum datum : sic arcus cælestis est signum fœderis Deum inter , & homines initi : hederæ pro foribus appensa , est signum artificiale vini vendibilis.

Objicies : Hæc divisio non est perfecta , i. quia non fit in membra opposita ; omne enim signum est artificiale , quia omne signum est ens creatum ;

omne autem ens creatum pendet à voluntate Dei,  
 2. nullum videtur esse signum artificiale ; si quod  
 enim esset , maximè vox humana : vox humana  
 non significat ex instituto ; deberet enim aliquid  
 accipere , vi cujus significaret : at nihil accipit.  
 3. hæc divisio non est adæquata ; nam canis he-  
 rum præcedens , significat eum venientem , & co-  
 mitatus regius regem , nec tamen ad vllum signum  
 revocari possunt.

Ad 1. dist. hanc propositionem : omne ens crea-  
 tum pendet à voluntate Dei , vt existat , con-  
 cedo : vt habeat vim significandi , ex hypothesi quòd  
 existat , nego. Fumus itaque pendet quidem à  
 Deo vt existat , vel non existat : at semel productus  
 à Deo , habet ex essentia sua , vt ignem repræsen-  
 tet , adeoque independenter à Deo , quia existen-  
 tia est prædicatum contingens ; essentia verò æ-  
 terna , nec à re , cujus est essentia , sejungi potest ,  
 quare nec ipsa pendet à Deo , nec vis significan-  
 di ex ea promanans. Idem dixeris de idea artificis,  
 quæ ab eo pendet quidem vt existat , non autem  
 quoad vim repræsentandi , cùm sit essentialiter  
 repræsentatio sui objecti. Ad 2. distingo , vox hu-  
 mana nihil accipit physicum à voluntate homi-  
 num , vt significet , concedo : nihil morale , nego.  
 Ad 3. & 4. canis præcedens herum reducitur ad  
 signum naturale , quia id agit ex instinctu , &  
 gratitudine in herum , cui subest : sicut comitatus  
 regius ad signum ex instituto , vtpote interpreta-  
 tivè constitutus ad significandam regiam maje-  
 statem.

Secunda ex parte quantitatis ipsius connexio-  
 nis , fit in suppositivum seu symbolum , & mani-  
 festativum tantum. Suppositivum est , quòd ita

rem repræsentat, vt pro ea supponatur: sic animal significat vivens, & sentiens, pro quo inter loquendum sufficitur, legatus Principem. Manifestativum tantùm illud est, quod ita rem repræsentat, vt pro ea non supponatur, vt hedera, quæ vinum vendibile significat, pro quo tamen non supponitur.

Tertia ex parte qualitatis, seu modi significandi, est in formale, & instrumentale: formale est, quod non cognitum, alterius cognitionem ingenerat: talis est conceptus, quem de Petro habeo: tales species intentionales, quæ ab objectis ad sensus affluunt, eosque in cognitionem objectorum ducunt, licet ipsæ non cognoscantur. Porrò dicitur signum formale, quia informat potentiam in ratione principii, vt species; vel in ratione termini, vt conceptus, aut cerrè quia est forma rei repræsentatæ, & quædam imago, vel formalis, vel virtualis. Et verò species id habent ex natura sua, vt objecti vicem gerant, & objectum longius distitum cum potentia jungant, ipsæque Aristoteles conceptus inter signa enumerat. Instrumentale est, quod priùs cognitum, ducit nos in cognitionem alterius. Definitur à D. Augustino, lib. 2. de doctrina Christiana, c. 1. *Signum est res, præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se faciens in cognitionem venire: sicut vestigio viso, transisse animal, cuius vestigium est, cogitamus.* Dicitur instrumentale, quia vt artifex utitur instrumento ad opus suum, sic potentia cognoscens eiusmodi signo ad rerum perceptionem.

Probatum partitio, quia id, quo mediante aliud cognoscimus, vel priùs à nobis cognosci debet, vel non; si priùs cognosci debet, est signum in-

strumentale ; sin minus , formale. Itaque inter se differunt , & conveniunt signum instrumentale , & formale ; differunt quidem , quia instrumentale debet cognosci , non formale ; conveniunt autem , quòd ambo alterius rei notitiam ingenerent.

Objicies 1. Habitus , & actiones , quibus conceptus producuntur , non sunt signa formalia , licèt concurrant ad cognitionem : ergo nec species. 2. multa sunt signa simul formalia , & instrumentalia ; nam conceptus solis est signum formale respectu astrologi , cui solem repræsèntat ; Angelo autem , à quo cognoscitur , instrumentale.

Respondeo ad 1. nego consequentiam : dispar ratio est , quia habitus , & actiones , quibus producuntur conceptus , non se tenent ex parte objecti , secus autem species , quæ loco objecti sufficiuntur , ne iis quidem exceptis , quas Deus Angelis infundit , & quæ licèt ab objectis physicè non dimanent , tamen ipsorum sunt vicariæ , & virtualiter repræsèntativæ. Ad 2. respondeo , sub diverso respectu idem posse habere rationem signi formalis , & instrumentalis naturalis , & artificialis , quia in vno est proportio innata rei , in altero institutio omninò extrinseca. Deinde habitudo ad potentiam ingreditur rationem formalem signi , at hæc omninò diversa est , cum conceptus concurrat formaliter , simul & objectivè , licèt respectus ad solem in utroque modo significandi unicus sit , vt observant Conimbricenses : at

Quæres : an cum idem est signum naturale , & artificiale , duas habeat relationes ad objectum , & duas ad potentiam.

Respondeo 1. duas esse ad rem significatam , quia

diversum est fundamentum, nempe connexio necessaria, & innata proportio in signo naturali, v.g. in iride respectu pluvie impendentis, & institutio in eodem signo, ut arbitrarium est, puta in iride, ut fœdus initum significat; diversus quoque terminus, pluvia, & fœdus initum. Resp. 2. unicam esse ad potentiam, quia manet idem fundamentum, hoc est intelligibilitas eadem, & idem terminus, id est potentia.

Quarta ex parte objecti, seu finis, fit in speculativum, & practicum. Speculativum, seu inefficax est, quod non facit id quod significat, ut fumus respectu ignis: ideòque finis illius est cognitio veritatis. Practicum seu efficax, quod rem, quam significat, causat; adeòque habet pro fine opus, huiusmodi sunt sacramenta novæ legis, quæ gratiæ simul sunt indicia, & causæ in anima: sic sacerdos cum verba absolutionis pronuntiavit, vi verborum, gratiam sanctificantem in anima pœnitentis producit; hinc signa practica sunt causæ, speculativa effectus, & alia quælibet, à quibus significata non pendent.

Speculativum subdividitur in rememorativum, quod rei præteritæ memoriam refricat, ut *arcus celestis diluvii*; demonstrativum, quod rem præsentem indicat, ut *lux solem*; denique prognosticon, quod rem futuram portendit, ut *pallor luna pluviam*, inter quæ numerantur *τερατικά*, ut prodigia antecessura diem extremum, aliâque id genus insolentia: at

Quæres hîc: utrum causa sit verè signum sui effectûs, vicissimque effectus suæ causæ.

Respondeo esse, præsertim si sit causa per se, quia causa repræsentat effectum, vicissimque effectus

causam potentia cognoscenti ob connexionem necessariam vtriusque, cum hoc discrimine, quòd causa sit signum sui effectus à priori, effectus verò suæ causæ à posteriori. Sed quia effectus notiores sunt, quàm causæ, nihilque habent respectu causæ, nisi esse signa, causæ autem vim causandi simul, & significandi habent, ideò vsus invaluit, vt effectus dicantur signa, causæ autem nomen suum retineant.

Porro causa necessaria adæquata, si positis omnibus requisitis cognoscatur, est signum naturale effectûs existentis, quia habet connexionem necessariam cum illius existentia, & eam quidem fundatam in naturali, & intrinseca determinatione ad ipsam existentiam. Inadæquata effectum significat possibilem, quia connexionem cum eo necessariam habet, non tamen futurum, aut existentem significat, vtpote quæ alterius consortio ad ejus productionem indigeat. Certè causa, etiam inadæquata, non potest intelligi sine ordine ad existentiam effectus possibilem, licèt intelligi possit sine existentia actuali illius. Causa libera est signum naturale effectûs possibilem, quia respectum habet transcendentalem ad effectus possibilem; non autem est signum naturale effectûs existentis, quia non est determinata ad suos effectus, vtpote indifferens, & sui juris.

Denique causa perfectissimè cognita est signum effectûs in individuo, quia effectus possibilem, etiam in individuo continetur in causa, quem potest producere, licèt ad hunc, vel illum non possit se determinare, quæ duo multùm differunt: non tamen sequitur cognosci effectus infinitos, nisi syncategorematicè.

Effectus in individuo cognitus sine hac numero actione, est signum suæ causæ in specie; cognitus autem cum hac actione, quâ exit à causa, est signum ejusdem in individuo. Ratio primæ partis est, quia hic effectus, præcisâ tali actione, continetur in causis ejusdem speciei, ut ostendimus in Physica. Ratio secundæ est, quia talis actio, seu dependentia respicit essentialiter hanc numero causam: ergo semel cognita, notitiam illius imprimat, deinde illa actio est ratio proxima fundandæ relationis, talis effectus ad talem causam, non ad aliam.

Sequitur ex dictis, 1. creaturas rectè dici signa, vestigia, & umbras Dei juxta illud Pauli Rom. 1. *invisibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt; intellecta conspiciuntur*, nec refert quòd res creatæ sint effectus æquivoci respectu Dei, quia non desinunt esse aliquales Dei similitudines, & imitationes, quem proinde imperfectè repræsentant. Sequitur 2. quoties effectum ex causa, aut causam ex effectu non detegimus, vel causam esse per accidens, quæ proinde necessariam connexionem cum effectu non habeat, & vicissim: vel certè, si connexio necessaria sit, eam à nobis non perfectè penetrari.

Quinta partitio est signi artificialis in signum *ἀπὸ τῆς τύχης*, à casu, quod temerè, & sine analogia signi cum re significata impositum est, cujusmodi est hedera respectu vini vendibilis, & in signum *ἐκ τῆς προαίρεσις*, ex electione, quod imponitur propter analogiam, & similitudinem: talia sunt sacramenta. Mitto alias divisiones in divinum, quod ex institutione Dei significat; humanum, quod ex arbitrio hominum; sacrum,

quod rei sacræ ; profanum , quod profanæ index est. Denique clarum , & ambiguum , &c.

§. IV. *Quanam potentia signis utantur.*

VNICA OB- QVÆSTIO hîc instituitur de  
SERVATIO. Q signis formalibus , & instru-  
mentalibus.

I. ASSERTIO. Quælibet potentia cogno-  
scens creata , potest uti signis formalibus. Proba-  
tur , quælibet potentia cognoscens creata , elicit  
cognitionem : sed cognitio est signum formale :  
ergo quælibet potentia cognoscens creata , potest  
uti signis formalibus.

II. ASSERTIO. Nec sensus externus , nec  
vis imaginandi utuntur formaliter signis instru-  
mentalibus. Probatur : uti formaliter signis instru-  
mentalibus , est cognoscere vnum ex alio , attingendo  
habitudinem , & connexionem vnus cum  
alio : nec sensus externus , nec vis imaginandi  
cognoscere valent vnum ex alio , attingendo ha-  
bitudinem , & connexionem , quia est quid insen-  
sibile , quod proinde à potentia sensibili percipi  
non potest ; hinc dum intellectus percipit conne-  
xionem arbitrariam hederæ cum vino vendibili  
li , oculus , & vis imaginatrix attingunt quidem  
colorem , aliâque accidentia sensibilia hederæ per  
speciem ab iis emissam , sed connexionem cum vi-  
no minimè vident. 2. nulla cognitio perfectè ab-  
tractiva cadit in sensum externum , & phantasiâ :  
cognitio , quâ percipitur formaliter signum in-  
strumentale , est abstractiva , quippe quæ per a-  
lienâs , non proprias species fiat , & per aliud  
priùs cognitum habeatur ; ergo , &c. hinc



Dum oculus visâ luce percipit colorem , non cognoscit colorem ex luce , sed simul lucem , & colorem percipit. Item dum canis ex odore detegit feram aliquâ transiisse , non attingit habitudinem odoris ad feram , sed per speciem odoris ex naturali instinctu excitatur illius appetitus ad feram , eamque insequitur.

§. V. *Cur homo signis conceptuum utatur.*

**R**ATIONEM reddit Aristoteles , lib. de interpret. c. 1. dum ait hominem ad perfectionem intellectûs , quatuor subsidiis indigere , rebus , conceptibus , vocibus , & scriptis. Rebus quidem , quia ut ait idem lib. 3. de anima , tex. 14. animus noster rudis est omnis cognitionis ab ortu , ac veluti tabula rasa ; ideóque cognitionem rerum à rebus externis , sequestris speciebus , haurire debet : conceptibus , quibus res apprehendat : vocibus , quibus animi sensa præsentibus , utpote animal politicum communicet. Denique scriptis , quibus cum absentibus agat.

Ad hæc , quoad animus corpore continetur ; nihil cognoscit , nisi per sensus internuntios , qui nihil nisi corporatum , & materiale percipiunt , ipsi materiales. Aliunde debet homo alteri suas cogitationes explicare , quia debet communicare in bono rationis , cum natus sit ad societatem rationalem : porro cogitationes nihil concreti habent : ergo ut cadant sub sensus , debent signo , eoque corporato quasi vestiri , hoc est voce , & scripto ; hinc

Perfectio quidem est in homine , quod animi sui sensa per signa sensibilia , & externa aliis indi-

cet., sed non simplex, & pura. Perfectionis est animi cogitationes aliis communicare, quâ belluis antestatur, & Angelis suppar est: at nonnisi signis sensibilibus, & materiatis communicare posse, imperfectionis, quâ Angelis inferior, & belluis aliquatenus affinis.

## ARTICVLVS II.

*De voce.*

**D**E voce prius agendum, quàm de mentis ipsius operationibus, quia nihil est, quod prius nobis sive audientibus, sive legentibus in sensus incurrat, quàm vox; quod autem in sensus incurrit, nobis notius. Deinde est species signi, & mentis interpres: vnde pronuntiatum Galeni lib. 1. de methodo medendi, cap. 5. *principium in omni disputatione, & re est nomen.* Porro hîc de voce simplici, non composita, cuiusmodi est oratio, agimus, ejusque naturam, & partitionem inquirimus; tum quid humana differat à belluina, quid vtraque significet, vnde vim significandi habeat, & quomodo, disputamus.

§. I. *Quid sit vox.*

**V**OX definitur, sonus ore animalis prolatus; ex intentione aliquid significandi, quod in anima versetur. Sonus est instar generis proximi, in quo convenit cum aliis sonis, qui vel à rebus inanimatis: v. g. à tonitru, & ventis editur, vel à rebus animatis, quæ strepitum edunt pedibus, aut manibus. Ore animalis prolatus, en causam

instrumentalem , vox enim animalis quibusdam vocalibus instrumentis formatur , putà pulmonibus , larynge , linguâ , & ore. Ex intentione aliquid significandi , quod in anima versetur : en causam finalem , concessa enim animali vox , vt affectus doloris , & voluptatis , homini verò , vt affectus simul , & conceptus prodat exteriùs , ideòque intentio significat hïc appetitum tum irrationalem , tum rationalem. Porrò per hæc verba vltima , vox distinguitur à quolibet sono , qui ex ore animalis circa cupiditatem aliquid significandi emittitur , ideòque instar formæ obtinent , reliquæ instar materiæ : De vocis natura satis , jam de partitione ,

Prima est in vocem animaleam , seu naturalem , & humanam , seu artificialem ; animalis est , quæ convenit animali , vt animal est , seu quæ est index passionum animæ , doloris nempe & voluptatis , vt gemitus , suspiria , cantus , aliæque id genus voces , quibus animalia ad hostium præsentiam sui similia ad subsidium evocant , vel certè fugam indicant. Dicitur naturalis , quia idem significat apud omnes ; humana convenit homini , quatenus rationalis est , éstque index notionum , seu conceptuum animi. Artificialis appellatur , quia significat ad placitum vel Dei , vel hominum.

Secunda , in articulatam , & inarticulatam. Articulata est , quæ editur ab homine , quà homo est , hoc est , ex intentione rationali , & libera significandi animi conceptus , seu quæ articulis , hoc est casibus , & inflexionibus exprimitur ; articuli autem significant mutuas rerum habitudines , & proportionem , quas vna natura intelligens percipere potest , ideòque solus homo dicitur loqui , quia loqui propriè , est voce efferre , quod conce-

peris mente , seu cogitationem manifestare , advertendo ad habitudinem rerum , & vocum : unde locutio tria includit , 1. verbum mentis seu conceptuum ; 2. verbum cordis , id est animum , conceptus suos manifestantem ; denique verbum oris , quod est signum externum : quare nec pueri dum legunt , nec psittaci propriè loquuntur , dum voces humanis similes proferre videntur , quia nec advertunt ad rerum habitudines , nec conceptus manifestare intendunt. Inarticulata est , quæ ab animali profertur , quæ animal est , hoc est ex intentione irrationali significandi motus voluptatis , & doloris , seu quæ sine articulis exprimitur , adeoque scribi non potest.

Vox humana dicitur sermo , cujus causa efficiens principalis est anima rationalis ; minùs principalis , exercitatio , sermo enim est ex usu. Instrumentalis interna , ex parte animæ , ratio ; ex parte corporis , lingua ; externa , aëris repercussio. Finis , sensorum animi , consiliorum , & actionum communicatio. Materia in qua , solus homo : materia circa quam , interna animi cogitatio manifestanda : externa , variæ actiones humanæ. Proprietas duplex. Prima , distinguere hominem à bruto ; duobus enim homo à bruto discrepat , ratione , & sermone. Secunda , esse vinculum societatis humanæ. Effectus triplex ; primus , expressio cogitationis , & communicatio consiliorum , & actionum cum aliis. Secundus , index est animi universi , totiùsque interioris constitutionis , ac vitæ imago , *loquere ut te videam*. Tertius , ipsas etiam virtutes , & vitia detegit ; nam ea quisque lubenter , & sæpè loquitur , quibus delectatur ; affinita denique sermoni sunt cantus avium , quo vi-

dentur hominis sermonem imitari, loquela psittacorum, & organorum sonus: sed plura de his in libris de anima.

Vox sumitur vel grammaticè, vel logicè. In voce grammaticè sumpta spectatur materia, eaque duplex, remota, & proxima; deinde forma. Materia remota sunt literæ, proxima syllabæ, ex quibus contextitur, forma est sonus. In voce logicè sumpta, tria spectantur, materia, forma, & impositio. Materia est sonus, vnde forma vocis grammaticæ est materia, & quasi corpus vocis logicæ. Formæ est vis significandi, sive habitudo ad rem significatam. Impositio, & *συνθήκη* institutio est causa efficiens; hinc

Vox sumitur materialiter, & formaliter. Vox materialiter sumpta, supponit pro se ipsa, seu pro sono, vt si dicas, *rex est vox vnus syllaba, & masculi generis*. Formaliter sumpta, supponit pro suo significato, vt si dicas, *rex est persona habens auctoritatem regendi subditos*. Duplex itaque suppositio vocis; vna materialis, cum pro se ipsa supponit, quam curant Grammatici: altera formalis, cum pro suo significato sufficitur, quam curant Logici, quia vocibus vtuntur, vt rerum symbolis. Quare vox dicitur vna apud Logicos, quæ vnã rem, & conceptum repræsentat, idèoque voces synonymæ ab iis habentur pro vna, vt gladius, & ensis; multiplex verò, quæ multas res, & conceptus repræsentat, vt vox *canis*, quæ canem cælestem, marinum, & terrestrem significat.

Vox, vt vera sit, debet esse 1. apta ad significandum, 2. communi vsu recepta, 3. determinata, 4. adæquata rei significatæ. Aptæ est ad significan-

dum, si propria, & quali nota cum rebus ipsis; usu recepta, cum invaluit apud homines; determinata, cum certum rei conceptum ingenerat, ideòque à Logicis *aliquis, omnis, nullus* non habentur pro vocibus. Denique adæquata rei significatæ, si nec latior sit, nec restrictior ejus vis, & potestas.

§. II. *An voces significant ex natura rei, an ex instituto.*

**C**UM duplicem esse vocem ex superiori § constat, animalem, & humanam; hinc duplex quæstio nascitur, Prima, an vox animalis significet ex natura. Secunda, an vox humana ex instituto.

I. **A S S E R T I O.** Voces animales significant ex natura, adeòque sunt signa naturalia. Probatur: quæ voces idem significant apud omnes, significant ex natura: voces animales idem significant apud omnes: ergo significant ex natura. Probatur minor, voces animales excitantur tantum, & profèruntur ex cupiditate naturali motûs doloris, aut voluptatis, ut gemitus, suspiria, latratus canis: ergo voces animales idem significant apud omnes. Certè latratus, quo canis venaticus, semel odoratus vestigia leporis, alios ad se canes vocat, ortum habet à natura, & connexionem cum odore leporis, quem proinde canes reliqui naturâ duce percipiunt. Item exclamationes, quibus in repentinis lætitiâ, & dolorem significamus, idem apud omnes significant.

II. **A S S E R T I O.** Voces humanæ ex instituto significant. Ita Aristoteles, lib. de interpr. contra

Platonem , cap. 4. ὅτι αἰτὸν ὅτι ὅλην τὴν ὀμιλίαν , ὡς ἰνστρούμεντον ( intel-  
lige ) *naturale* , sed κατὰ συνθήκην , *ex instituto* ,  
& cap. 2. φύσει τῶν ὀνομάτων ὡς εἶναι ἔστι , *nullum*  
*nomen est ex natura* : deinde id discriminis con-  
ceptus inter , & voces humanas statuit , quòd  
conceptus sint iidem apud omnes nationes , voces  
non item , cur autem ? nisi quia conceptus sunt si-  
gna naturalia ; voces autem humanæ , signa ar-  
bitraria.

Probatur ratione ; voces significant : ergo vel  
ex natura rei , vel ex instituto hominum : non ex  
natura rei , quia voces non idem apud omnes si-  
gnificant , ut patet ex varietate idiomatum , quæ  
sunt in usu apud diversas nationes ; signum au-  
tem naturale idem ubique gentium significat , quia  
ubique eadem est natura , & quæ ipsi agnata sunt :  
ergo superest , ut significant ex instituto. Præter-  
eà quod est à natura , non mutatur ; significatus  
vocis ejusdem mutatur , cùm apud varias nationes ,  
rum apud eandem , estque alius atque alius inter-  
dum pro diversis temporibus : ergo &c. Denique  
si vis significandi vocibus humanis foret naturalis ,  
impositione nihil opus fuisset , quod tamen repu-  
gnat cõmmuni experientiæ.

Quamquam distinguenda duo in voce ; vnum  
physicum , alterum morale. Physicum in voce est  
ratio instrumenti , seu sonus ore animalis prola-  
tus , morale est certum idioma , vòxque particu-  
laris , vel Græca , vel Latina. Primo sensu accepta  
est quid naturale homini , quia loqui datum est  
à natura homini , utpote animali ad societatem  
nato ; & ita formatio vocis est bonum naturale  
quod fluit ab anima , ut primario principio ; ab

intellectu , & organis corporeis , vt secundo : secundo sensu accepta , est omninò arbitraria , quia loqui hac vel illa voce , pendet ex hominum voluntate. Ratio à priori est ; quòd ratio homini pro arte , & ratione significandi data sit , quâ homo & cognoscit res , quas significare debet , & invenit vocum varias differentias , quas ad diversas res significandas accommodat , sed semper ad placitum , dum vocem vt instrumentum naturale subordinat rationi , à qua modum , & rationem accipit ad significandum : ita licèt manus sit naturale instrumentum ad quælibet opera facienda , quia tamen rationi , & arti subordinatur , non omnia opera manus naturalia sunt , sed plurima artificialia. Linguatamen Hebræa homini in statu naturæ perfectæ , naturalis vtcunque dici potest , quia natura fertur ad vnum , & homines vnus linguæ communionem consociare amat ; sermo autem ex 1. Politic. c. 2. societatis vinculum : at inter linguas naturalior Hebræa , quòd primo homini concessa sit ; hinc dicitur pura , & simplex ab authoribus , immò & divina ; aliæ verò linguæ humanæ , quæ è superbia natæ , variè tum ex Hebræa , tum ex se mutuò inter se mixtæ sunt. Septuaginta duæ matricæ linguæ numerantur ab authoribus , non enumeratis diversis vnus , eisdemque dialectis , vt refert Conradus Gesnerus in libro de linguarum differentia.

Objicies : nisi voces humanæ à natura vim significandi habeant , numquam inter se homines colloqui potuerunt ; oportuit enim eos sermonem instituerent : porrò instituerent sermonem non potuerunt , nisi inter se de vi significandi vocum convenirent : at nisi voces aliquæ ex natura significant ,  
de



de vi significandi inter se convenire nequeunt.

Ad hoc argumentum responsio duplex. Prima est, per nutus gestúsque de vi significandi primarum vocum artificialium homines convenisse; cum enim nutus ac gestus signa sint naturalia, artificialibus priora, iis utriusque homines de nominibus imponendis convenerunt inter se. Secunda responsio D. Augustini, lib. 8. de Genesi ad litt. est, primis hominibus inditas fuisse à Deo quasdam voces primigenias, quæ ex libera tantum Dei institutione, & hominum acceptione significant, & quarum ope alias subinde invenerunt.

Objicies 2. In vocibus derivativis est vis significandi naturaliter, quia vox una derivatur ab altera propter naturalem similitudinem: ut dum Petrus à petra ducitur ob firmitudinem, quam in se habiturus erat: ergo aliquæ voces significant naturaliter.

Resp. nego consequens. Vox enim tum derivativa, tum primitiva significationem habent ex impositione, ideóque mediante significatione, naturalem rerum similitudinem significant: unde ad summum naturalis quidem est similitudo in rebus significatis, non in vocibus significantibus, quæ non habent naturalem similitudinem cum rebus significatis.

III. ASSERTIO. Voces sunt signa conceptuum mentis simul & rerum manifestativa. Probatur prima pars ex Aristotele, qui cap. 1. de interpret. vocem τῆ ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σημειῶν καὶ σύμβολον, *passionum*, hoc est conceptuum, *anima signum*, & notam appellat. Ex D. August. 15. de Trinitate, cap. 11. *Verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet.* Ex Philone Iu-

dæo , qui sermonem *fratrem mentis* nuncupat , eumque comparat Aaroni , qui fratris sui Moſis interpres erat.

Probatur 2. ratione. Cogitationes hominis per ſe non patent ; aliunde communicare eas debet alteri , cum quo vnâ vivere , & in bono rationis communicare cupit , vt jam dixi : id autem præſtare non poteſt , niſi voces ſignificent conceptus. Hæc ratio eſt D. Auguſtini lib. 2. de ordine , cap. 12. vbi ait rationem inuexiſſe ſermonem , vt quoniam homines animos ſuos ſentire non poterant , ad eos ſibi copulandos , ſenſu quaſi interprete vterentur. Deinde niſi voces ſignificent conceptus , nullum eſt mendacium ; mentiri enim tum dicimur , cum in mente alios conceptus habemus , quam voce ſignificemus : vnde mentiri , eſt contra mentem ire.

Probatur ſecunda , 1. ex Ariſtotele , qui lib. de interpr. & alibi docet ex eo quod res eſt , vel non eſt , orationem eſſe veram , vel falſam : ergo oratio rem ſignificat , ejus ſiquidem veritatis eſt quaſi meſura ex Platone , qui in Cratylo *ὄνομα, ὄργανον δῆλωμα, μνήμημα πράγματος* nuncupat , aitque loquentem res nominibus diſcernere inſtar textoris radio ſila diſcernentis. 2. ratione , tum quia voces rebus impoſitæ ſunt : ſic Genefis 2. adducta dicuntur à Deo animalia ad Adam , vt nomina iſtis inderet : ergo res ſignificant , tum quia eum vox loquentis auditur , mens audientis ſtatim ad rem percipiendam excitatur : ſignificas v. g. mihi Petrum Pariſiis Romam eſſe profectum ? ſtatim Romana Petri profectio animo meo obverſari incipit ; cur autem , niſi quia voces ſignificæant res ?

IV. ASSERTIO. Voces non tantùm sunt signa rerum manifestativa, sed etiam suppositiva. Probatnr: id quod res non tantùm manifestat, sed pro ipsis supponitur, est signum suppositivum; voces non tantùm manifestant res, sed pro ipsis etiam supponuntur: ergo sunt signa suppositiva rerum. Et verò sæpè res non sunt in promptu, nec in medium proferri possunt, aut debent: ergo voces earum loco sufficere debemus: sic voce *homo*, utimur pro ipso homine inter disputandum, unde nomina se habent in rebus significandis, sicut calculi in rationibus subducendis; calculos supponimus pro nummis: ergo & nomina pro rebus. At gravis hîc quæstio est, multùmque in scholis agitata, quomodo voces conceptus, & res significant, an primariò res, & conceptus secundariò, an è contrâ, quam mox solvemus.

Quæres hîc, an conceptus, dum res repræsentant, sint signa naturalia, adeoque iidem apud omnes.

Respondeo affirmativè: Ratio est, quia conceptus perinde ac species intelligibiles, sunt imagines rerum, quas proinde transcendentaliter respiciunt, tanquam mensuram, & exemplar sui esse: at essentiæ rerum mutari non possunt: ergo ejusmodi conceptus ubique retinent suam repræsentationem. Deinde omnis conceptus mentis, vel repræsentat ens positivum, vel non ens: uterque est imago sui objecti, quæ ipsum constituit præsens intentionaliter, nec est alius modus res intellectui sistendi præsentis, quàm per imagines ipsarum.

Dices ex D. Thoma q. 1. de verit. 2. 8. id quod non habet in se formam, nequit alteri impartiri:

non ens non habet in se formam : ergo &c. Deinde conceptus practici sunt causæ artefactorum : ergo non possunt ab iisdem regulari, nec proinde ipsorum esse imagines.

Resp. ad 1. distinguo majorem, in genere causæ efficientis, concedo; in genere causæ exemplaris, nego; nam influxus causæ exemplaris, & finalis est quasi passivus, qui non debet supponere entitatem realem: at ex D. Thoma ibidem negatio est aliquo modo exemplar suæ cognitionis, à qua conceptus formaliter extrinsecè seu exemplariter, vt à suo repræsentato exprimitur. Ad 2. respondent aliqui artefactum, licèt quoad existentiam accipiat esse ab arte, & conceptu practico, tamen secundùm essentiam præsupponi: vnde conceptus practicus quoad existentiam non pendet à re, at respectu essentiali in eam tendit, vt illius imago. Certè res creatæ pendunt ab ideis divinis secundùm existentiam, non secundùm essentiam: at ex D. Thoma q. 16. a. 1. ita se habent artefacta ad mentem humanam, sicut naturalia ad divinam.

Quæres 2. Cujus munus sit vocabula rebus imponere. Vt respondeam, observandum inter vocabula, alia esse primitiva, alia derivativa, alia quædam *τεχνικὰ*, seu propria, & quasi sua cuiuslibet disciplinæ.

Respondeo itaque vocabulorum primitivorum authorem esse vulgus, juxta illud effatum, loquendum, vt multi; sapientum verò esse nomina derivativa rebus imponere. Ratio est, quia nomina ejusmodi debent rerum naturas, causas, & affectiones exprimere, quæ vnjs sapientibus patent. Denique artificibus id concessum, vt nomina re-

bus suis, operibus, & instrumentis indant, quia sunt in arte sua instar sapientum; hinc pronuntiatum Varronis apud Ciceronem lib. 1. Academ. quæst. *Dialecticorum verba nulla sunt publica, suis utuntur.*

Quæres 2. an vox possit imponi ad perfectiùs rem significandam, quàm imponens concipiat?

Respondeo probabiliùs non posse. Ratio à priori est, quia vocis significatio tota est ex impositione; impositio autem tota pendet ex conceptu intellectus illius hominis, qui imposuit: ergo si nomen imposuit ad rem significandam in confuso: licet audiens rem distinctè concipiat; non vi impositionis, sed ex aliis causis, putà ob majus lumen mentis, clariorèmq; notitiam, quam de re habet, oritur, idque per accidens est ad illam significationem: vnde perfectior apprehensio, quæ in audiente excitatur, non in significationem vocis referenda, quia perfectiùs rem audiens intelligit, quàm per vocem significetur; hinc nullum nomen imponitur ab homine mortali, quod rei essentiam perfectissimè significet, quia essentiam rei intelligit tantùm in confuso per connotationem accidentium vel effectuum, aut per proportionem cum aliis rebus.

### §. III. *Quomodo voces significant conceptus, & res.*

**T**RIPLEX est celebrior sententia. Prima, quæ Boëtii est in Porphyrium, docet voces significare conceptus immediatè, non res. Secunda, quam tuentur Scotus in 1. dist. 27. q. 3. & Oviedo in Logica, controversia 7. punct. 3. pugnat res im-

mediatè vocibus repræsentari , non conceptus. Tertia , quæ Suaris Lusitani , contendit voces conceptus , & res immediatè significare , sed conceptus , vt *quo* , res verò , vt *quod*. Vt mentem aperiam , sic

UNICA OBSERVATIO. Signum sumitur strictè , & latè. Strictè sumptum est id , quod ducit nos in cognitionem rei alterius. Quo sensu id dicitur signum , quod vbi menti obversatur , statim cognitionem rei alterius menti ingenerat : sic hedera pro foribus appensa , menti ingenerat conceptum rei vendibilis. Latè sumptum , illud est , quod ponitur tantùm loco alterius , quatenùs id præstat , quod aliud præstaret , si coram adesset , licèt in cognitionem ejus per se primò non ducat : sic calculi sufficiuntur pro aureis nummis in subducendis rationibus. Signum primo sensu sumptum , dicitur strictè signum ; secundo verò sensu signum latè , & solum.

I. ASSERTIO. Voces , vt sunt signa strictè , significant primariò , immediatè , & per se res ipsas ; secundariò , mediatè , & per accidens conceptus mentis.

Probatnr prima pars : Id quod , auditâ præcisè voce , cogitamus , repræsentatur per vocem primariò , immediatè , & per se , tanquam per signum strictè sumptum : auditâ præcisè voce , rem ipsam statim cogitamus , non conceptum mentis : ergo voces , vt sunt signa stricta , primariò , immediatè , & per se res significant. Prob. minor experientia ; nam auditâ voce ista , *homo* , continuò hominem ipsum , seu animal rationale , non conceptum , quem loquens format de homine , cogitamus. 2. illud significatur propriè per vocem primò ,

immediatè, & per se, quod in qualibet propositione tum mentali, tum vocali prædicatur in recto, & vt *quod*; solum objectum conceptus, seu res, non objecti, aut rei conceptus, de re in omni propositione tum mentali, tum vocali prædicatur in recto, & vt *quod*; nam dum prædico hominem de Petro, non est sensus, Petrus est conceptus hominis.

Confirmatur 1. Si voces significarent conceptus in recto, & vt *quod*, omnis propositio esset vel falsa, vel ridicula: consequens admitti non debet: ergo nec antecedens. Probatür sequela: hæc propositio, *Petrus est doctus*, vnum ex istis sensibus haberet; conceptus docti includitur in conceptu Petri, vel conceptus Petri est doctus, vel Petrus est conceptus docti, vel conceptus Petri est conceptus docti: omnes illi sensus falsi sunt, vel ridiculi; primus quidem falsus est, nam conceptus docti non includitur in conceptu Petri, siquidem Petrus, quæ Petrus, non est doctus. Secundus, tertius, & quartus ridiculi sunt, & falsi: nam dum dico, *Petrus est doctus*, non intendo tantum dicere conceptum Petri esse doctum, aut Petrum esse conceptum docti, aut conceptum Petri esse conceptum docti, sed doctrinam reipsa inesse Petro.

Confirmatur 2. v.g. dum dico, *Deus est trinus*, non intendo docere eum, quem alloquor, conceptum formalem Dei trini, sed ipsum Trinitatis mysterium. Item dum dico, *manus mea movet gladium*, non mihi mens est dicere, conceptus manus movet conceptum gladii, sed manus, quæ obversatur meo conceptui, movet gladium, qui meo quoque conceptui objicitur. Denique interro-

ga rusticum , dum ait solem lucere , quid velit significare , respondebit utique , non velle se significare , quòd conceptus solis sit conceptus lucentis , sed rem , quæ sol dicitur , reipsa lucere.

Probatur secunda pars , nempe quòd voces significant conceptus mentis secundariò , mediatè , & per accidens , ut sunt signa strictè sumpta. Id tantùm significatur per accidens , secundariò , & mediatè vocibus , ut sunt signa stricta , quod audiens cognoscit tantùm mediante ratiocinio : dum audio loquentem , conceptum illius mentalem cognosco tantùm mediante ratiocinio : ergo conceptus mentis per accidens tantùm , secundariò , & mediatè vocibus , ut signa stricta sunt , significantur. Prob. minor. quia illi soli cogitant de conceptu loquentis , qui sic ratiocinantur : idè loquuntur homines , ut similes conceptus iis , quos mente formarunt , in audientium animis ingenerent : ergo iste homo , qui loquitur de homine , habet conceptum hominis in mente , quoniam in mente nostra talem loquendo efficit , & ita secundariò tantùm , & ratiocinando , ut vides , de conceptu loquentis audientes cogitant.

II. ASSERTIO. Aliquando voces , ut signa strictè sumpta , ipsos conceptus mentis significant immediatè , & per se.

Probatur : v. g. in his propositionibus , *conceptus est operatio mentis : argumentatio est oratio inferens unum ex alio* ; conceptus , argumentatio , innotescunt per voces primò , & per se , quia sunt instar rei significatæ , & objecti : sed tunc duplex est conceptus mentis ; primus , qui dicitur res significata , & objectum : secundus , qui est conceptus rei significatæ , nempe conceptus mentis , quem primò repræsentat.



III. ASSERTIO. Voces, ut sunt symbola, & significant improprie, conceptus ipsos mentis primario, & immediate significant; mediate vero res ipsas.

Probatur: Ratio symboli in eo posita est, ut alterius loco ponatur, idque efficiat, quod aliud efficeret, si præsens adesset, licet rei cognitionem per se non ingeneret: at voces ponuntur tantum loco conceptuum, idque præstant, quod præstarent ipsi conceptus: ergo voces primo, & immediate significant conceptus, ut sunt symbola. Præminor: Cum enim loquens non possit conceptum mentis, quem de rebus habet, audientibus immediate communicare, voces usurpat quasi sequastras, & vicarias conceptuum mentis, per quas conceptum ejusdem rationis cum eo, quem habet in mente, in audientis animo efficiat: Ex his facile conciliabis authores.

§. I V. *Diluuntur objecta.*

OBIECTES I. Aristoteles lib. I. de Interpret. c. I. docet voces esse signa eorum, quæ sunt in anima, seu passionum notas. ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ, τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ. *Quæ igitur sunt in voce, sunt nota passionum, quæ sunt in anima, & quæ scribuntur, sunt nota eorum, quæ sunt in voce: ergo ex Aristotele voces significant conceptus animi; nam per passiones intelligit conceptus formales in homine, tum quia sunt in anima subjective, tum quia producuntur ab objectis extrinsecis in ipsa anima, quæ ideo dicitur pati, id est recipere.*

Resp. concedo totum : Non enim nego voces significare conceptus , sed nego significare significatione strictâ primariò , & immediatè. Deinde loco citato Aristoteles præsertim paulò pòst , vbi voces ait esse primò signa passionum animi , ibi sumit voces , vt sunt signa naturalia , non autem vt sunt signa humana , & ex beneplacito quomodo hîc sumimus.

Instabis I. D. Thomas , lib 1. de Interpr. lect. 2. multique interpretes in locum illum , aiunt voces primariò , & immediatè significare conceptus mentis. *Necesse fuit* , inquit , *Aristotelem dicere , quòd voces significant intellectus conceptiones immediatè , & , eis mediantibus , res .* & lib. 1. contra Gentes , c. 35. & 1. p. q. 13. a. 4. & q. 7. de potentia Dei a. 6. vbi sic loquitur. *Sciendum , quòd significatio nominis non immediatè refertur in rem , sed mediante intellectu : sunt enim voces nota earum , quæ sunt in anima , passionum , & ipsæ conceptiones sunt rerum similitudines , vt patet per Philosophum in principio perihermenias.*

Resp. dist. Voces significant immediatè conceptus , vt symbola , concedo : vt signa stricta , nego. Nempe vox potest significare quidpiam , vt symbolum , vel vt signum. Significat , vt symbolum , cum substituitur loco alterius , idque efficit , quod alterum efficeret , si adesset ; significat autem , vt signum , cum deducit nos in rei cognitionem , pro qua supponitur. Primo modo vox significat primariò , & immediatè conceptus , res autem per accidens , & mediatè. Secundo modo significat res immediatè , & conceptus mentis mediatè. Et verò Aristoteles loco citato vocat voces *σύμβολα τῶν παθημάτων* , id est *symbola conceptuum* , non verò signa.

Instabis 2. Paulò post vocat voces *σημεία ψυχῆς*, id est signa, quæ primò significant animi passiones.

Resp. Ibi sumere voces, vt signa naturalia, non vt artificialia, vt patet ex textu. *Passiones*, inquit, *animi*, *quarum voces primò sunt signa*, *eadem sunt apud omnes* Quid hoc clarius?

Objicies 2. Voces significant res, mediantibus conceptibus formalibus, quia prius est homines concipere, quàm loqui: ergo voces significant immediatè conceptum mentis.

Resp. Hic latere æquivocationem. Voces significant conceptum objectivum mediante formali, id est, debet prius formari conceptus à mente, quàm vox ipsa proferatur, concedo: id est vox debet prius significare conceptum, quàm rem, nisi significet vt symbolum, nego. Vox itaque mediante formatione conceptus rem significat, non autem mediante significatione conceptus.

Objicies 3. Significare res dicuntur voces, vt objectivè sumuntur: at significare res, vt objectivè sumuntur, est significare conceptus ipsos mentis: ergo &c.

Resp. nego minorem: Nam res objectivè sumptæ in ordine ad intellectum duo dicunt, nempe conceptum formalem, quo mediante attinguntur, & objectivum, seu res in esse objectivo. Res porò in esse objectivo significant strictè voces immediatè; conceptus autem formales significant significatione latâ, & vt sunt symbola.

Instabis 1. Conceptus objectivus est ipse conceptus formalis, vt est imago rei.

Resp. nego: Nam præter conceptum formalem, qui est imago rei, adeòque dici potest aliquo.

modo conceptus objectivus, admittimus alium conceptum objectivum, qui est res ipsa, ut observatur menti. Vox substituitur in locum conceptus formalis, significatque immediatè rem, seu conceptus objectum significatione strictâ, eumque repræsenterat, sicut conceptus formalis immediatè rem repræsenterat. Habes exemplum in duobus legatis ejusdem Regis, quorum secundus, licet sufficiatur in locum primi legati, tamen immediatè repræsenterat Regem; aut in duabus imaginibus, quarum altera expressa sit ad exemplar Pauli, & altera ad similitudinem primæ imaginis: utraque enim immediatè repræsenterat Paulum. Idem dicito de voce, & conceptu respectu objecti.

Objicies 4. Finis vocis est mentem aperire.

Resp. Finis quoque est rem aperire, sed diversimodè, vox aperit mentem, quatenus est symbolum, quod ponitur loco conceptus, & sic priùs significat conceptum: aperit rem, dum ita supponit pro ipsa, ut deducat nos in cognitionem ejus; & sic propriè significat immediatè rem. Potest tamen vox aliquando significare conceptum strictè immediatè, sed tunc conceptus est objectum, & res significata, ut dixi assertionè 2.

Objicies 5. Verbum, *est*, significat immediatè in propositione judicium mentale, quia significat, quid sentiamus de prædicato, & subjecto, quæ sunt termini secundæ intentionis.

Resp. 1. dist. Significat immediatè, ut symbolum, concedo: ut signum, nego. 2. dist. significat immediatè judicium primò intentionaliter sumptum, concedo: secundò intentionaliter sumptum nego. Id est, significat primariò rerum iden-

titatem objectivam per subjectum , & prædicatum significatam , concedo : identitatem rationis , quam de identitate objectiva formamus , nego.

Objicies 6. Scriptura significat immediatè conceptus , & voces , & res tantùm mediatè : ergo à pari vox. Ut respondeam , sit

§. V. *Quomodo scriptura voces , & res significet.*

**R**A T I O dubitandi est locus Aristotelis jam citatus , quo docet , quæ sunt in voce , esse symbola passionum animæ , quæ autem scribuntur , esse symbola eorum , quæ sunt in voce : ergo videtur esse par ratio scripturæ respectu vocum , & vocum respectu conceptuum.

I. A S S E R T I O. Scriptura , ut symbolum , significat immediatè voces , sicut voces significant , ut symbola , immediatè conceptus.

Probatur : Quia scriptura destinatur à scribente , ut vocis vicem subeat , idque efficiat , quod vox ipsa efficeret ; hinc qui inter se coram colloqui non possunt , scripturâ utuntur quasi vicariâ vocum suarum : unde scripturæ necessitas colligitur. Deinde visus , & auditus sunt disciplinarum sensus : at auditu discimus ope vocum ; visu , ope scripturarum.

II. A S S E R T I O. Scriptura , ut signum strictum , significat voces solas immediatè , & per se.

Probatur : Signum strictè , deducit nos immediatè in cognitionem rei significatæ ; scriptura immediatè deducit nos in cognitionem vocum : ergo scriptura significat solas voces significatione strictâ. Prob. minor I. qui scripturæ beneficio vo-

ces intelligit : v. g. qui Græcè , & Latinè legere novit , ille dicitur legere , inquit Suares Lusit. licèt non intelligat sensum formalem vocum ; hinc dum pueri discunt scribere , docentur tantùm vocabula scribere. Deinde tres istæ literæ , v. g. L. E. O. sic dispositæ , & conjunctæ per se , & immediatè non ducunt in cognitionem leonis formaliter sumpti. Et qui scit literas illas appellare ac legere , per se hanc vocem percipit , nec aliud spectat scriptura ; nam quòd legens intelligat per leonem , animal rugibile , id non oritur ex scriptura. Certè si fancirent homines , vt vox ipsa , *leo* , non ampliùs animal rugibile significaret , sed aliud , maneret tamen immutata prior scriptura , licèt legentem non deduceret in cognitionem animalis rugibilis.

Nempe vt in voce distinguuntur materia , quæ est sonus , & forma , quæ est significatio propria : sic in scriptura distinguuntur materia , nempe figuræ , & characteres linearum : v. g. L , E , O , & forma , quæ est illarum figurarum significatio , quæ est talis sonus ; cum hoc discrimine quòd sonus , qui est materia tantùm vocis , sit forma scripturæ ; nam in eo posita est formaliter scriptura , quòd talem sonum significet , talibus figuris expressum. Itaque scriptura formaliter sumpta hæret in sola materia vocis , non autem significatum attingit. 2. significatio scripturæ propria , non est posita in vocabulis integris , sed in singulis literarum figuris , quia statim atque mutatur figurarum vis , & potestas , mutatur quoque scripturæ significatio propria. 3. denique veritas non convenit propriè scripturæ , sed tantùm vocibus per literas expressis , quia solæ voces propriam illam significationem habent , quæ obje-

ctum respicit, non autem figuræ, ex quibus scriptura componitur. His positis,

Ad argumentum ultimum præcedentis §. nego paritatem, quia homines scripturam instituerunt, ut signa vocabulorum; voces autem, ut signa rerum suppositiva.

Instabis 1. cum Oviedo, dum amicus ad me scribit se rectè valere; mens ejus est significare valetudinem suam, non litteras.

Resp. id esse per accidens; tunc enim scriptura, & res, & voces significat. Ratio est, quia duplex est scribentis intentio; prima est, quâ vult amico res quasdam significare, quæ intentio eadem esset, si amicum coràm alloqueretur. Secunda propria scribentis, quæ etiam à loquente abesset, quâ vult quibusdam characteribus voces illas exprimere, quas amico diceret, si coràm loqui posset.

Instabis 2. Idcirco voces significant conceptus objectivos, quia intendimus illos manifestare: ergo à pari significat immediatè res, non voces, quia intendimus manifestare res per litteras, non voces.

Resp. negat consequentiam Suares Lusit. quia scriptura signum est tantùm per se vocabulorum, ut patet in pueris. Estque per accidens, quòd alia sit intentio scribentis.

In hoc ergo scripturæ, & vocis similitudo est, quòd scriptura loco vocis ponatur, sicut vox loco conceptus. Ratio similitudinis est, quia ideò vox loco conceptus ponitur, quòd suo modo producat audientis in animo objecti cognitionem, quam ipse loquentis conceptus efficeret, si immediatè audienti communicaretur: ita scriptura loco vocis sufficitur, quia idipsum efficit, quod vox ore pro-

lata. Ut enim vox ore prolata, & ad audientis aurem perlata, excitat in phantasia speciem soni illius, cui impositam talem significationem memoria recordatur: sic scriptura oculis subjecta, illius soni speciem in phantasia excitat; cum hoc tamen discrimine, quod de vocis essentia sit significatio illius soni; scriptura autem essentialiter spectet tantum significationem eam, quâ characteres vnum sonum exprimunt.

Nota tamen figuras, quas Cyfras appellant; immediatè res ipsas significare; vnde propius ad hieroglyphica, quàm ad scripturam strictè sumptam accedunt. Et verò quisquis hanc figuram 7. intuetur, continuò numerum septenarium cogitat: ergo Cyfræ significant res immediatè.

## DISPUTATIO SECVNDA.

### *De prima mentis operatione.*

**P**RIMA mentis operatio considerari potest à Logico artifice sub triplici respectu, absolutè, & secundum se, respectivè ad iudicium, & respectivè ad argumentationem, quia spectari potest secundum naturam; deinde ut est materia iudicii; denique ut est tyrocinium quoddam, & rudimentum syllogismi: quare sit



## ARTICVLVS I.

*De prima mentis operatione absolutè, & secundùm se spectata.*

**T**RIA hoc articulo examinanda sunt. Primum, quot sint operationes mentis. Secundum, quid sit prima mentis operatio. Tertium, quotuplex.

§. I. *Quotuplex sit mentis operatio.*

**V**NICA **O**B-**M**ENS duplex, alia speculativa, **S**ERVATIO. **M**alia practica, vt jam observavi; hinc nascitur duplex quæstio. Prima, quotuplex sit mentis speculativæ operatio. Secunda, quotuplex sit mentis practicæ.

**I.** **A**SSERTIO. Mentis speculativæ triplex est operatio, nempe apprehensio, iudicium, & discursus. Probat: totuplex est operatio mentis speculativæ, quotuplex est modus cognoscendi objectum illi proprius: triplex est modus cognoscendi objectum menti speculativæ proprius: ergo triplex est mentis speculativæ operatio. Probat minor: mens contemplatrix vel nudè intuetur objectum, citra affirmationem, & negationem: vel primò affirmando, & negando, hoc est sine medio: vel secundò affirmando, & negando, hoc est ex medio. Primus modus est nuda apprehensio objecti, seu simplex intuitus: secundus, iudicium, seu enuntiatio: tertius, argumentatio.

Confirmatur: Si quæ alia foret operatio quarta, maxime methodus: methodus non est distin-

cta operatio à tribus illis , aut certè est intellectus practici operatio ; vel enim concipit , quomodo ordinanda sit aliqua disciplina sine affirmatione aut negatione , & ita ad apprehensionem complexam refertur : vel iudicando sine illatione ; & ita est secunda operatio : vel cum illatione ; & ita est discursus. Vel potius est apprehensio complexa , & reflexa , quâ intellectus ordinat , & comparat divisiones rerum , & argumentationes jam factas , ideòque supponit secundam , & tertiam operationem tanquam objectum , in quod reflectitur ; nec tamen idèò definit ad primam operationem pertinere. Ratio est , quòd non sit iudicativa , & discursiva entitativè , sed repræsentativè duntaxat , & terminativè , prout repræsentat operationes mentis sive secundam , sive tertiam , & ad easdem terminatur , componendo , & ordinando , non per affirmationem quidem , sed per ordinis inductionem.

II. A S S E R T I O. Mentis practicæ plures sunt operationes , quæ tribus superioribus non continentur. Prob. actio , quâ intellectus agens educit species ex phantasmate : imperium , quo aliquid agendum præcipitur aut vetatur , sunt operationes mentis actuosæ : sed illæ operationes non possunt tribus operationibus mox allatis contineri ; nam imperium , v. g. non potest reduci ad iudicium , quia nec affirmat , nec negat ; aliàs cum Deus præcepit Abrahamo , vt filium immolaret , falsum dixisset. Confirmatur ex D. Thoma , lect. 7. in lib. de interpret. c. 4. vbi ait orationem imperativam , interrogativam , deprecativam , & vocativam non significare conceptum intellectus , in quo sit verum aut falsum , sed quendam ordinem consequen-

tem ; & tamen pertinent ad intellectum practicum : ergo sunt plures tribus operationes intellectus practici.

Objicies : Dubitatio est operatio mentis contemplatricis ; est enim actus duo comparans, quorum connexio quæritur per aliquod tertium : v. g. quærit aliquis , an Petrus sit albus ? tandiu dubitat , quandiu non deprehenderit regulam determinantem ad vnam partem contradictionis , quâ repertâ , desinit dubitare. 2. ex apprehensionibus certo modo dispositis iudicium existit , quod est secunda operatio , & ex multis iudiciis inter se cum quadam illatione connexis existit argumentatio , quæ est tertia mentis operatio : ergo ex multis discursibus ordinatis existit methodus , quæ est quarta operatio.

Respondeo ad 1. Dubitationem esse apprehensionem mentis , quia est inquisitio illius regulæ , ad quam veritas problematis examinari debet , & de qua postmodum agemus. Ad 2. hoc argumentum nimis probat ; probat enim admittendas esse in infinitum operationes , quia ad libitum ordinari potest quarta illa operatio , quam volunt adversarii ab aliis tribus esse diversam. Deinde dispar ratio est , quia in iudicio est formalis quædam connexio per verbum expressa , quæ à simplici apprehensione essentialiter distinguitur , sicut est formalis quædam unio in discursu expressa per particulam illativam , ergo , quâ à primo iudicio essentialiter differt. At in methodo non potest afferri specialis unio formalis , quâ distinguitur ab apprehensione reflexa , si sit citra affirmationem , & negationem , aut à iudicio , si primò affirmet , aut neget , aut ab illatione , si secundò affirmet , aut neget.

§. II. *De apprehensione secundum se spectata,  
& ejus partitione.*

I. **A**P P R E H E N S I O , quæ inter operationes mentis prima est ordine generationis , definitur , operatio affirmationis , & negationis expressæ , seu simplex intuitus rei. Convenit cum cæteris operationibus , quòd sit operatio ; differt autem ab illis , quòd nihil affirmet aut neget.

II. Non vnum est illius nomen ; dicitur conceptus , metaphorâ à conceptu fœminæ ductâ , quæ exceptum utero generantis semen concipit , fovet , paritque simile generanti , juxta placitum D. Augustini , lib. 7. de Trinit. *Ab objecto , & potentia paritur notitia* , ut imprimitur ab objecto , *ἐπιτύπωσις* , *imago* , seu forma rei cognitæ expressa ab intellectu tanquam pictore , idea ac species , notio , anticipatio , prout fuit priùs acquisita , ut est in vi imaginandi præsuppositivè , phantasma seu idolum. Denique apprehensio , tum quia , licèt hæc vox cuilibet cognitioni communis sit , tamen prima operatio mentis , utpote species imperfectior , sibi nomen generis vendicat : tum quia est quasi manus animi , quâ objectum veluti primò capit , trahit ad mentem velut ad judicem , eique proponit , ut circa illud sententiam per judicium ferat.

Causa efficiens apprehensionis est alia remota , eaque vel excitans , nempe objectum , vel præparans , nempe sensus externus , & internus ; alia proxima , quæ est vel principalis , nempe anima ; vel instrumentalis , nempe intellectus. Seriem ejusmodi causarum sequentibus pronuntiatis explico.

III. Primum, nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, si non per propriam, saltem per alienam speciem, quia anima cum sit pars corporis, non potest agere, nisi dependenter à corpore, quo velut carcere inclusa, nihil nisi per sensus internuntios videt: nec ideam proinde formare ullam potest, nisi quam vel hauserit à sensibus, vel certè ex iis; quæ transeunt per sensum, effinxit; hinc

IV. Secundum, oritur subordinatio potentiarum inter se, quâ intellectus pendet à phantasia, phantasia à sensibus externis, sensus externi ab objectis: v. g. vt mens humana formet hanc apprehensionem, *paries albus*. 1. paries emittit speciem sui ad oculum eamque ipsi tanquam characterem imprimit. 2. oculus illâ specie imbutus, elicit visionem, quæ est formalis imago objecti, & pictura quædam intentionalis. 3. phantasia, quia eidem trunco insita, per consensum illicò proculdit phantasma corporatum, quod parietem, vt affectum albedine ad vivum repræsentat. 4. & quoniam potentia corporata in intellectum, qui spiritalis est, agere per se, & directè non potest, idè natura solers gemino intellectu animam rationalem instruxit; altero, qui dicitur agens, & facit omnia intelligibilia, sicut lumen facit omnia visibilia: altero, qui dicitur possibilis, quia omnia intelligibiliter fieri potest. 5. intellectus agens specularatur phantasma, sicut pictor exemplar sibi ad imitandum propositum, vnde dicitur ab Aristotele converti ad phantasmata, eaque speculari, & ex phantasmate speciem intelligibilem exprimere, quæ dicitur species impressa, & virtualis imago objecti. 6. vbi intellectus agens speciem

procurit ad similitudinem phantasmatis, concre-  
dit ipsam intellectui possibili, & tanquam sigil-  
lum ceræ imprimit, vnde dicitur patiens; nam  
pati apud Philosophos, est recipere. 7. intellectus  
hac specie consignatus, producit speciem expres-  
sam, quæ est formalis imago parietis albi, &  
verbum mentis. 8. hinc operatio illa, qua intel-  
lectus patiens intuetur nudè objectum, hoc est  
*parietem album*, dicitur prima operatio mentis,  
quæ est sine affirmatione, & negatione. Deinde  
sequitur iudicium, quod affirmat, aut negat, vt  
*paries est albus*, postremò argumentatio, quæ ex  
primo iudicio infert secundum: vt *paries est albus:*  
*ergo est disgregativus visus.*

v. Terrium, hæc est itaque series operationum,  
1. objectum agit in sensum externum per spe-  
ciem à se emissam. 2. sensus externus elicit ope-  
rationem suam; oculus visionem: auris auditi-  
onem. 3. phantasia idolum fabricat. 4. intellectus a-  
gens producit speciem intelligibilem, eamque spi-  
ritalem, quam committit intellectui patienti. 5.  
intellectus patiens apprehendit objectum appre-  
hensione simplici, vel complexa: ex apprehensio-  
ne complexa format iudicium primum, & ex ju-  
dicio primo infert secundum. Porrò licet multi-  
plex sit operatio potentiarum tum materialium,  
tum spiritualium, eodem tamen tempore operan-  
tur singulæ. Vt enim moto primo horologii elate-  
re, reliqui elateres, alii aliis inserti moventur v-  
nà, & cientur: ita moto sensu externo per spe-  
ciem ab objecto allapsam, aliæ facultates inter-  
næ moventur, & agunt.

vi. Quartum, potentia cognoscentes, pictori  
non videntur absimiles; oculus enim pingit in se

objectum per speciem , visio autem est pictura : phantasia pingit in se quod est in oculo , phantasma est pictura. Denique intellectus id quod est in phantasmate , exprimit in se spiritali modo per speciem intelligibilem , pictura est conceptus, pictio est intellectio ; cum hoc tamen ordine , ut objectum perfectiùs exprimat à phantasia , quàm à sensu externo ; purgat enim speciem nonnihil à conditionibus corporatis ; intellectus perfectiùs , quàm phantasia , quia spiritali modo attingit , quod corporato , & sensibili modo vis imaginatrix percipit , ideòque dicitur ab Aristotele illustrare phantasmata.

VII. Ex dictis duo inferuntur : primum , quò perfectior est , & exquisitior operatio sensuum corporatorum , cæteris paribus , eò perfectior cognitio intellectus. Itaque ex perfecta visione oculi sequitur phantasma perfectius : ex phantasmate perfectiori perfectior intellectus apprehensio complexa : ex perfecta apprehensione perfectius iudicium : ex perfectiori iudicio perfectior argumentatio seu consequentia ; ex perfectiori consequentia , si sit in materia necessaria , & speculabili , certitudo major , & firma adhæsió intellectus ; si in materia practica , operatio perfecta , & è contrà. Meritò itaque valet híc pronuntiatum Aristotelis, *parvus error in principio , fit magnus in fine*. Si enim erret sensus externus , errabit consequenter internus : ex errore sensus interni , errorem in prima operatione oboriri pronum erit , in secundam , & tertiam subinde transfundendum , nisi intellectus , quasi iudex sensuum , sibi ab errore caveat , dispiciatque diligentius , an experientia sensuum quidquam imponat ; quæ enim percipiuntur

tur sensibus, alia plerumque, aliòve modo apparent, quàm in se sint: sic Aurichalcum auri speciem præ se fert, cùm æs tantùm sit; baculus in se rectus, & aquæ ex parte immersus, fractus apparet: itaque experientia sensuum accuratiùs expendenda, vt ideam rei veram mens exprimere valeat; aut si aliis referentibus, ideam formemus, cavendum, ne describentis autoritas imponat, vel malâ fide, vel verborum ambiguitate, vel figuratâ locutione; hinc idea, quam sensibus internuntiis formamus, perfectior plerumque eâ, quam ex aliorum relatu concipimus, quia idea sensibus circa objectum proprium ritè applicatis hausta, est rei ipsius idea; quam autem aliò referente accipimus, non tam rei est, quàm alterius priùs cognitæ, cuius ad instar concipitur, vt observat Petrus Gassendus institutionis Logicæ parte 1.

Secundum, permagni est, ideam rei primam ritè formare: hoc pronuntiatum sequitur ex primo. Deinde qualis est idea rei, talis traditur rei ipsius definitio; talis illius in species, partes, & adjuncta divisio instituitur; talis denique illius intelligitur ad alia relatio: quare monet idem author cavendum, ne temperies, vel affectio animi vel consuetudo, vel concepta animo opinio quidquam præjudicati afferat, quia quisque facilè pro ea, quâ est temperie, rerum ideas excipit: alia quippe de cibis idea sani, quàm ægri, famelici, quàm saturi. Affectus quoque animo exuendus, quia vitium transfundit in ideam. Ofori instar nævi apparet, quod est in eo, quem oderit, absolutum; ipsâ consuetudine, quod gustui per acerbum, vt dulce apprehenditur. Denique præjudicata opinio sæpiùs ideam spuriam progignit.



VIII. Apprehensionis seu ideæ causa finalis est vera rei vt in se est , & distincta cognitio ; materialis in qua , mens ipsa : formalis ratio tendendi in objectum sine affirmatione , & negatione , seu per modum puræ repræsentationis.

### §. III. *Divisio primæ mentis operationis.*

I. **P** R I M A mentis operatio est primus quasi-motus potentiæ in objectum ; quare in ea spectatur , 1. terminus à quo exit , seu potentia , 2. terminus ad quem , seu objectum , 3. modus , quo tendit , & versatur circa objectum , 4. accidentia ; hinc nascitur multiplex partitio.

I I. Ex parte objecti , prima partitio fit in simplicem , & complexam. Simplex est , quæ apprehendit objectum simplex , vt incidit in sensum , vt *Petrus* : complexa , quæ apprehendit objectum compositum , seu quæ rem vnã cum altera connexam concipit , vt *Petrus doctus*. Dixi connexam , quia inter duos conceptus , ex quibus apprehensio complexa existit , debet esse habitudo aliqua ; hinc *Petrus doctrina* , non est apprehensio complexa , sed *Petrus doctus*.

I I I. Circa eiusmodi apprehensiones cautio duplex fit ; prima , non vna res pro alia apprehendatur : v. g. lupus pro cane , aurichalcum pro auro. Secunda , res inter se nullatenus cohærentes in apprehensione jungi non debent : v. g. rugibile cum homine ; aliàs apprehensio falsa foret , vt postea ostendam.

I V. Secunda partitio ex parte objecti , fit in essentialem , & accidentariam : essentialis est , quæ rei essentia concipitur , vt *homo animal rationale* ,

quæ vel partialis est, dum pars essentia concipitur, ut si auditâ voce ista, *homo*, concipiam animal, non concepto rationali; vel integra, & totalis, quæ definitiva dicitur, cum rei tota essentia concipitur: v. g. cum auditâ voce, *homo*, concipio *animal rationale*. Accidentaria, quâ proprietates rei, vel aliquod aliud accidens attingitur: ut cum auditâ voce, *homo*, concipio *risibile*.

v. Circa apprehensionem essentia, cavendum 1. ne sit inadæquata; secus totam rei essentiam non attingeret; 2. nihil superfluum concipiat, sed vnum genus, & differentiam, quæ continent id quod est primum in re: utramque partem categoria detegit, ut jam ostendimus.

v 1. Ex parte modi, prima partitio fit in directam, & reflexam: directa est, quâ mens fertur rectâ in ipsum objectum secundum id quod habet in se: reflexa est, quâ mens fertur in conceptum objecti, seu quâ percipit objectum secundum id quod habet à mente, nempe esse cognitum, quia percipit ut prius cognitum: v. g. dum mihi hominem repræsentato, ut animal rationale, tum est apprehensio directa, quia mens fertur immediatè in hominem secundum id quod est in se: dum autem concipio animal, ut genus, rationale ut differentiam, tum apprehensio est reflexa, quia mens fertur in animal, & rationale secundum id quod habent ab ipsa mente. Differunt in duobus directa, & reflexa idea, 1. in modo tendendi, 2. quia reflexa directam supponit, sicut in locutionibus casus obliqui supponunt rectos, aut in visione oculi, reflexa directam supponit, sed non vicissim.

vii. Secunda in absolutam, & relativam.

Absoluta est , quæ rem absolutè , & sine habitudine considerat , vt si Petrum absque vlla habitudine attingo apprehensione simplici , aut si complexa sit , vtramque objecti partem æquè primò secundùm se attingo , vt *Petrus albus*. Relativâ , quâ mens in vnam objecti partem rectâ fertur , in alteram obliquè , & quasi ad latus , vt *liber Petri, domus Socratis*.

VIII. Tertia est in comparativam , & ordinativam , seu methodicam. Comparativa est , quâ mens vnum cum alio confert , & quasi componit nihil affirmando aut negando ; hæc iterum duplex , vel ejsdem cum se ipso , vel duarum rerum inter se : sic homo cum se ipso , aut cum bruto comparari potest. Comparatio duarum rerum , altera totius cum partibus , vt *anima cum homine* ; altera rerum sese excludentium , vt *hominis , & lapidis*. Comparationis rerum se excludentium triplex finis. Primus , rerum distinctio. Secundus , repugnantia , quæ inter res intercedit , cognitio. Tertius , ordinatio , ideòque methodus supponit comparationem. Certè res inter se , aut conceptus ordinantur , vel vt distinguantur inter se , vel vt opponantur , vel vt ordinentur.

IX. Circa comparationem ejsdem cum se ipso , duplex canon. Primus , comparatio ejsdem cum se ipso secundùm idem inutilis , quia comparatio omnis ex natura sua est inter duo , si non re , saltem conceptu objectivo distincta. Secundus , rei in diversis statibus constitutæ comparatio utilis ; status autem mutatur pro diversis modis essendi , vel habendi. Modos essendi diversos constituunt variæ mutationis species , de quibus in *Physica* agemus : modos habendi diversos recensuimus ,

disp. de postprædicamentis, a. 2. §. ultimo.

x. Circa comparisonem, cujus finis, distinctio, vnicus canon. Exigatur ad regulas distinctionum, quas præscripsimus 2. parte Logicæ disp. 1. §. 1. de variis distinctionum modis.

x i. Circa comparisonem rerum oppositarum, duplex canon. Primus, vt repugnantia obseruetur, mens non debet rem eandem pluribus eodem oppositionis genere opponere, sed vni tantum secundum eundem respectum; potest tamen secundum diversos respectus: sic eadem virtus duobus vitiis tanquam contraria opponi potest secundum diuersa officia excessus, & defectus. Secundus, vt finem hunc consequaris, iuvat multiplex genus oppositionis diligentius attendere, de quo disp. de postprædicamentis, art. 1.

x i i. Circa comparisonem, quæ spectat ordinem, vnicus canon. Modi prioris, & simultatis, de quibus in postprædic. consulendi, quia iuxta eos res, & conceptus ordinari debent. De comparativa operatione tantum. De methodica, vt agam fufius, sit

#### §. IV. De methodo.

1. **M**ETHODICA apprehensio, est apta compositio rerum cognoscendarum, & ad vnum quid pertinentium, vt facilius comprehendantur, & memoriæ tenacius inhæreant. Dicitur 1. apta dispositio rerum, quatenus congruit naturæ, 2. rerum cognoscendarum, quia versatur circa res, vt cognoscendas; ideoque ad disciplinas pertinet, 3. ad vnum pertinentium, id est ad idem subjectum; & quidem quadruplici modo. Vel

enim spectant subjectum vt principia , vel vt partes subjecti , vel vt species , vel vt affectiones , 3. reliquæ voces geminum finem methodi explicant , quorum primus est , vt iuuetur intellectus in rebus addiscendis ; secundus , vt memoria diutiùs retineat.

I I. Ex hac definitione , canon iste eruitur. Præmittenda in methodo , quæ ad cognitionem sequentium faciunt , cuiusmodi sunt , 1. medium , ex quo ignotum inferri debet , 2. genus , & quidquid habet rationem vniversalis ; illud quidem ad cognitionem speciei , hoc verò ad faciliorem particularium perceptionem ; vniversale enim faciliùs cognoscitur , quàm particulare , quia simplicius.

I I I. Duplex methodus , naturalis , seu artificialis , & arbitraria , seu inartificialis. Prima juxta naturam rerum , & artis normas instituitur. Secunda non tam ex rerum ordine , & regulis artis ; quàm ex arbitrio docentis , & discantis pendet.

I V. In methodo naturali servatur ordo naturæ , & cognitionis distinctæ. Ordo naturæ duplex ; alter naturæ intendentis finem ; alter naturæ generantis , seu exequentis media , qui duo ordines contrarii sunt ; quod enim primum est ordine intentionis , postremum est ordine executionis ; hinc

v. Natura ordine intentionis priùs intendit finem , quàm media ; priùs totum , quàm partes. Contrà ordine executionis , primò præmittit media fini , & primò producit partes , deinde totum. Quare cùm disciplinæ sint quasi typi rerum cognoscendarum , debet in illis tradendis ordo servari , qualem res ipsæ in natura tenent ; hinc

v I. Methodus naturæ intendentis servatur in

cognoscendis rebus contingentibus, disponendis-  
que disciplinis practicis. Methodus naturæ gene-  
rantis servatur in tractandis rebus necessariis, &  
disciplinis theoreticis. Porrò cognitio tunc distin-  
cta habetur per methodum, cùm cognoscitur cla-  
rè id omne, quod de re cognosci potest, & de-  
bet; hinc canon circa vtramque methodum, *ne  
qua pars desit, ne qua supersit*; id est nihil sit re-  
dundans, nihil mutilum, & decurtatum. Peccant  
contra hunc canonem, qui *περιωρολογία* laborant;  
peccant & compendiarii doctores, qui specie bre-  
vium compendiorum, delicatæ juventuti, nec labo-  
ris amanti blandiuntur, in quos valet illud D.  
Augustini in prologo retractationum. *Absit, vt  
multiloquium deputem, quando necessaria dicun-  
tur.*

VII. In naturali methodo quadruplex lex ser-  
vanda; prima est universalitatis; secunda unitatis;  
tertia homogeneitatis; quarta transitionis.

VIII. Lex universalitatis præcipit, vt univer-  
salia præeant particularibus, fiatque progressus ab  
iis, quæ naturâ priora sunt, ad posteriora, quia  
ordo respicit distinctam cognitionem: at univer-  
salia, & priora naturâ, notiora sunt, deinde si  
ratio rerum ordinis habeatur, natura à primis ad  
posteriora, à causis ad effecta progreditur: ergo  
& ars, quæ naturæ imitatrix est; vt enim se res ha-  
bet ad esse, ita & ad cognosci, & ipsæ scientiæ  
mensurantur à rebus, 3. de anim. tex. 36. & 10. Me-  
taph. tex. 5.

IX. Lex unitatis postulat, vt partes, quæ ante-  
cedunt, in principio certo, & sine convenient.  
Ratio est, quia ordo tria requirit, 1. finitudinem,  
nam *πᾶν ἀπειρον ἀτακτον*, omne infinitum confu-

*sum*, ex 8. *Physic. tex. 2.* ideóque individua non ingrediuntur methodum disciplinarum, 2. varietatem partium, quia ordo est parium dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens, dispositio, 3. partium consensum, seu *συνουερίαν*, quâ partes inter se concinentes, à principio certo, ac sine pendent.

x. Lex homogeneitatis exigit, vt quæ sunt ejusdem generis, in vna disciplina tradantur: sunt autem ejusdem generis, quæ pertinent ad idem subjectum, vt in scientiis speculativis; aut ad eundem finem, vt in practicis disciplinis: hæc lex sequitur ex prioribus. Ratio est, quia vbi ordo, ibi & limitata distinctio: at distinctio excludit ea, à quibus distinguit, & quod est distinctum, id, à quo est distinctum, expungit.

xI. Lex transitionis duo præstat, 1. repetit quod dictum est, & proponit quod dicendum superest; deinde cohærentiam dicendorum cum antedictis innuit.

xII. Naturalis methodus, alia synthetica, alia analytica. Ratio à priori est, quia duplex ordo naturæ; alter intendentis finem, à quo proinde natura incipit, & desinit in media: alter naturæ generantis, quæ incipit à mediis, & desinit in finem, ideóque habet media pro termino à quo, & finem pro termino ad quem

xIII. Synthetica, seu compositiva orditur à principiis simplicissimis, vt ad ea, quæ ex iis componuntur, perveniat; ideóque sequitur ordinem naturæ generantis, quæ opera sua à simplicissimis corporibus orditur.

Viget in disciplinis theoreticis, quarum partes ita disponit, vt à subjecto contemplationis vni-

versali ad particularia , hoc est à simplicibus ad composita progrediatur : sic Physica de corpore naturali primùm ; tum de principiis , & affectionibus ejusdem agit ; pòst ad species corporis naturalis delabitur , nempe ad corpus simplex , vt cælum , mixtum vel imperfectè , vt meteora , vel perfectè , quod vel inanimatum , vel animatum , &c.

xiv. Partes methodi syntheticæ tres , 1. subjectum , quod debet esse vnum vnitate collectionis , & vniuersalitatibus , & de quo præcognoscendum , quòd sit , & quid sit ; 2. principia , & causæ , quorum præcognitio duo includit , quòd sint , & quid significant ; 3. affectiones , de quibus præcognoscendum , quòd significant. Plura vide apud Zabarellam , lib. de tribus præcognitis , cap. 1. & lib. 1. de meth. c. 6. &c.

xv. Analytica seu resolutive , à fine ad media ipsi proxima , à proximis ad remotiora tandiu progreditur , donec ad simplicissima perveniat. Breviùs , rem compositam resolvit in principia ; vnde sequitur ordinem naturæ intendentis , quæ primò finem intendit , deinde media. Certè finis est quasi quid compositum ex mediis , ideòque media dicuntur principia finis , & finis principiatum : sic eruditio est quid compositum , collectumque ex multis studiis.

xvi. Valet hæc methodus in disciplinis practicis , quarum partes ita disponit , vt à notione finis ad notitiam mediorum , seu principiorum progressio fiat , per quæ finis acquiritur. Aristoteles enim 7. Metaph. tex. 23. disciplinas actuosas monet à præcognitione finis initium ducere , vt artem fabrilem à præcognitione domus. Ratio est,



quia, ut jam dixi, finis est primum operationis principium, & mensura mediorum omnium: sic in medicina sanitas, vel conservanda, vel recuperanda præsupponitur; 2. subjectum, cui sanitas vel conservanda, vel vindicanda; 3. cognitio morborum; 4. mediorum usus, & applicatio. Eandem quoque methodum in ethica Aristotelis servari ostendimus disp. proœmiali, a. 2. §. 1. hinc

xvii. Tres hujus methodi partes, 1. finis introducendus, de quo prænosendum, quòd sit, id est quòd parabilis sit, & quid sit. Porrò vnitas actuosæ disciplinæ pendet ab vnitate finis, sicut vnitas disciplinæ contemplatricis ab vnitate subjecti, 2. subjectum, cui finis acquiritur, cujus præcognitio triplex, 1. quòd sit, deinde quòd finis capax sit, demùm quòd accidentia habeat ad finem pertinentia, 3. media, quibus finis parari, & in subjectum induci queat, in quibus progressio ab vniversalibus ad particularia, & à simplicibus ad composita fieri debet.

xviii. Methodus arbitraria triplex; deficiens, cùm omittuntur addenda; redundans, cùm adduntur superflua; inversa, cùm posteriori loco tractantur, quæ priori videbantur tractanda. Itaque tota est in omissione, additione, inversione. Omitti solent, quæ nocitura videntur dicenti, vel fastidiosa auditori, licèt ad causam pertineant. Adduntur, quæ licèt ad causam non admodum faciant, auditorem tamen detinent ac recreant. Invertuntur quædam cum arte, ne ars ab auditore detecta, assensum impediatur: vnde pronuntiatum, *summa artis est occultare artem.*

Colliges, quàm inferiores sint disciplinis contemplatricibus Rhetorica, & Poëtica; illæ enim

methodum naturæ servant : hæ plerumque arbitriam.

§. V. *Reliqua divisiones apprehensionis.*

I. **Q**VARTA partitio apprehensionis ex parte modi, & accidentium, fit in præscindentem, abstractivam, intuitivam, comprehensivam, distinctam, & confusam.

II. Præcisiva est, quâ vnum mens concipit, alio non concepto, cum quo vel idem est realiter, vel conjunctum, vt dum concipio albedinem, non concepto pariete, cui inhæret, aut dulcedinem lactis, non conceptâ albedine, aut in fabrica naturæ vniversalis, animalitatem præcisè, hoc est vitam sentientem cognosco, non conceptâ rationalitate, aut irrationalitate, cum quibus est quid idem in natura.

III. Abstractiva est, quâ aliud cognoscimus per aliud prius notum : sic substantias cognoscimus abstractivè per accidentia, quibus afficiuntur, spiritus per corpora, Deum per creaturas, vinum vendibile per hederam pensilem. Porrò cognitionis abstractivæ triplex affectio, 1. est inadæquata, 2. per alienas species, 3. obscura.

IV. Intuitiva est, quæ rem percipit vel in se, hoc est per ejus essentiam, vel per propriam speciem : ita Deus novit se intuitivè, quia se ipsum in se ipso, & per se ipsum intuetur. Item & creaturas, quia eas percipit in se ipsis, non vnam per aliam : oculus albedinem intuitivè videt, quia per propriam illius speciem attingit, quæ idem præstat, ac si ipsa albedo oculo inesset, vtpote quæ sit esse albedinis intentionale, & repræsentativa.

tivum ; hinc intuitiva tendit in rem præsentem, vt præsens est , abstractiva in rem , vt non est præsens.

v. Comprehensiva est, quæ exhaurit cognoscibilitatem rei , seu quâ res cognoscitur , quantum cognoscibilis est ; cognoscitur autem res , quantum cognoscibilis est , cum cognoscitur secundum id omne , quod in se continet tam formaliter , quam eminenter in sua virtute , & potentia : sic intellectus divinus cognoscit omnia comprensivè , vtpote infinitus in omni genere perfectionis , adeoque infinita cognoscendi vi pollens : duplex autem comprehensio , altera perfecta , quæ idem est ac intuitiva , de qua antè , altera perfectissima , quam hîc definivimus.

vi. Distincta notio est , quâ totum cognoscitur inspectis partibus , quibus constat , aut certè si simplex sit , & vniusmodi , ab aliis entibus distinctum , quia cum partes non habeat , satis est , quòd attingatur sicuti est : at non habet partes distinctas , quatenus simplex : hinc Angelus secundum essentiam physicam distinctè cognoscitur ab eo , qui penetrat eandem essentiam cum simplicitate perfecta ex parte objecti ; vt autem distinctè cognoscat essentiam metaphysicam debet distinguere inter partes metaphysicas , hoc est inter genus , & differentiam , immò & inter gradus subalternos , putà in hominè inter animal , & vivens , inter vivens , & corpus , inter corpus , & substantiam , si cognitio distinguens sit in ultimo gradu perfectionis ; sufficit tamen ad cognitionem absolutè distinctam , rem cognoscere secundum partes proximas , & prædicata essentialia vltima , id est secundum genus proximum , &

differentiam propriam , quia sufficienter explicat rei essentiam , & distinguit ab aliis : vt dum in homine animal , & rationale distinctè cognosco.

V I I. Confusa notitia est , quâ totum cognoscitur permixtîm , id est non distinctis partibus , quibus constat , seu quæ in eadem re diversa confuso intuitu inspicit , non distinguit.

V I I I. Circa distinctam , & confusam cognitionem quatuor canones. Primus , eadem cognitio aliquando est simul distincta , & confusa respectu diversorum , quia eadem cognitio potest simul esse intuitiva , & abstractiva ; talis cognitio , quâ Angelus attingit distinctè causam , & confuse omnes effectus. Secundus , eò perfectior singularis idea , quò plures partes , & adjuncta rei plurâ representat : generalis verò eò perfectior , quò purius representat id , in quo singularia conveniunt , sive sit idea aggregans , sive sit abstrahens. Tertius , causa confusæ apprehensionis multiplex. Prima , rerum in eodem subjecto conjunctio , quâ fit , vt quæ vnâ junguntur , diversa quidem , sed promiscuè , & indiscriminatim cogitentur. Secunda , simultanea rerum perceptio ; pronum enim est , quas simul haurias imagines , permiscere ; hinc facilius rerum confusio , quæ eodem sensu percipiuntur , quàm quæ diversis , nisi contrariæ , & repugnantes sunt ; sic facilius mens confundit figuram cum colore , quam colorem cum sapore. Item faciliè confunduntur , quæ eodem tempore apprehenduntur ; deinde essentialia cum accidentibus , quia sola accidentia sensu percipiuntur ; superiora cum inferioribus , communia cum propriis. Tertia , similitudo , vt si quis duo ova successivè mihi ostendat , existimo esse idem , &

ita confundo vnum cum alio , quanquam tunc est potius error , quàm confusa notio. Quarta , communis , & ambigua vocum significatio. Quinta , multitudo conceptuum de vna eademque re imperfectorum. Quartus , confusionsi idearum medetur tum tractatio vniversalium , tum categoria multiplex , vt jam ostendi.

ix. Apprehensio ex parte potentix , alia virtualiter suauis , alia non item ; prima per se in mente iudicium gignere potest , vel iudicio æquiualeat ad agendum : talis est apprehensio simplex objecti sensibilis per propriam speciem sensu externo actu percepti ; vim enim habet generandi iudicii in mente de existentia illius objecti , aut de distractione , & dissimili illius ab aliis ratione. Item apprehensio primorum principiorum ex ipsis terminis. Denique apprehensio , quæ est fructus iudicii practicè practici. Secunda secus se habet.

x. Apprehensio ex parte quantitatis ; alia vniversalis , alia particularis , alia singularis : de quibus postea.

xi. Apprehensio ex parte qualitatis , alia vera , alia falsa ; vera est quæ est conformis objecto ; falsa , quæ difformis : sed hîc nascitur gravis quæstio inter Philosophos , an sit veritas , & falsitas in prima mentis operatione. Occasionem dedit huic quæstioni Aristoteles , dum pronuntiavit quemdam intellectum esse sine vero , vel falso ; quemdam verò , cui necesse sit verum aut falsum inesse : vt solvatur quæstio , sit



§. VI. *Quaedam observanda.*

2. **D**VPLEX compositio in operationibus mentis, altera ex parte actus, altera ex parte objecti; compositio ex parte actus fit per affirmationem, sicut divisio per negationem; hinc Aristoteles secundam operationem vocat compositivam, & divisivam. Compositio ex parte objecti est, cum objectum ex multis compositum cognoscitur: v. g. cum mens plura simul conjuncta apprehendit, sive vnum sub alio, sive in alio, sive cum alio, ut subjectum cum accidente, aut ipsam conjunctionem; hinc

I I. Apprehensio non est composita ex parte actus, quia compositio ex parte actus est affirmatio aut negatio: nuda apprehensio nihil affirmat, aut negat: ergo non est compositio ex parte actus, nec refert, quod apprehensio complexa ex multis actibus unitis coalescat, quia cum non componat, nec dividat per copulam *est*, dicitur simplex ex parte actus. *Quanquam*

I I I. Apprehensio potest dici composita tripliciter, objective, representative, & entitative: composita dicitur objective, cum versatur circa objectum quidem compositum, sed ipsam compositionem non representat. Porro objectum dicitur compositum dupliciter, vel cum realiter ex diversis rebus constat, vel cum re idem est, sed in ordine ad intellectum multiplex est ob diversas æquivalentias, quibus substat pluribus conceptibus inadæquatis. Composita representative est, quæ non objectum modò, quod compositum est, sed ipsam compositionem representat: talis est appre-

hensio , quæ non tantùm Petrum , & doctrinam , sed vtriusque nexum repræsentat. Denique composita entitativè , quæ ex multis conceptibus simplicibus coalescit , nihilque aliud est , quàm existentia plurium actuum simul.

IV. Veritas vt sic , est conformitas vel rei cum sua idea , vel cognitionis cum objecto , vel locutionis cum mente. Prima dicitur veritas entis , seu in essendo , & transcendentalis , in eo vtrique posita , quòd res dicatur vera , quæ conformitatem habet cum idea sua : sic creata omnia entia dicuntur vera veritate transcendentali , quia sunt conformia ideæ divinæ. Veritas cognitionis , seu Logica , repræsentat objectum tale in mente , quale est in se. Veritas locutionis , seu moralis , & in dicendo , est conformitas locutionis , nutuum , & aliorum signorum , cum mente nostra. Fundatur in veracitate , quæ est quædam inclinatio ad dicendum verum.

V. Veritas cognitionis duplex , altera simplex quæ est conformitas , seu adæquatio apprehensionis cum re cognita , affirmationis , aut negationis expers ; altera complexa , quæ est conformitas intellectus componentis , vel dividensis , id est primò , vel secundò affirmantis vel negantis , cum objecto. Prima dicitur veritas sensus , quia sensibus convenit , vel signi , quia competit signis , vel imperfecta , quia est quasi initium veritatis , quæ habetur per secundam , & tertiam operationem. Secunda verò dicitur propria mentis , quia sensibus non convenit , & veritas iudicii aut illationis , quia oritur ex compositione prædicati cum subjecto , vel consequentis cum antecedente. Denique perfecta.

V I. Veritati opponitur falsitas, quæ duplex est, altera positiva, vel potius privativa, quæ est difformitas cognitionis cum objecto, cui cognitio conformis esse debet: altera negativa, quæ est difformitas negativa cognitionis cum objecto, circa quod cognitio versari non debet: v. g. conceptus, quem formo de homine, est difformis cognitioni lapidis negativè, quia non repræsentat mihi lapidem, nec repræsentare debet: sic dum concipio aurum, tanquam aurichalcum, cognitio mea habet difformitatem negativam cum aurichalco, quia non repræsentat aurichalcum, sed aurum; hæc autem difformitas negativa, non sufficit ad falsitatem propriè dictam, quia est difformitas cum objecto alieno, non proprio.

V I I. Rursus falsitas privativa duplex, alia simplex, seu incomplexa; alia complexa. Prima respondet veritati incomplexæ. Secunda, veritati complexæ.

V I I I. Veritas spectari potest, vel ut est in rebus, vel ut in mente, vel ut in voce. In re veritas objectiva, seu causalis inest, quia objectum cognitum est mensura veritatis, aut falsitatis formalis, quæ est in cognitione; in mente inest, ut in proprio subjecto veritas, aut falsitas formalis. Denique in vocibus est ut in signo, quia enunciatio vocalis veritatem, aut falsitatem enunciationis mentalis significat. Quare veritas formaliter sumpta, & intrinsecè reperitur tantùm in mente: extrinsecè autem in vocibus, sicut sanum intrinsecè, & formaliter est in homine; extrinsecè autem in medicina, & colore.

I X. Veritas nihil addit reale, & intrinsecum cognitioni ab eadem realiter distinctum; quia



cùm sit conformitas quædam , dicit tantùm actum ,  
 vt connotantem objectum , vel respectum actus ad  
 objectum.

§. VII. *An veritas , & falsitas sint in  
 apprehensione.*

I. A S S E R T I O. I N prima operatione sive complexa  
 sive incomplexa , non est veritas  
 aut falsitas complexa. Prob. veritas aut falsitas  
 complexa oritur tantùm ex affirmatione , aut ne-  
 gatione : in prima operatione sive simplici , sive  
 complexa , nec est affirmatio nec negatio : ergo in  
 prima operatione sive simplici , sive complexa ,  
 non est veritas , aut falsitas complexa.

II. A S S E R T I O. Veritas incomplexa , seu sim-  
 plex reperitur in prima mentis operatione.

Prob. 1. Ex Aristotele lib. 3. de anima , cap. 5.  
 text. 26. *Est autem , inquit , dictio quidem quid-  
 piam de quopiam , quemadmodum affirmatio : at-  
 qui omnis est vera vel falsa , at intellectus non  
 omnis , sed qui est ipsius quid est , secundùm ipsum  
 quid erat esse , verus est , & non aliquid de aliquo ;  
 sed ut visio proprii vera est.*

2. Ex D. Thoma , lib. 3. de anima , cap. 6. lect.  
 11. *Licet , inquit , intelligibile incomplexum non sit ,  
 neque verum , neque falsum ; intellectus tamen in-  
 telligendo ipsum verus est , in quantum adequatur  
 rei intellecta : ergo ex Aristotele , & D. Thoma , in  
 apprehensione simplici datur veritas si non dictio-  
 nis , at certè conformationis , & signi.*

Prob. 3. ratione : simplex conformitas imagi-  
 nis , seu cognitionis cum objecto est incomplexa  
 veritas : prima mentis operatio sive simplex , sive  
 complexa , est capax simplicis conformitatis cum

objecto : ergo est capax veritatis incomplexæ. Minor prob. nam vna apprehensio , v. g. quâ *hominem* attingo , & altera , quâ *animal rationale* cognosco , habent simplicem conformitatem cum objecto , ipsique adæquantur : ergo sunt conformes suo objecto , adeoque veræ veritate simplici.

Confirmatur : Apprehensio necessariò habet objectum , quod repræsentet , vtpote quædam imago , at non repræsentat nisi per similitudinem intentionalem objecto conformem ; illa autem conformitas est veritas. Et verò dantur aliæ veritates , quæ sunt conformitates incomplexæ , vt veritas entitativa in re qualibet , aut veritas signi in naturalibus signis : sic aurum est verum aurum , & fumus verè significat ignem : ergo conceptus simplex est verus conceptus rei , cui consentit. Ratio est , quia cognitio potest conformari rei , vel per repræsentationem , vel per affirmationem.

Confirmatur 2. Apprehensio simplicium , quò objectum profundius pervadit , eò magis ad veritatem iudicii conducit , vt patet in primis principiis , quorum assensus evidens , non resultat ex aliis principiis præcognitis , sed ex nuda terminorum apprehensione ; hinc qui principia celerius , penitusque pervadunt primo intuitu , utique perfectius cognoscunt.

III. A S S E R T I O. In apprehensione simplici nunquam potest reperiri falsitas incomplexa privativa , sed ad summum negativa , & impropria.

Pr. 1. Ex Aristotele lib. 3. de anima , cap. 5. text. 21. *Indivisibilem intellectio* , in his , circa qua non est falsitas. ἢ τῶν ἀδιαιρέτων νόσις ἐν τέτοις , καὶ ἀνεῖσι τὸ ψευδὸς , & lib. 9. Metaph. cap. ultimo : sic loquitur de simplici intellectu ; attinge-

*re objectum ipsum, est verum; non attingere autem est ignorare; quare quacumque sunt ipsum esse quid, & actu, id est, quæcumque sunt significativa alicujus simplicis conceptus, circa hæc non est decipi, sed intelligere, aut non.* Ex quo sic argumentor: vel apprehensio incomplexa attingit objectum totum vel non. Si primum, verè cognoscit. Si secundum, nullo modo attingit, sed ignorat; nam si attingeret, attingeret utique secundum partem: at in objecto simplici, & indivisibili non datur pars: ergo si non attingit, nullo modo attingit: ergo non est falsitas saltem privativa in apprehensione simplici, siquidem objectum simplex non attingere, est ipsum ignorare.

Confirmatur: Si quis Petrum vellet pingere, & pro Petro, Paulum pingeret; illa imago foret quidem vera imago Pauli, nullatenus imago Petri: ergo à pari, qui simplici apprehensione aurichalcum attingit, cum audit hanc vocem, *aurum*, quod tantum debet apprehendere; aberrat ille quidem à scopo, sed ipsius apprehensio non est falsa, nisi negativè, quia nullo modo apprehendit aurum.

Prob. ratione: Apprehensio, in qua est falsitas privativa, repræsentat objectum aliter, quàm sit: apprehensio simplex non potest repræsentare objectum aliter, quàm sit: ergo non potest esse falsa falsitate privativa. Prob. minor: ut objectum repræsentetur aliter, quàm sit, duo debent concipi, 1. objectum, 2. aliquid objecto junctum, quod jungi non debet, vel divisum ab eo, quod dividi non debet, vel ut alii loquuntur, debet apprehendi aliquid tanquam conveniens objecto, quod non convenit, vel tanquam disconveniens, quod reipsa convenit: at quando objectum est planè

simplex, & individuum, duo non possunt concipi: ergo non potest objectum simplex repræsentari aliter, quàm sit.

I V. A S S E R T I O. Apprehensio complexa, falsa esse potest aliquando. Pr. tunc falsa est apprehensio, cùm apprehenditur objectum aliter, quàm est: apprehensio complexa aliquando apprehendit objectum aliter, quàm est, quia apprehendit interdum objectum, & aliquid tanquam ipsi conveniens, quod non convenit, vt dum apprehendimus rotunditatem in turre quadrata: aut tanquam disconveniens, quod ipsi reipsâ convenit, vt dum apprehendimus hominem, non risibilem.

Dixi assertionem 3. In apprehensione simplici, si quæ sit falsitas, esse impropriam, quatenus nempe est falsitas causalis; pronum enim est, vt qui aurum pro aurichalco apprehendit, falsò statim iudicet, id quod videt suis oculis, esse aurum. Deinde dici potest falsa relativè ad objectum cognoscendum, quod est aurichalcum, aliud enim cognoscitur loco ipsius; sed quia accidentale est tali cognitioni, vt ad aurichalcum referatur, quod ipsa non repræsentat, ideò impropria est tantùm illa falsitas: quia autem essentialis est illi, vt refertur ad aurum, quod verè repræsentat, ideò veritas illa est propria, quia est conformitas cum objecto proprio.

### S. VIII. *Diluuntur objecta.*

**O** B I I C I E S I. Passim negat Aristoteles in prima operatione reperiri veritatem aut falsitatem.

Resp. negat esse veritatem complexam, quæ oria-

tur ex affirmatione aut negatione, concedo : incomplexam , quæ est repræsentatio objecti nuda, nego. Iterum dist. negat esse falsitatem in prima operatione simplici , concedo : in prima operatione complexa , nego , vel subdist. falsitatem, quæ fit orta ex affirmatione aut negatione , concedo : quæ fit difformitas apprehensionis complexæ, nego. Certè censet Aristoteles sensum posse decipi lib. 3. de anima , cap. 4. non per se quidem , sed per accidens ; *Sensus* , inquit , *propriorum objectorum semper est verus , aut quàm minimùm habet falsitatis* : ergo falsitatem incomplexam agnovit Aristoteles in apprehensione complexa , sicut in sensu.

Porro minimum falsitatis ait esse in sensu , quia fallitur tantùm per accidens , nempe vel ratione organi malè affecti , vel ob nimiam objecti distantiam , vel quia versatur circa sensibile commune , putà circa magnitudinem , tempus , motum : at circa proprium objectum nunquam fallitur , si debite applicetur. Vt enim res naturalis , à forma naturali propria nunquam deflectit , ab accidentaria autem aliquando : v. g. homo non potest non esse rationalis , at potest esse cæcus , vel claudus ; ita nulla potentia cognoscitiva ab iis , quæ ipsi insunt primariò , & per se , aberrare potest , licèt ab iis , quæ insunt secundariò , & per accidens , aliquando aberrat ; at sensui inest sensibile proprium , i. & per se , sicut intellectui i. & per se insunt rerum quidditates , & primæ notiones. Quare errat tantùm intellectus circa quidditatum comparisonem ad subjecta , cum vel dissentanea conjungit inter se , vel subjectis ineptè affingit , quæ iisdem non conveniunt , aut separat,

quæ conveniunt. *Sensus*, inquit Aristoteles lib. 3. de anima, cap. 6. *non decipitur, quòd sit color, sed quòd sit coloratum, & ubi sit.* Ita dum lingua bile suffusa amarorem sentit, verè amarorem percipit, sed in eo est error, quòd amaror tribuatur cibus quasi iisdem insitus, licèt vni linguæ inhæreat.

Objicies 2. Qui videns aurichalcum, apprehendit aurum, decipitur; ergo falsa est illa apprehensio, licèt incomplexa sit.

Resp. 1. dist. ant. Decipitur, præcisè apprehendendo aurum, nego. Decipitur iudicio consequente, quo se iudicat vidisse aurum, transeat ant. & nego conseq. 2. distingo; qui videndo aurichalcum, apprehendit aurum apprehensione simplici, decipitur, nego, quia ejus apprehensio nullatenus apprehendit aurichalcum, sed ignorat: qui apprehendit aurum apprehensione complexa, & aurum repræsentando in eo loco, ubi est aurichalcum, decipitur, concedo; tunc enim repræsentat aurum aliter, quàm sit: at non est amplius objectum simplex, sed compositum nempe ex auro, & aurichalco: ergo apprehensio est complexa, non simplex.

Instabis 1. Quod videt oculus, mens apprehendit: oculus videt aurichalcum: ergo mens apprehendit aurichalcum.

Resp. 1. nego majorem: Nam aurichalcum est objectum solius oculi, dum aurum est objectum mentis. 2. dist. quod videt oculus proximè, mens apprehendit, nego: quod videt remotè, id est vidit aliàs, concedo: aurum quippe vidit aliàs oculus, cujus species memoriæ concredita excitatur ad præsentiam aurichalci ob quandam similitudi-

nem, incipitque radiare, & ad speciem auri expressam, cum intellectu formandam concurrere; & ita solum aurum apprehenditur, dum ignoratur aurichalcum.

Instabis 2. Dum fulgor aurichalci sensum movet, dat occasionem menti, ut apprehendat verum aurum: ergo falsa est apprehensio auri.

Resp. probari quidem hoc argumento, dari falsitatem quandam causalem in aurichalco, non formalem, quatenus dat occasionem errori, & deceptioni iudicii, cujus apprehensio incapax est; quare dist. conseq. apprehensio auri est falsa casualiter, id est fallax, transeat. Est falsa formaliter, nego; aut si falsa est, falsa est tantum improprie, & relative ad objectum repræsentandum, non proprie, & respectivè ad objectum repræsentatum.

Objicies 3. Apprehensio simplex est capax veritatis: ergo & falsitatis, nego conseq. Ratio disparitatis est, quia quod est simplex, vel totum cognoscitur ut est; vel totum ignoratur: at in neutro est falsitas, aut si in secundo falsitas quædam sit, est tantum causalis, impropria, & relativa ad objectum repræsentandum: objectum verò complexum potest repræsentari, partim ut est, partim ut non est.

Instabis: Idem est subjectum contrariorum: ergo apprehensio simplex, si est subjectum veritatis, erit etiam falsitatis.

Resp. cum Ægidio quodlib. 4. q. 7. veritatem simplicis apprehensionis non habere contrariam ex specifica ratione sua, quia si attingit objectum, dicitur vera; si non attingit, falsa non dicitur, sed non cognoscens objectum. Deinde pro-

baret axioma cognitionem perfectè intuitivam esse capacem falsitatis , 3. probabiliùs intellectus , non operatio , est subjectum falsitatis formalis , & actus dicitur verus aut falsus causaliter , & negativè juxta principia tradita 1. parte disp. 2. a. 1. §. 2.

Objicies 4. Abstractio est apprehensio simplex : abstractio est aliquando falsa : ergo apprehensio simplex est aliquando falsa. Prob. min. quæ operatio repræsentat separatum , quod non est separatum , est falsa : abstractio repræsentat separatum , id quod non est separatum , sed idem cum re : v. g. cum apprehendo rationale , non apprehendo Petrum , cum quo idem est realiter. Ut respondeam ,

Nota apprehensionem duplicem esse , intuitivam , & abstractivam : abstractiva , vt hîc sumitur , rem repræsentat , abstrahendo ab ejusdem existentia , vt si turrim apprehendas , quam nunquam videris , aut de qua nil vnquam audieris. Intuitiva rem repræsentat vt actu existentem ; hæc iterum duplex , intuitiva perfectè , quæ attingit rem per speciem propriam rei , vt actu existit , & non per speciem vitiatam. Intuitiva imperfectè quæ est cognitio rei per speciem vitiatam ex parte : v. g. ratione medii , per quod species trajicitur. Intuitiva differt ab abstractiva , 1. quia intuitiva sequitur operationem sensus externi , non abstractiva. 2. quia per intuitivam intellectus inclinatur vt judicet rem existere de facto talem , qualem apprehendit : v. g. si videas baculum fractum in aqua , prope est vt fractum judices. His positis ,

Tres propositiones statuo , quæ tertiam , & quartam assertionem illustrent.



I. In apprehensione composita , abstractiva rei possibilis , non est falsa. Prob. quia nunquam est difformis objecto , remque repræsentat , qualis est possibilis : v. g. dum apprehendis turrim quadratam , abstrahendo ab illius existentia ; & verò si falsa esset hæc apprehensio , maximè ratione existentia , quam non apprehendit : at ipsa abstrahere supponitur ab eo , quòd subjectum existat , vel non existat.

II. Apprehensio composita rei impossibilis potest esse falsa : sic apprehensio hominis vt rugibilis , falsa est , quia aliter repræsentat hominem , quàm sit , aut esse possit.

III. Apprehensio composita rei non impossibilis , potest esse falsa. Prob. exemplis v. g. dum apprehendis solem bipedalem , vel turrim quadratam , quæ rotunda sit , vtrumque non est impossibile , & tamen non ita se res habet à parte rei : ergo apprehensiones intuitivæ rerum non impossibilium possunt esse falsæ.

Confirmatur : Cognitio , quâ apprehendis baculum fractum in aqua , qui non est fractus , vel est conformis cognitioni , quam Deus de ipso habet , vel non. Si primum , ergo Deus cognoscit baculum vt fractum , quod nemo dixerit. Si secundum , ergo cognitio tua est difformis cognitioni divinæ , adeoque falsa , quia cognitio difformis veræ cognitioni , falsa est.

Dices , apprehensiones illas non esse baculi , aut solis bipedalis , sed aliorum objectorum , quibus occasionem præbuerunt prima objecta.

Contrà : Sensus exercet suam sensationem circa illud objectum , quod speciem in ipsum transmittit : at hæc turris , hic sol , hic baculus speciem

fui ad oculum transmittunt , licèt te ipsâ turris rotunda non sit , nec sol bipedalis , nec baculus fractus : ergo sunt objecta sensus propria , adeò-que ipsius intellectus , qui percipit objectum , quod in sensus incurrit. His positis ,

Resp. ad argum. dist. Cognitio , quæ separat positivè vnum ab alio , est falsa , concedo : quæ separat tantùm negativè , nego. Porrò dicitur id separari negativè ab alio per cognitionem , quod non repræsentatur per intellectum , licèt id ipsum , cui jungitur repræsentetur , vt dum concipio animal in Petro , non conceptâ petreitate , aut rationalitate : positivè autem , quod repræsentatur quasi separatum ab eo , cum quo idem est. Primum separationis genus nihil falsitatis arguit in cognitione , sed inadæquatam tantùm cognitionem ; hinc placitum Philosophorum : *abstrahentium non est mendacium* , quia ad veritatem cognitionis non opus est repræsentari id totum , quod est in objecto ; sed sufficit repræsentari id quod inest subjecto , cognitio enim est imago objecti , saltem inadæquata ; at imago repræsentans caput , aliis partibus non repræsentatis , non est falsa , sed inadæquata. Separatio autem positiva falsa est , quia objectum totum repræsentat aliter , quàm sit , hoc est partem extra partem : abstractiva porrò apprehensio , quâ res cognoscitur , abstrahendo ab existentia , separat tantùm negativè.

Instabis i. Apprehensio , quâ cognoscitur res separata negativè ab existentia , repræsentat rem separatam negativè ab existentia : res non est separata negativè : ergo rem repræsentat aliter , quàm sit.

Resp. dist. maj. Repræsentat rem separatam ne-

gativè , negatione se tenente ex parte objecti , nego : ex parte intellectûs , concedo : verbo dicam , intellectus habet negationem cognitionis existentia , id est , non cognoscit existentiam , sed non cognoscit negationem existentia , quæ duo multùm differunt , quia cognoscere negationem existentia importat aliquid positivum ex parte cognitionis , & negationem ex parte objecti ; sicut cognoscere cæcitatem in Petro , importat actum positivum ex parte intellectûs , & privationem visûs ex parte rei ; at habere negationem existentia in cognitione , nihil dicit negativum ex parte objecti , sed tantùm ex parte intellectûs abstrahentis , nempe non cognitionem existentia.

Objicies 4. Saltem vt fiat hæc propositio negativa , *Deus non est mendax* , semper prærequiritur apprehensio falsa : ergo falsum prærequiritur ad verum. Pr. anteced. vt hæc propositio mente formetur , debet præire apprehensio complexa terminorum istorum *Dei* , & *mendacis* at hæc apprehensio est falsa , vtpote difformis objecto suo.

Resp. dist. conseq. Ergo falsum incomplexum prærequiritur ad verum complexum , concedo : falsum complexum , nego : at cur potius requiritur falsum incomplexum , quàm complexum , ad verum complexum ? Resp. quia in falsitate incomplexa , mens non decipitur , nec errat , quia iudicium formale non exercet. Deinde illa apprehensio *Dei mendacis* , non est iudicium virtuale , & dispositio proxima ad iudicium formale , quia illam intellectus non respicit tanquam dispositionem , seu materiam , ex qua formale iudicium

conficiat , sed hanc potius , *Deum non mendacem.*

Objicies 5. Apprehensio , quâ attingitur turris ut rotunda , quæ quadrata est , phantasmati conformis est : ergo est vera.

Resp. nego conseq. Non enim sufficit ad veritatem cognitionis , si sit conformis phantasmati , nisi etiam objecto conformis sit , quia phantasma non est objectum cognitionis , sed res extra mentem posita : ergo cum cognitio difformis sit turri , quæ est à parte rei , & genuinum illius objectum , idè est falsa. Ratio est , quia mensura veritatis in prima operatione , non est objectum intentionale , sed reale.

Instabis 1. Cognitio est conformis phantasmati : ergo vera est.

Resp. dist. ant. Phantasmati falso , concedo : vero , nego ant. & conseq. Certè imago similis alteri imagini falsæ , vera non est.

Instabis 2. Saltem conceptus , quem Deus de conceptu meo falso habet , esset falsus. Prob. conceptus similis conceptui falso , est falsus ; conceptus Dei esset similis conceptui falso : ergo esset falsus.

Resp. dist. maj. Conceptus similis conceptui falso , tam repræsentativè , quàm entitativè , est falsus , concedo : similis tantùm repræsentativè , nego. Porrò conceptus falsus , tam repræsentativè , quàm entitativè ille est , qui & repræsentat rem falsam , & in se falsus est falsitate formali , vel causali. Repræsentativè tantùm falsus , qui repræsentat objectum falsum , quatenus falsum est , licèt sit in se verus. At conceptus Dei est similis , tantùm repræsentativè conceptui falso , quem

cognoscit, non entitativè, quia in se non est falsus, sed est conceptus verus objecti falsi. Quando autem meus conceptus habet pro objecto turrinam rotundam, quæ quadrata est, est imago rei falsæ, quia rem repræsentat aliter ac in se sit. Contrà verò Dei conceptus repræsentat conceptum meum, ut objectum re ipsâ falsum. Apprehensio intellectiva, & phantasma ut comparantur inter se, repræsentant idem objectum nempe turrinam, ut rotundam: ergo si phantasma falsum est, ipsa quoque apprehensio erit falsa. Pinge imaginem falsam, & alteram ex eâdem exprime, utraque erit falsa, quia secunda imago non tam est primæ imaginis imago, quàm objecti, seu prototypi.

Instabis 3. Apprehensio est imago essentialis objecti: ergo non potest esse illi difformis.

Resp: dist. antec. Est imago essentialis objecti, prout objicitur, concedo; prout est, nego: at falsitas apprehensionis non petitur à re, prout est; sed prout aliter objicitur, quàm sit à parte rei.

Instabis 4. Cognitio apprehendens turrinam, ut rotundam, est abstractiva, non intuitiva: ergo non potest esse falsa. Prob. ant. cognitio intuitiva est cognitio rei, ut in se est: cognitio turris, ut rotundæ, quæ est quadrata, non est cognitio rei, ut in se est: ergo non est intuitiva.

Resp. disting. maj. Cognitio intuitiva perfectè, concedo: imperfectè, nego: at cognitio turris, ut rotundæ est intuitiva imperfectè; intuitiva quidem, quia est virtualiter judicativa, nihilque propius est, quàm ut posita illâ apprehensione, mens de existentia objecti judicet. At cognitio virtualiter judicativa, habet id, quod est proprium intui-

tivæ cognitionis saltem ex parte ; est enim de turri, ut actu existente rotundâ, hîc, & nunc, quæ tamen non existit actu rotunda : est intuitiva imperfectè, quia fit per speciem turris quadratæ viatam per accidens ; corrumpitur enim illa species ob nimiam turris ab oculo distantiam.

## A R T I C V L V S I I.

*De prima mentis operatione, seu apprehensione relativè spectata ad secundam.*

**P**R I M A mentis operatio relativè spectata ad secundam, sumitur, quatenus pars illius materialis est, ex qua componitur, & in quam resolvi potest. Cùm enim instar materiæ sit, utique materiæ genium imitatur ; materiæ autem dos gemina ex lib. 1. Physic. Prima, est id ex quo inexistente totum componitur. Secunda, in ipsam abit, & resolvitur totum, dum corrumpitur ; porro ex ea totum componi potest, quatenus potest conjungi cum forma ; fit apta ut jungatur, propter habitudinem, quam habet ad eam : ita apprehensiones fiunt materia judicii, quatenus inter se conjungi, & quasi componi queunt propter habitudinem, & affinitatem, quam habere possunt ratione prædicationis, & subjectionis, quo sensu dicuntur termini à Logicis. Quare videndum primò, quid sit terminus, & quotuplex, tum eorum affinitas examinanda ratione attributionis, & subjectionis, ex qua multiplex partitio orietur.

§. I. *Quid sit terminus.*

I. **T**ERMINVS, vt est pars propositionis, spectari potest vel ratione compositionis, vel ratione resolutionis; hinc duplex illius definitio. Prima, terminus est id, ex quo componitur propositio tanquam ex subjecto, & prædicato. Secunda ab Aristotele traditur lib. I. prior. c. I. ὄρον καλῶ, εἰς ὃν διαλύεται ἡ πρότασις, ὅσον τὸ τε κατηγορεῖσθαι, καὶ τὸ καθ' ὃ κατηγορεῖται: *terminum voco, in quem resolvitur propositio tanquam in prædicatum, & subjectum*, vbi compositio pro potentiali sumitur, quia ratio definitionis exigit, vt actus pro potentia sumatur. Vtraque definitio germana, quia distinguit terminum à copula est: v. g. in hac propositione *Paulus est homo*, vox *Paulus* est terminus, quia est subjectum, & vox *homo* prædicatum, quia ex utroque componitur, & in vtrumque resolvi potest, tanquam in subjectum, & prædicatum.

II. Subjectum, Grammaticis suppositum, Græcis ὑποκείμενον, definitur, id, de quo aliud dicitur: prædicatum κατηγορεῖσθαι, id quod de alio dicitur, seu quod alteri attribuitur, ideòque attributum etiam appellatur, & appositum à Grammaticis.

III. Extrema propositionis vocantur termini, quia terminant propositionem; subjectum vt principium: terminus, vt finis, sicut duo puncta, quæ lineam claudunt, dicuntur illius termini, quia ab vno incipit, & in aliud desinit: vel potius quia veteres Logici, vt syllogismos oculis subicerent, figuras in pulvere describere solebant tribus lateri-

bus constantes. Deinde in earum extremitatibus litteras appingebant loco partium propositionis. Vnde factum est, vt ipsæ litteræ, quæ scribebantur in terminis seu extremitatibus figuræ, termini appellarentur: ipsæ verò propositiones lateribus adumbratæ, intervalla terminorum dicerentur ex Aristotele lib. 2. prior. cap. 2. *Ex quibus, inquit, paucissimis fit conclusio, sunt tres termini, duo intervalla, & propositiones.*

Quatuor ex dictis colliguntur. Primum, termini sunt partes propositionis, quia propositio in illos tanquam aliquod totum in suas partes resolvitur.

Secundum, duo sunt tantum termini in propositione, sicut in linea duo sunt extrema; sed illi termini aliquando sunt simplices, aliquando compositi.

Tertium, verbum, *est*, & adverbia excluduntur à ratione termini, quia verbum vnit tantum prædicatum cum subjecto, præsertim in propositionibus necessariis: at vnio non est pars, sed partium nexus; adverbia autem sunt additamenta quædam, sicut præpositiones, quæ significant tantum aut verborum, aut nominum modos.

Quartum, tamen cum verbum, adverbia, & conjunctiones sumuntur materialiter pro se ipsis, possunt habere rationem subjecti, & prædicati vt in hac propositione, *amo est verbum*, aut in ista, *multum est adverbium*. Immò & vox nihil significans, & integra propositio aliquando vice subjecti, & prædicati funguntur, vt *Blictri nihil significat: Deus est bonus, vera est propositio.*

Objicies 1. Terminus est pars propositionis: verbum est pars propositionis: ergo verbum est.



terminus. Probaturs minor, pars propositionis est id, in quod resolvitur propositio: in verbum resolvitur propositio: ergo verbum est pars propositionis.

Resp. disting. majorem: pars propositionis est id, in quod resolvitur propositio, tanquam in terminum, concedo: tanquam in nexum, nego; at in verbum tanquam in nexum resolvitur propositio, quia post resolutionem non manet; terminus autem, etiam factâ resolutione, manet, nec perit vi propositionis destructæ, saltem in actu signato, quia manet in eadem significatione, licet non maneat prædicatum aut subjectum in actu exercito. Contrâ verò verbum vi destructionis perit formaliter, & primariò in ratione nexûs.

Instabis 1. Forma in composito physico perit per resolutionem, & tamen est terminus: ergo licet verbum pereat in ratione copulæ, non desinit esse terminus.

Dispar ratio est, quia forma physica non perit primariò, & formaliter vi resolutionis, vt patet in composito humano, secùs autem verbum, vt nexus, & copula.

Instabis 2. In hac propositione, *Deus est*, verbum *est* instar termini obtinet: ergo verbum, *est*, potest esse terminus in propositione.

Resp. dist. anteced. Instar termini obtinet implicitè, & virtualiter, concedo: explicitè, & expressè, nego; in hac enim propositione verbum *est* fungitur vice copulæ, sub qua implicitè terminus involvitur, ideòque sic resolvenda est propositio, *Deus est existens*. Quin etiam in qualibet propositione contingenti de tertio adjacente, in-

star attributi inadæquati obtinet : v. g. *paries est albus*, sensus est, paries est existens albus ; hinc copula prædicati cum subjecto, alia dicitur expressa, cum prædicatum subjecto annectitur per verbum substantivum *est*, vt *Petrus est animal*, diciturque ab Aristotele, lib. de interp. *tertii adjecti*: alia verbo inclusa, cum aliud verbum, quàm substantivum copulans subjecto additur, vt *animal sentit*, & vocatur *secundi adjecti*.

I V. Terminus vniversim triplex, mentalis, vocalis, & scriptus. Mentalis est, qui mente concipitur; de quo superiori art. vocalis, qui voce exprimitur ex intentione aliquid significandi : scriptus, qui scriptis consignatur. De vocali potissimum hinc agitur : sed quoniam terminus spectari potest, vel secundum se, vel ex parte modi, & quantitatis, vel comparativè ad alium ; hinc multiplex illius partitio.

## §. II. Partitio termini secundum se.

I. **T**ERMINVS vocalis alius est categorematicus, alius syncategorematicus. Categorematicus est, qui per se aliquid significat, vt *Petrus* : per se autem significat, qui per se sistit cogitationem audientis. Syncategorematicus est, qui significat cum alio, seu consignificat, id est, per se non sistit cogitationem audientis, sed significationem modificat, vel augendo, si vniversalis sit, vt *omnis*, *nullus* ; vel minuendo, si particularis, vt *aliquis*, *nonnullus* ; vel ad aliud referendo, si relativus sit, vt *in*, *ab*, *ad* : comparatur ejusmodi terminus consonantibus, quæ per se nihil sonant; sed junctæ vocalibus.

II. Categorematicus dividitur in simplicem seu incomplexum, & complexum seu compositum. Incomplexus est vnica vox humana per se significans, vt *Petrus*: complexus est, qui constat multis vocibus, per se singulis significantibus, & connexionem inter se habentibus, vt *Petrus sapiens*.

Incomplexus dividitur in nomen, & verbum, quæ sunt propriè voces humanæ apud Logicos; nam pronomen, participium, adverbium, præpositio, conjunctio, interjectio sunt tantùm voces apud Grammaticos, non apud Logicos; participium enim revocatur ad verbum, pronomen ad nomen; aliæ verò voces sunt potiùs colligationes partium orationis, quæ habitudinem vnus ad aliam significant, quàm orationis partes, vt docet D. Thomas.

### §. III. De nomine.

I. **N**OMEN definit Aristoteles lib. I. de interp. cap. 2. Est vox significans ex instituto sine tempore, cujus nulla pars significat separatim; additur à nonnullis finita, & recta.

Dicitur 1. vox vt excludantur conceptus, & scripta. 2. significans, vt excipiantur voces, quæ nihil significant vt *Blietri*. 3. ex instituto, in quo à vocibus, quæ naturaliter significant, vt gemitus, distinguitur. 4. sine tempore, in quo discrepat à verbo ex aliquibus Philosophis, qui volunt verbum adsignificare tempus, id est rem significare, vt fit, vel existit in aliqua differentia temporis præsentis, præteriti, & futuri. Quare voces *cæna, hora, dies*, vt significant tempus indeterminatè, non signifi-

cant tamen rem, ut fit, vel existit, aut agit determinatè in certa temporis differentia. 5. cujus nulla pars significat separatim, per istas voces expunguntur orationes, quarum partes, etiam ut partes, idem significant seorsim sumptæ, quod conjunctim in oratione significabant. Licèt enim vox, *omnipotens*, & *respublica* ex duabus vocibus componantur, quarum singulæ per se quidpiam significant; ita tamen junguntur inter se in hac constructione, ut fiant partes componentes vnum nomen, quod quidem vnam rem significat, quam quælibet pars seorsim non significat. 6. finita, ut removeantur nomina infinita, ut *non homo*, *non leo*. Denique recta, ut casus obliqui expungantur, qui non tam sunt nomina, quàm nominum casus, & affectiones.

I I. Ex hac definitione tria inferuntur. Primum, partes nominis non significant separatim, quia non simplicem, sed compositum conceptum significarent. Secundum, nomen infinitum non est nomen, quia non est vox per se significans certum alicujus rei conceptum, sed negationem conceptûs. Tertium, casus obliqui non sunt nomina, quia non conceptus, sed conceptuum habitudines significant, nec addito verbo verum aut falsum significant, ut *Philonis est*, aut *Philonis non est*. Et verò casus obliquus non potest esse subiectum, & prædicatum in propositione.

I I I. Hæc definitio, licèt ab Aristotele tradita sit, non tamen suis vitiis caret; nam 1. est justo major, deinde videtur convenire verbo infinitivi modi, ut *currere est moveri*. 3. non continet differentiam essentialem nominis, ex qua ejus proprietates, ut è radice fluunt.

IV. Itaque exactiùs breviùsque definitur nomen à D. Thoma , lib. de interp. lect. 10. vox significativa simplicis intellectùs , qui est similitudo rei : brevissimè , pars propositionis.

v. Nomen aliud substantivum , aliud adjectivum. Substantivum per se subsistit in oratione : adjectivum substantivo adjicitur quasi illius appendix , ideòque ope illius in oratione indiget. Ut enim se habet substantia ad accidens ; ita servatâ proportione nomen substantivum ad nomen adjectivum ; substantivum enim substantiam significat ; adjectivum , id quod substantiæ adjacet ; hinc

VI. Qui nomen adjectivum usurpat , debet semper nomen substantivum afferre , sicut qui relativum profert , tenetur afferre antecedens , à quo pendet.

VII. Denique nomen debet esse simplex , & nunquam integra oratio. 2. vnum vnitatem significationis , unde nomen ambiguum non est vox vna logicè. 3. finitæ significationis , id est certum entis conceptum animo ingenerare.

### §. I V. De verbo.

I. **V**ERBVM definitur ab Aristotele , lib. de interp. c. 3. Vox significans ex instituto cum tempore , cujus nulla pars significat separatim , & est semper nota eorum , quæ de altero dicuntur ; ab aliis additur , finita , & recta.

II. Distinguitur à nomine , quòd adsignificet tempus , hoc est præter rem , quam significat , aliquam temporis differentiam adsignificet , seu actionem aut passionem , quod est primarium signifi-

catum , cum relatione ad tempus , tanquam ad mensuram significet : v. g. vox ista *amo* , sic supponitur pro amore , vt ipsum significet existentem in præsentî tempore , 2. est nota eorum , quæ de altero dicuntur , id est indicat prædicatum in propositione dici , aut negari de subiecto. 3. dicitur vox recta , & finita , vt casus verbi excludantur , id est præteritum , & futurum , quæ non efficiunt propositionem logicam , nisi quatenus pendent à præsentî : v. g. hæc propositio , *Socrates fuit* , non est vera , nisi quatenus aliquando verum fuit dicere , *Socrates est*. Porro quòd sit vox significans ex instituto , cuius nulla pars significat separatim , id habet commune cum nomine.

III. Ex hac definitione tria inferuntur. Primum , verba infinitivi modi , non sunt propriè verba , sed quasi nomina , vt *currere est moveri*. Secundum , participium non est verbum , quia non est nota , & signum iudicii connectentis prædicatum cum subiecto , vt dum dicitur , *Paulus loquens* , non formo iudicium , quo locutio cum Paulo jungatur. Tertium , verba præteriti , & futuri temporis , non sunt strictè verba , sed latè : hinc conciliabis Aristotelem , dum sic loquitur lib. de interpret. *Sine verbo nulla est affirmatio , aut negatio ; nam est , vel erit , aut fuit , aut cetera huiusmodi sunt verba ; cum tamen dicat cap. 3. valuit , & valebit , non voco verba , sed casus verbi.*

IV. Hæc definitio non probatur , tum quia prolixior , tum quia non convenit verbo substantivo , *est* , cum in propositionibus necessariis est tantum copula prædicati cum subiecto : vt *homo est animal ; animal est vivens , & sentiens*. Verbum

itaque, quatenus verbum, est tantum nota, quod  
prædicatum subiecto attribuitur; hinc

v. Verbum melius definitur, nexus prædicati  
cum subiecto, seu vox humana significativa iudicij.

v i. Verbum aliud substantivum, aliud adjectivum. Substantivum pure verbum est, ut *sum*: adjectivum habet potestatem nominis, & verbi, ut *curro*; sed gravis est controversia, an de natura cujusque verbi sit significare cum tempore, an solius adjectivi, quam mox solvemus.

v i i. Aliud negativum, aliud infinitum; quæ licet iisdem vocibus exprimi videantur, ut *non studeo*, tamen multum inter se discrepant: utriusque discrimen ex resolutione patet; nam *non studeo*, est negativum verbum, si sensus sit, *non sum studens*; infinitum verò, si sensus sit, *sum non studens*. Prima propositio est negativa, huncque sensum efficit; *sum non habens studium*. Secunda affirmativa, cui subest iste sensus; *sum habens negationem studii*; prima enim negat studium de me: secunda affirmat negationem studii de me. Ratio est, quia particula, *non*, negat id cui proximè præfigitur; si verbo, verbum; si prædicato, prædicatum. Quoties autem particula, *non*, præfigitur verbo, toties facit propositionem negantem, quia tunc verbum disjungit prædicatum à subiecto ob negationem sibi præfixam, quæ sublatâ, facit propositionem affirmantem.

v i i i. Denique verbum aliud rectum, quod est presentis temporis, & indicativi modi: aliud obliquum, quod est reliquorum temporum, & modorum. Porrò verbum indicativi modi est maxime aptum ad compositionem, & divisionem in

enunciatione logica ; unde orationes , quæ modo imperativo , aut optativo efferuntur , Oratoris propriæ , non Logici , quia valent potissimum ad affectus movendos.

APPENDIX AD §. IV.

*An verbum substantivum in omni propositione significet existentiam ,*

seu

*An dentur propositiones sempiternæ veritatis.*

STATVS questionis est , an verbum , *est* , in Somni propositione significet existentiam ; an verò ab existentia abstrahat , unumque adeò prædicati cum subjecto unionem significet. Cui questionis ut satisfaciam , sit

§. I. *Quadam observanda ad questionis intelligentiam.*

I. PROPOSITIO duplex , altera de secundo adjacentem , in qua verbum , *est* , fungitur vice copulæ , & prædicati , ut *Deus est* , altera de tertio adjacentem , in qua verbum , *est* , est copula , ut *Deus est existens*.

II. Propositio de tertio adjacentem fieri potest , vel in materia necessaria , ut *homo est animal* : vel in materia contingentem , ut *paries est albus*.

III. Propositio æternæ veritatis ea dicitur , quæ quocumque tempore proferatur , necessariò , & semper vera est propter indissolubilem nexum prædicati cum subjecto : v. g. hæc propositio , *homo*



*est animal*, est semper vera, quia abstrahit ab omni tempore. Audi D. Thomam in lib. 1. poster. ubi explicat propositionis, & conclusionis veritatem æternam. *Non enim quod est universale, determinatur ad hęc, & nunc, quia jam non esset universale; illud autem universale dicimus, quod est semper, & ubique: quod non est intelligendum secundum viam affirmationis, sed per modum negationis, & abstractionis, quia universale abstrahit ab omni temporis differentia.*

IV. Triplex est sententia circa æternitatem propositionum. Prima docet verbum, *est*, importare sempiternam existentiam subjecti, non tantum essentiam, quam quidam Aristoteli falsò tribuunt: sic v. g. hæc propositio, *Deus est*, vera est etiam ratione existentia, huicque æquivalet, *Deus est semper existens*. Secunda requirit tantum existentiam subjecti conditionatam, aut modalem: vnde sensus hujus propositionis, *homo est animal*, genuinus iste est, *si homo est, est animal*, seu *homo non potest non esse animal, si est*. Tertia denique contendit propositionem in materia necessaria, semper esse veram, abstrahendo ab omni existentia tum absoluta, tum conditionata subjecti, adeoque verbum, *est*, non significare existentiam, sed puram, putamque connexionem prædicati cum subjecto.

## §. II. Solvitur questio.

I. A S S E R-**V** E R B V M substantivum, *est*, in T I O, propositione de secundo adjacente significat actum existentia, ideòque nulla datur propositio de secundo adjacente de rebus creatis, quæ sit sempiternæ veritatis.

Prob. 1. Quia nullus sensus isti propositioni, *Petrus est*, subesse potest alius, quàm hic, *Petrus existit* Prob. 2, Ex Aristotele lib. de interp. cap. 2. *non est opinabile*, hæc propositio est vera, at hæc falsa, *ens est*: atqui non potest afferri ratio, cur prima sit vera, secunda autem falsa, nisi quia *τὸ est*, in secunda significat existentiam: ergo in propositione de secundo adjacente, verbum, *est*, significat existentiam.

II. ASSERTIO. In propositionibus de tertio adjacente accidentalibus, verbum, *est*, significat existentiam, aut saltem supponit.

Prob. Propositiones de tertio adjacente sunt duplicis generis; aliæ, in quibus copula, *est*, apparet, vt *paries est albus*: aliæ, in quibus non apparet, vt *Socrates studet*: atqui in vtrâque propositione, verbum, *est*, significat existentiam, aut supponit: ergo in propositionibus accidentalibus de tertio adjacente, verbum, *est*, significat existentiam, aut supponit. Prob. min. ex Aristotele lib. de interp. cap. de verbo, vbi ait verbum *est*, adsignificare tempus, & 5. Metaph. cap. 7. docet *τὸ est*, adsignificare decem prædicamenta, adeoque qualitatem, quantitatem, & alia, quæ substantiis accidentaliter conveniunt, Prob. 2. ratione: in propositionibus contingentibus vniõ semper extremorum est contingens; at vniõ contingens non potest verè affirmari absque existentia actuali vniõtorum: ergo in propositionibus contingentibus de secundo, & tertio adjacente, verbum, *est*, significat existentiam.

III. ASSERTIO. In propositionibus necessariis verbum, *est*, non significat existentiam absolutam, & æternam.

Prob. ex Aristotele lib. 1. poster. cap. 6. vbi sic loquitur, *Quia verò necessariò insunt, qua insunt per se, atque exiis sunt demonstrationes, qua scientiam pariunt: accidentia namque non sunt necessariò. Quocirca non necesse est scire, an sit res, qua concluditur; ne quidem si illa semper sint, non autem per se, cuiusmodi sunt syllogismi à signo ducti; nam quod est per se, non per se sciet, nec quam ob rem, scit: scire autem quam ob rem sit, nihil aliud est, quàm per causam scire: per se igitur oportet, & medium tertio, & primum medio inesse.*

Vides hïc ab Aristotele æternitatem, his verbis, *ne quidem si illa semper sint*, respui; vñde sic argumentor: ibi Aristoteles respuit æternitatem: ergo vel existentia, vel veritatis objectivæ: at non respuit æternitatem veritatis objectivæ: ergo superest, vt æternitatem existentia respuat. Et verò fieri potest, inquit loco citato, nihil referre, quòd res sit ab aeterno, vel etiam, quòd causa, propter quam sit, sciatur ab aeterno; sed hoc esse necessarium, vt sciatur causa propter se, & per se, cur fiat conclusio; nam fieri potest, vt illa omnia sciantur, nec tamen sit scientia, nisi cognoscatur causa per se; sed erit scientia impropria, qualis est ea, qua habetur per signa: v. g. si quis noverit mulierem esse gravidam, quia est pallida, licèt mulier sit grvida ab aeterno, & pallida quoque ab aeterno, & ab aeterno aliquis noverit illam esse gravidam, & pallidam ab aeterno, non erit tamen illa vera scientia, quia nescitur causa per se. Vnde tandem concludit, *necesse esse, vt maius extremum conveniat per se medio, & medium per se minori, quid hoc clarius?*

Confirmatur ex eodem Aristotele lib. 1. poster. cap. vlt. vel juxta aliorum divisionem cap. 8. vbi

docet dari scientiam de lunæ eclipsi, nempe quòd sit privatio lucis in luna : atqui ne in sententia quidem Aristotelis, quâ statuit mundum ab æterno, lunæ eclipsis existit semper ab æterno, cum terra non semper interponatur inter lunam, & solem : ergo Aristoteles non requirit æternam subjecti existentiam, seu absolutam ad scientiam, sed solam connexionem prædicati cum subjecto.

IV. A S S E R T I O. Verbum, *est*, in propositionibus necessariis non significat existentiam hypotheticam.

Prob. 1. Si ad veritatem propositionis necessariæ requiretur necessitas hypothetica, nullus sciens esset imperturbabilis : omnis sciens debet esse imperturbabilis : ergo necessitas hypothetica subjecti non requiritur.

Prob. sequela : Ille est tantùm imperturbabilis in scientia, qui nec dubitat, nec dubitare potest de veritate conclusionis : omnis sciens dubitare posset de veritate conclusionis scientificæ : ergo nullus sciens esset imperturbabilis. Prob. min. Tandiu sciens dubitare potest, quandiu habet signum dubitantis propositioni præfixum, nempe, *si* : omnis sciens haberet signum dubitantis propositioni præfixum : ergo omnis sciens dubitare posset de veritate conclusionis scientificæ : v. g. fiat ista propositio, *si corpus grave existit, tendit deorsum*. Certè qui proferet hanc propositionem, poterit dubitare de veritate hujus propositionis : *omne grave tendit deorsum*, quia est vera, corpore gravi existente, falsa autem eodem non existente. Ratio est, quia existentia corporis gravis est contingens, adeòque potest non esse.

Pr. 2. Quia sequeretur nullam fieri propositionem

de rebus creatis, nisi hypotheticam; nam in hac sententia, nulla propositio de rebus creatis est necessaria, nisi ex hypothese earum existentia: v. g. hic syllogismus,

*Omne rationale est risibile:*

*Omnis homo est rationalis:*

*Ergo omnis homo est risibilis.*

Hic inquam syllogismus non est demonstrativus, sed alter constans propositionibus hypotheticis.

*Si omne rationale existit, est risibile:*

*Sed si omnis homo existit, est rationalis:*

*Ergo si omnis homo existit, est risibilis:*

Atqui hoc est evertere omnes modos syllogismorum absolutorum, & simplicium, quia in hac sententia nulli sunt syllogismi, nisi hypothetici, & compositi.

V. ASSERTIO. Verbum, *est*, in propositionibus necessariis, & univversalibus, non significat existentiam subjecti, sed connexionem duntaxat objectivam prædicati cum subjecto. Ita tamen, ut *est*, sit instar copulæ verbalis, quæ non segni, effæto, & mortuo modo, sicut particula, &, sed vivo, & quasi spiranti significet, hoc est actum essentiæ significet.

Prob. Nec significat existentiam absolutam, ut probatum est assert. 3. nec hypotheticam, ut confectum assert. 4. ergo nullam. Quid ergo significat? unionem omnimodam, & indissolubilem prædicati cum subjecto; ideòque non est mera copula, sicut particula, &, sed copula verbalis.

VI. ASSERTIO. Dantur propositiones sempiternæ veritatis. Prob. 1. hæc propositio, *omne rationale est risibile*, est propositio æternæ veritatis: ergo dantur propositiones sempiternæ verita-

Pr. ant. Illa propositio est sempiternæ veritatis, quæ quocumque tempore proferatur, est semper vera: hæc propositio, *omne rationale est risibile*, quocumque tempore proferatur, semper est vera, quia abstrahit ejus veritas ab omni tempore: ergo est sempiternæ veritatis.

Confirm. 1. Propositio, cujus veritas abstrahit ab omni loco, est immensæ veritatis: ergo propositio, cujus veritas abstrahit ab omni tempore, est sempiternæ veritatis.

Confirm. 2. ex Aristotele jam citato, qui docet hanc propositionem: Eclipsis lunæ est privatio lucis in luna ob interpositionem terræ, esse semper veram, licet nulla eclipsis existat.

Prob. 2. Illa propositio est semper vera, cujus significatum est semper verum: significatum hujus propositionis, est semper verum: ergo propositio aliqua est semper vera. Prob. min. quia ab æterno est identitas saltem negativa inter prædicatum, & subjectum, quia nulla apparet diversitas aut ratio, cur prædicatum à subjecto disjungatur; immò apparet ratio, cur indissolubili nexu jungatur, fluit enim à subjecto, ut nativa proprietas. Ratio à priori est, quod essentialia omnia conveniant rei ante existentiam, quia sunt ipsa essentia, aut proprietates essentiae; at existentia non est de essentia rerum creatarum, sed solius Dei: ergo omnia essentialia ab existentia abstrahunt: vnde sive res existat, sive non existat, essentialia omnia ei secundum se conveniunt, quia primum non pendet à posteriori.

§. III. *Diluuntur objecta.*

**O**BJICIES 1. hæc propositio, *Homerus est poëta*, est accidentalis, & tamen vera, licet *Homerus* non existat: ergo propositio accidentalis non significat existentiam.

Resp. dist. ant. Hæc propositio est vera, ratione poëseos existentis, per quam *Homerus* dicitur poëta, concedo: ratione *Homeri* præcisè, nego; hinc non dicitur, *Hortensius* est orator, quia ejus orationes non existunt.

Objicies 2. Dantur propositiones sempiternæ veritatis ex assertionem; ergo & sempiternæ existentia. Prob. conseq. veritas supponit existentiam; prius enim est esse, quàm esse tale: sic prius est *Socratem* esse, quàm esse doctum.

Resp. neg. conseq. & dist. ejus probationem; Veritas supponit existentiam in propositionibus accidentalibus, concedo: in necessariis, & vniuersalibus, nego. Ratio disparitatis est, quòd in necessariis veritas sit circa essentialia, & vniuersalia, quæ abstrahunt à tempore, & loco: in accidentalibus autem circa existentiam; hinc *Aristoteles* lib. de interpr. cap. 2. ait hanc propositionem esse veram, *Homerus est poëta*, hanc autem falsam *Homerus est*: quia in propositione contingenti, verbum, *est*, significat existentiam pro præsentem: at existentia actualis non convenit *Homero*, sed ejus poësi.

Instabis 1. Quod advenit propositioni, est accidens, adeoque non est semper: veritas, cum sit conformitas propositionis cum objecto, ei advenit tanquam accidens: ergo non est sempiterna.

Resp. dist. min. Veritas extrinseca, & formalis advenit, vt accidens, transeat: veritas objectiva, & intrinseca, quæ est conformitas prædicati cum subjecto, adeoque ab omni tempore abstrahit, nego.

Instabis 2. Hæc propositio, *Antichristus erit*, est vera ab æterno, licet sit contingens, quia cognoscitur à Deo vera ab æterno: ergo propositio contingens potest esse vera ab æterno.

Resp. dist. anteced. Est vera veritate sibi intrinseca ab æterno, & pro æterno, nego: veritate extrinseca, concedo ant. & nego conseq. Quippe propositio potest esse semper vera, vel veritate sibi intrinseca, cum prædicatum est de intrinseca ratione subjecti, nec potest intelligi subjectum sine prædicato: aut vice versa, cum subjectum est de intrinseca ratione prædicati, nec potest prædicatum intelligi sine subjecto, vt *homo est animal rationale*, aut *homo est risibilis*: est vera veritate sibi extrinseca, vtpote à Deo ab æterno cognita, transeat: at hîc agimus de veritate intrinseca, & objectiva, quæ fundatur in mutua, & necessaria habitudine extremorum inter se, & quæ proinde abstrahit à tempore, & loco.

Objicies 3. Si ad propositionem æternæ veritatis sufficit necessaria connexio prædicati cum subjecto: dabitur propositio æternæ veritatis de singularibus, quia connexio inter Deum, & immutabilitatem, inter Platonem, & animal, tam necessaria est, quàm inter hominem, & animal; atqui non datur propositio æternæ veritatis de singularibus, quia de illis non datur scientia: ergo nec de universalibus.

Resp. dist. majorem: Dabitur propositio æternæ



næ veritatis, de singularibus, quæ æquivalent vniuersali, cuiusmodi est Deus, concedo: de singularibus creatis, qualis est Socrates, subdisting. Datur propositio æternæ veritatis immediata, nego: mediata, conc. maj. & dist. min. Ex Aristotele non datur propositio æternæ veritatis de singularibus, quæ æquivalent vniuersali vt Deus, nego min. de singularibus creatis, subdist. immediata, conc. min. mediata, nego min. & conseq.

Nempe ex Aristotele duplex est propositio scientifica; altera immediata, in qua proprietas demonstratur de primo, & immediato subjecto, seu quatenus talis est ex toto, & non ex parte: altera mediata, in qua demonstratur proprietas de subjecto mediato, seu quæ habetur de subjecto singulari, aut particulari ex præmissa singulari sub vniuersali contenta. Exemplum vtriusque subijcio:

*Omne rationale est risibile:*

*Omnis homo est rationalis:*

*Ergo omnis homo est risibilis.*

En demonstrationem simpliciter talem, & non secundum partem, quia demonstrat risibile de rationali, quod est primum, & immediatum subjectum: vnde habet conclusionem simpliciter necessariam, & primò vniuersalem: at contra hic syllogismus:

*Omnis homo est risibilis:*

*Socrates est homo:*

*Ergo Socrates est risibilis.*

Hic, inquam, syllogismus, est demonstratio secundum partem, & non simpliciter talis, quia non est demonstratio de Socrate, quòd sit risibilis, nisi quia Socrates supponitur esse pars hominis: vnde non datur demonstratio de Socrate,

quòd sit risibilis, sed de homine, & consequenter de Socrate, qui est pars illius hominis, qui dicitur risibilis.

Ad Deum quod spectat, licèt singularis sit, tamen æquivalet univèrsali, ideòque potest dari demonstratio, quâ ejus attributa probentur ex essentia quasi fluere.

Objicies 4. Quod est ratio attribuendi aliquid subjecto, supponit subjectum existere: verbum, est, est ratio attribuendi prædicatum subjecto: ergo supponit subjectum existere.

Resp. dist. maj. Supponit subjectum existere vel actu, vel potentiâ, conc. maj. semper actu, nego. Unde sequitur propositiones, quæ fiunt de essentia, & proprietatibus rerum, supponere quidem objectum possibile; sed non actuale, quia de impossibili non datur vera scientia; quanquam ne possibilitatem quidem considerat, licèt supponat eam, quia attributa essentialia spectat secundùm se.

Instabis: Ex Aristotele cap. 10. de interpr. prima omnium propositionum dicitur, quâ significatur rem esse, vel non esse: sed omnes propositiones, quæ non sunt primæ, cujusmodi sunt propositiones de essentia rei, supponunt primam: ergo supponunt rem esse, si affirmativæ sunt, & veræ.

Resp. 1. dist. maj. Prima omnium propositio- num dicitur, quâ significatur rem esse, vel non esse, saltem potentiâ, concedo: actu semper, nego. Resp. 2. triplicem ordinem statui posse propositionum; primus est earum, quæ attribuunt prædicatum subjecto jam existenti, adeòque supponunt existentiam illius: v. g. hæc propositio, *homo est albus*, vera est, quia hæc altera vera, *homo est*, quæ tamen non est prima, quia ante

hanc potuit altera fieri , *Petrus est ens possibile.*  
 Secundus ordo est earum , quæ abstrahunt ab  
 actuali existentia , & quæ sequuntur primam pro-  
 positionem , quâ supponitur res possibilis ; nam vt  
 verè dicas , *Petrus est substantia* , priùs ista debet  
 esse vera , homo est possibilis. Tertius ordo est  
 propositionum inter se oppositarum , inter quas  
 non docet Aristoteles primam dari propositionem,  
 sed primam affirmationem , aut negationem :  
 Hæc nota.

Objicies 5. Nisi verbum , *est* , significet existen-  
 tiam , tertia figura nulla erit , quod repugnat A-  
 ristoteli. Prob. sequela : illa figura nulla est , in  
 qua præmissis ritè dispositis falsum inferitur , aut  
 ex necessariis contingens : nisi verbum , *est* , si-  
 gnificet existentiam : ex præmissis in tertia figu-  
 ra ritè dispositis falsum inferetur , aut ex necessa-  
 riis contingens : ergo tertia figura nulla erit. Pr.  
 min. hoc syllogismo in Darapti :

*Omnis demonstrans est sciens :*

*Omnis demonstrans est homo :*

*Ergo aliquis homo est sciens.*

Dux præmissæ sunt necessariae , quoad connexio-  
 nem prædicati cum subjecto ; conclusio autem est  
 contingens , ideòque potest esse falsa ex hypothesi,  
 quòd nemo sit , qui actu demonstret. Idem argu-  
 mentum potest fieri in Felapton , hoc modo ,

*Nullus sciens est ignorans :*

*Omnis sciens est homo :*

*Ergo aliquis homo non est ignorans.*

Vides in hoc syllogismo duas præmissas esse ne-  
 cessarias , conclusionem autem contingentem.

Prima responsio est , licèt 3. figura non foret le-  
 gitima , non ideò tamen falsitatis argui oportere

sententiam nostram ; sed hæc responsio non placet ; quia idem syllogismus potest concludi in Baralipon hac ratione ,

*Omnis demonstrans est homo :*

*Omnis sciens est demonstrans :*

*Ergo aliquis homo est sciens.*

Vnde vides evertendos quoque modos aliquos primæ figuræ , adeoque ex parte non fore legitimam.

Secunda responsio est , propositiones , quarum subjectum , aut prædicatum sit participium , non esse æternæ veritatis , quia participium resolvitur in verbum , quod significat actionem aut passionem in tempore , quæ responsio non videtur omnino rejicienda.

Nec dicas hanc propositionem , *omne vivens est animal* , esse æternæ veritatis ; quamvis in ea sit participium : nam responderetur ibi *τὸ vivens* , non tam esse participium , quàm nomen , sicut *τὸ respirans* , cuius loco substitui potest respirativum : at

Resp. 3. concessis utriusque syllogismi præmissis , nego consequ. quia neuter syllogismus est in forma. Ratio est , quòd mutetur suppositio verbi *est* , quod sumitur substantivè in præmissis , adeoque habet tantùm rationem copulæ verbalis ; adjectivè autem in conclusione , & ita est pars prædicati. Nam in propositionibus necessariis habet vim tantùm copulæ verbalis , & ab existentia abstrahit , quia prædicatum ex natura sua , & secundùm se subjecto convenit ; at in contingentibus sumitur adjectivè , significatque existentiam actualem. Vnde sensus hujus propositionis , *paries est albus* , hic est , *paries est existens albus* , ideoque *τὸ est* , est pars prædicati. Quare in propositionibus contin-

gentibus, valet consecutio à propositione de tertio adjacente, ad propositionem de secundo adjacente: v. g. paries est albus: ergo paries est; secus autem fit in necessariis, vnde non valet hæc illatio, *homo est animal: ergo homo est*, quia *est*, habet rationem copulæ verbalis, non prædicati.

Inferes hinc multos syllogismos non esse in forma, qui tamen imperitis videantur ritè informati, qualis est iste syllogismus in Darii,

*Omne album est coloratum:*

*Hic paries est albus:*

*Ergo hic paries est coloratus.*

Verbum enim in majori sumitur substantivè, in minori autem adjectivè: vnde prædicatum subiecto non convenit, nisi ratione existentiae verbo ipso expressæ.

Instabis 1. Tunc tantùm mutatur suppositio, cùm mutatur terminus; at verbum non est terminus, sed copula: ergo

Respondeo, verbum in consequentia habere rationem prædicati saltem inadæquatè; sensus enim est: *ergo aliquis homo est existens sciens*, vnde aliquid est in consequente, quod non est in antecedente, saltem implicite.

Instabis 2. Syllogismi, qui non sunt in forma, possunt, & debent ad legitimam formam reduci: duo syllogismi modò allati, non possunt ad formam legitimam reduci: ergo &c.

Respondeo 1. nego majorem: Non enim absolutè opus est, vt omnes syllogismi, qui vitio laborant aliquo, ritè informentur, saltem à respondente, sed satis ei est, vitium detexisse. Scio esse aliquos, qui putant hac methodo ad formam legi-

timam reduci posse, nempe si addatur singulis propositionibus *actu*, vel *potentiâ*, quia sic servabitur eadem suppositio; sic enim syllogismum in Darapti mox factum, ad Darii reduci volunt:

*Omnis actu demonstrans, est actu sciens:*

*Aliquis scientia capax, est actu demonstrans:*

*Ergo aliquis scientia capax, est actu sciens.*

Aut

*Omnis potentiâ demonstrans, est potentiâ sciens:*

*Aliquis scientia capax, est potentiâ demonstrans:*

*Ergo aliquis scientia capax, est potentiâ sciens.*

In utroque syllogismo, inquiunt, servatur eadem suppositio; quamvis enim utraque conclusio seorsim sumpta ab argumento, contingens sit contingentiam prædicari, prout tamen infertur ex præmissis, necessariam habet cum subjecto connexionem, & quidem tantam, ut negari ipsa non possit, nec contraria ejus inferri, quod fatis est ad vim syllogisticam, quia hæc contingencia non impedit, quominus verum ex vero in bona forma sequatur. Sed hæc responsio multis non placet, quia in primo syllogismo sic informato, verbum, *est*, non significat existentiam actualem in antecedente, eo quod *actu* cadat in sciens, & demonstrans, non in verbum, *est*, majorque dicat actualem existentiam objectivè, & abstractivè, sed non affirmativè, significando, quod omnis demonstrans actu, nunc existat in ratione scientis actu; sed sensus est, omnis demonstrans actu, est in ratione scientis actu, seu omni habenti actum demonstrationis, convenit scientia actualis; non autem, omnis demonstrans actu, existit nunc in ratione scientis actu. Ratio est, quia si major haberet hunc sensum, & verbum, *est*, fi-

gnificaret, nunc existit, major esset falsa, & non necessaria, qualis supponitur ab adversariis. Pater, quia omnis demonstrans actu non existit nunc, omnis enim demonstrans dicit & eum, qui nunc existit, & eum, qui fuit, & eum, qui erit. At nec Aristoteles, qui fuit actu demonstrans, nunc existit; nec Paulus aliquando futurus, etiam nunc existit: itaque verbum, *est*, in illa propositione non significat actualem existentiam formaliter, & affirmativè, licèt materialiter, præsuppositivè, aut aliquo modo consequenter significet. Porro non significat formaliter actualem existentiam, quia cùm prædicatum subjecto convenit secundùm se sumpto, verbum, *est*, non appellat existentiam actualem subjecti, cùm ipsa non requiratur ad veritatem propositionis. Nec dicas *ad actu*, appellare existentiam subjecti, vel prædicati; non enim semper appellat actualitatem, quæ nunc sit, sed indeterminatè sive præteritam, sive præsentem, sive etiam purè possibilem.

Instabis ultimò: si hic syllogismus ad legitimam formam reduci non potest, nulla omnino est tertia figura.

Respondeo, nego sequelam: quia in alia materia potest informari syllogismus, qui rectè concludat, quod sufficit, ut

*Omnis homo est vivens, & sentiens:*

*Omnis homo est animal:*

*Ergo aliquod animal est vivens, & sentiens.*

Porro eadem difficultas proponi potest in conversione per accidens, quæ nulla erit: v. g. *omnis demonstrans est homo: ergo aliquis homo est demonstrans.* Sed valet eadem responsio, mutatur enim suppositio in convertente, quia prima propositio

est necessaria ; secunda contingens : at satis est quòd conversio per accidens in alia materia valeat : v. g. *omnis homo est animal : ergo aliquod animal est homo.*

§. V. *Partitio termini ratione modi.*

I. **P**RIMA partitio termini ratione modi, est in terminum primæ intentionis, & terminum secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est, qui rei convenit, quatenus est, vt *Petrus*; significat enim Petrum secundùm id, quod habet à parte rei. Dicitur terminus primæ intentionis ex Boëtio, quia homines intendunt primò nomina rebus imponere, secundariò notionibus secundis disciplinarum. Terminus secundæ intentionis est, qui significat rem secundùm id, quod habet ab operatione mentis, seu qui significat rem, vt conceptam : v. g. in ista propositione, *Petrus est homo*, si dicas, *Petrus* est subjectum, *homo* prædicatum, *est*, copula, *subjectum*, *prædicatum*, *copula* sunt termini secundæ intentionis, quia significant ea, in quæ fertur intellectus per reflexam cognitionem. Compara terminum primæ intentionis cum gnomone in Scioterico, terminum verò secundæ intentionis cum umbra ex gnomone sparsa : utrumque horam indicat, sed stylus fundamentaliter, & primariò, umbra secundariò, quatenus à gnomone spargitur, eamque exhibet : ita *Petrus*, & *subjectum* significant hunc hominem, sed *Petrus* primariò, *subjectum* secundariò.

I I. Secunda, in concretum, & abstractum. Concretus est, qui formam simul, & subjectum



significat : sic *album* significat non tantum albedinem , sed etiam subjectum affectum albedine ; ita tamen vt albedinem in obliquo , subjectum in recto significet. Abstractus est , qui formam tantum significat , vt *albedo* , *doctrina*. Quomodo autem abstracta de concretis , aut concreta de abstractis predicari possint , docuimus parte 2. Logicæ appendice ad §. art. disp. 2.

III. Concretus subdividitur in intrinsecè denominantem , & extrinsecè denominantem. Denominans intrinsecè est , qui tribuitur rei , in qua est forma per ipsum significata , vt *album* respectu parietis. Denominans extrinsecè est , qui rei tribuitur , in qua non est forma per ipsum significata : vt esse *visum* , & *cognitum* respectu parietis ; visio enim est in oculo , & cognitio in intellectu , non in pariete ; hinc denominatio est appellatio perita ab aliqua forma , sive intrinseca sit , sive extrinseca , seu communicatio nominis proprii alicujus formæ alteri rei , ideòque est expressio status rei. De denominativis fusè egimus parte 3. Logicæ , disp. 1. art. 1. §. 1. & 2.

IV. Concretus iterum subdividitur in absolutum , & connotativum. Absolutus est , qui rem significat sine habitudine ad aliud , vt *homo* ; significat enim hominem sine habitudine ad aliud : alii definiunt , qui significat formam stantem , hoc est non adjacentem subjecto , vel alicui ejus parti in suo esse constitutæ. Connotativus est , qui rem significat cum habitudine ad aliud , vel in quo recipiatur , vel quod inferat , vel ad quod necessarium ordinem , aut connexionem ex se habeat , vt *limes* , *pater* , *præceptor* ; hinc non sola adjectiva connotativa sunt , sed nonnulla etiam substantiva nomina.

Breviùs alii definiunt, qui significat formam adjacentem alicui, id est advenientem subjecto, vel alicui ejus parti jam in suo esse constitutæ, sed prior definitio magis probatur.

§. VI. *Divisio termini ex parte quantitatis.*

**T**ERMINI ex parte quantitatis partitio fit in communem, particularem, & singularem. Communis est, qui multis attribui potest, ut *homo*, *animal*; tribuuntur enim Paulo, equo, leoni. Particularis, qui vni rei indeterminatè tribuitur, ut *aliquis*, *nonnullus*, &c. Singularis, qui vni rei determinatè tribuitur, ut *Petrus*; licet enim nomen istud pluribus imponatur, est tamen singulorum proprium, quia non significat aliquid commune iis, quibus tribuitur.

I I. Terminus communis subdividitur in univocum, æquivocum, analogum, proportionalem, & attributivum.

Univocus est, qui multis perfectè convenit, tam secundùm vocem, quàm secundùm rem significatam: sic *homo* convenit univocè Petro, & Ioanni, quia habent idem nomen, & eandem rationem per nomen significatam.

Æquivocus est, cujus nomen est idem, ratio verò substantiæ prorsus diversa, ut *canis* respectu canis cælestis, terrestris, & maritimi. Vox ita communis dicitur æquivoca, seu æquivocans, subjecta æquivocata, seu æquivocè convenientia.

Analogus, cujus nomen est idem, ratio verò significata per nomen, partim eadem, partim diversa. Rursus analogus, alius est per proportionem, ut *pes* respectu inferioris partis hominis, & radice montis; ut enim mons radice sua, sic ho-

mo inferiori parte corporis nititur, vox ita communis dicitur prædicabilis analogicè, subjecta proportionaliter convenientia: alius per attributionem, qui de multis dicitur propter dependentiam eorum ab aliquo vno: ita *sanum* dicitur de homine, medicina, & colore, ad quæ sanitas variam dicitur habitudinem; respicit enim medicinam, ut causam efficientem sanitatis; colorem, ut indicium; hominem, ut subjectum, cui primò, & per se sanitas convenit: unde dicitur primarium analogatum, alia verò secundaria analogata. Dicuntur ab Aristotele lib. 4. Metaph. tex. 2. *ad unum, aut ex uno.*

Hos quatuor communitatis modos describit Aristoteles, lib. 1. Moral. cap. 4. his verbis: *Non est igitur summum bonum commune quiddam secundum unam ideam:* En univocationem. *Quonam ergo modo dicitur? non enim simile est æquivocis à fortuna:* En æquivocationem. *An quia ab uno pendent omnia, vel ad unum tendunt?* En attributionem: *An potius proportione? scilicet ut in corpore sensus videndi, sic mens in animo,* & ecce proportionem.

Univocus dicitur universalis. Universalis terminus definitur, qui aptus est multis inesse, & de multis prædicari univocè, & divisim, ut *homo* respectu Petri, & Ioannis.

Universalis quinque species; genus, species, differentia, proprium, & accidens: de quibus fusè p. 1. Log. disp. 3. de univers. in particulari.

III. Terminus particularis subdividitur in individuum vagum, collectivum, finitum, & infinitum.

Individuum vagum est, quod rem aliquam si-

gularem indeterminatè significat , vt *aliquis* , *quidam*. Collectivus , seu copulativus , qui plura , vt *vnum* significat , seu plura in vnum aggregata , vt *exercitus* , *schola* , *populus* , huic opponitur non collectivus , qui non significat plura vt vnum , seu in vnum aggregata. Finitus , qui aliquid determinatè significat , vt *animal*. Infinitus , qui propter particulam , *non* , sibi præfixam , cuilibet rei indefinitè tribui potest , præterquam rei per terminum significatæ , seu qui præfixa negatione , potest de omnibus aliis subjectis , excepto eo , quod negat , sine fine affirmari , vt *non leo* , *non homo*.

Porrò vt terminus sit infinitus , particula , *non* , debet cadere super terminum , non supra copulam , aliàs faceret propositionem negantem ; hinc duæ istæ propositiones , *albedo non est nigredo* : *albedo est non nigredo* , differunt ; prima enim est negans , secunda infinitans.

I v. Secunda partitio termini ex parte quantitatis , fit in transcendentem , & non transcendentem seu categoricum. Transcendens est , qui de omni re dicitur , seu qui rerum omnium ordinem transcendit , vt *ens* , *vnum* , *verum* , *bonum*. Non transcendentem , seu categoricum , qui certis tantum rebus convenit , seu vnâ tantum categoriâ includitur , vt *substantia* , *quantitas* , *qualitas* , &c. Supertranscendentem nonnulli addunt , qui etiam negationibus , & entibus rationis competit.

v. Circa communitatem termini quatuor hic quæri possunt. Primum , quot modis vnus terminus alteri tribui possit. Secundum , quot modis vnus terminus multis attribui possit. Tertium , quot modis vna vox communis multis esse queat. Quartum , quàm multi termini de vno prædicari possint.

Primam quæstionem exhaustimus 2. parte Log. disp. 2. art. vlt. cùm quinque vniversalia, seu prædicabilia esse confecimus. Secundam, & tertiam confecimus parte 3. disp. 1. a. 1. §. 1. de denominativis, aliisque sequentibus paragraphis, vbi de vnivocis, æquivocis, & analogis à nobis est disputatum. Quartæ demum satisfecimus, disp. 2. eisdem partis, vbi numerum categoriarum defini-  
vimus.

§. VII. *Partitio termini cum altero comparati.*

I. **T**ERMINORVM comparatio ita fieri potest, vt aliquam habeant habitudinem, vel nullam; hinc,

I I. Prima partitio in disparatos, seu impertinentes, & non disparatos, seu pertinentes. Disparati sunt, inter quos nulla est habitudo, sive affinitatis, sive oppositionis, hoc est qui neque se inferunt, neque excludunt, sed indifferentes sunt, vt simul sint, vt *album*, & *dulce*, respectu lactis. Non disparati, inter quos est aliqua habitudo affinitatis, & dicuntur pertinentes sequentiâ: aut oppositionis, & dicuntur pertinentes repugnantia. Primi se inferunt, vt *homo est: ergo risibilis*. Secundi se excludunt: v. g. *album*, & *nigrum*, qui inter se pugnant oppositione contrariâ: vt *hoc est album: ergo non est nigrum*; hinc

I I I. Non disparatorum ex affinitatis habitudine, prima partitio fit in superiores, inferiores, & convertibiles. Superiores sub se continent inferiores; ideòque sunt communiore, quia om-

nis terminus superior est communis, & vicissima omnis communis est superior: sic substantia est superior spiritu, & corpore, corpus vivente, vivens animali, animal homine, homo Petro, & Paulo. Inferiores, qui sub superioribus continentur, ideoque minus communes: sic homo est inferior animali, animal vivente, vivens corpore, corpus substantiâ. Convertibiles, seu reciproci sunt, qui æquè latè patent, possuntque de se ad convertentiam dici, vt *rationale*, & *risibile*. Valet enim hæc conversio, *omne rationale est risibile: ergo omne risibile est rationale*.

I V. Secunda non disparatorum partitio ratione oppositionis, fit in quatuor membra, nempe in terminos contrarios, vt *frigidum*, & *calidum*; respectivos, vt *pater*, & *filius*, *dominus*, & *servus*: privantes, seu privativos, vt *dives*, & *pauper*: contradicentes, seu negativos, vt *homo*, *non homo*. Singulorum naturam habes fusiùs explicatam parte 3. & disp. vnica de postprædic.

### A R T I C V L V S I I I.

*De prima mentis operatione, vt est rudimentum tertia.*

P R I M A. mentis operatio relata ad tertiam, alia est divisiva, alia definitiva, quia divisio præire debet definitioni, definitio autem ἀρχὴ τῆς ἀποδείξεως principium demonstrationis ex lib. I. de anima, tex. II. & vt ait Ludovicus Vives, lib. de explic. essentiæ, *error quamlibet exiguus in definitione, brevi fit ingens*. Quare utriusque natura, leges, & officia accuratè hîc tractanda.

## §. I. De divisione.

**Q**UATUOR hinc de divisione examinanda. Primum, quid sit. Secundum, quotuplex. Tertium, quæ illius leges. Quartum, quis finis, & officia.

1. Divisio ut sic, est resolutio totius in suas partes; sed quia alia perfecta est, alia imperfecta.

1 I. Divisio perfecta est oratio, quâ totum potentiale in partes subjectivas resolvitur. 1. dicitur oratio, quia pluribus vocibus constat, in quo à simplici termino distinguitur. 2. quâ totum resolvitur in suas partes, in quo cum definitione convenit. 3. in partes subjectivas, in quo à definitione discrepat, quæ est totius actualis resolutio in partes prædicabiles. Ut enim partes prædicabiles respondent toti actuali: ita partes subjectivæ respondent toti potenti; totum porro potentiale vocant Logici, quod prædicatur de partibus; totum verò actuale, quod subicitur partibus: sic animal est totum potentiale respectu hominis, & equi; homo verò totum actuale respectu animalis, & rationalis.

1 I I. Divisio duplex: altera nominis, altera rei. Divisio nominis est vocis multiplicis significatus in sua significata resolutio; valet potissimum in æquivocis, debetque rei divisioni præire, si illius significatio vna non sit. Ut canis alius cælestis, alius terrestris, alius maritimus; nulla enim res hinc dividitur, sed significata canis exponuntur, quæ nomine conveniunt quidem, re autem sunt diversa.

1 V. Divisio rei est, quâ res in suas partes divi-

ditur, estque vel totius essentialis in suas partes, & dicitur metaphysica : vel totius physici in partes physicas, quæ physica : vel totius universalis in differentias, species, & individua : vel totius quanti, & integralis in partes quantas, & integrantes ; sic homo dividitur metaphysicè in animal, & rationale tanquam genus, & differentiam : Physicè in materiam, & formam : Logicè ut totum universale in Petrum, & Ioannem : Denique ut totum integrale in caput, pedes, &c.

v. Leges divisionis perfectæ sunt sex.

Prima : Membra divisionis sunt finita, & paucissima. Finita, quia sunt partes totius, & omne totum finitum est. Paucissima, quia sic ad definitionem, & argumentationem magis accommodata ; hinc divisio bimembris Aristoteli maximè probatur, præsertim cum totum universale in genus, & species tribuitur, tum quia facilius divisio comprehenditur, & memoriâ retinetur : tum quia membra videntur magis inter se opposita.

Secunda : Membra sunt opposita : ita Aristoteles 1. de part. animal. c. 3. hoc est vnum membrum non contineatur in alio. Ratio est, quia membra sunt differentiarum totius divisi, at differentiarum sunt opposita. Quare membra non debent inter se subordinari, præsertim si divisio totius universalis fiat ; hinc vitiosa est hæc divisio : *animal aliud natans, aliud album*, quia idem animal potest esse, & natans simul, & album, sicut, & ista. *Vivens, vel planta, vel animal, vel homo*, quia homo animali subordinatur.

Tertia : Totius positivi membra sunt positiva ; totum enim debet affirmari de membris divisionis : at totum positivum non potest affirmari de



membro negativo, quia negativum non potest esse idem cum positivo. Peccat ideo hæc divisio: *homo alius Philosophus, alius non Philosophus*, aliàs lapis esset homo, quia lapis est non Philosophus; hinc voces negativæ non possunt in locum positivarum substitui, nisi positivi conceptus ipsis respondeant.

Quarta: Membra sint proxima, & immediata; hinc manca divisio: *animal aliud rationale, aliud equus*, quia irrationale omittitur, quod est membrum immediatum: at differentiæ totius debent esse immediatæ.

Quinta: Membra sint minora toto, quia membrum dividens est pars totius divisi, & pars est minor toto, à quo distinguitur vt inclusum ab includente: sic vitiosa est hæc divisio: *homo vel rationalis, vel doctus*, quia rationalis æquè latè patet ac doctus.

Sexta: Membra simul sumpta sint toti æqualia, quia totum nihil est præter partes simul sumptas: quare quis malè divideret Francum in Parisiium, & Arémoricum, quia Normanni sunt etiam Franci.

v i. Finis divisionis quadruplex. Primus, distincta totius cognitio; totum enim rectè intelligi non potest nisi factâ partium resolutione. Secundus, definitio exacta, quæ fit ex genere proximo, & differentia. Tertius, argumentatio. Quartus, accurata disciplinarum ordinatio, & methodus.

v i i. Divisio imperfecta triplex. Prima subjecti per accidentia: vt *homo alius albus, alius niger*; utilis est ad scientiam, cum accidentia sunt propria, secus si contingentia. Secunda accidentis

per subjecta , quâ accidens per subjecta dividitur , vt *morbus alius capitis* , vt *cephalagia* , alius cordis , vt *palpitatio* , &c. ad scientiam accidentium conducit. Tertia accidentis per accidentia , quâ accidens per accidentia dividitur , vt *dulce aliud album* , *aliud nigrum* , &c. Rarò confert ad scientiam.

VIII. Huc revocatur divisio effectuum per causas efficientes , & finales , vel causarum per effecta , vel potentiaram , & habituum per objecta.

IX. Monitum. Divisio non fiat in minutissima quæque ; hinc Seneca : *Simile est confuso , quod in pulverem usque sectum fuerit ; nam vt maxima comprehendere , ita & minima diducere difficile.*

## §. II. De definitione.

QVINGVE circa definitionem quæri possunt. Primum , quid sit. Secundum , quotuplex , Tertium , quomodo invenienda. Quartum , quæ illius regulæ. Quintum , quæ illius munera.

I. Definitio definitur ab Aristotele 2. poster. c. 10. Oratio explicans ipsum quod quid rei , id est oratio explicans rei essentiam per principia essentialia ; hinc pluribus vocibus constare debet , quia plures conceptus objectivos , qui in rei essentia latent impliciti , & quasi involuti , explicare , & evolvere debet , nempe conceptum communem , qui dicitur genus , & conceptum proprium , qui differentia appellatur. Subtilius definitur , resolutio totius prædicabilis in partes actuales , in quo à divisione distinguitur , vt homo animal rationale : sed quia in definitione spectari potest subjectum , quod definitur , & causa , per quam definitur ; hinc

I I. Ex parte subjecti, nascitur prima partitio definitionis in definitionem nominis, & definitionem rei. Definitio nominis naturam nominis quoad significatum materiale explicat; eaque duplex, altera κατὰ λέξιν, quæ vocis significationem declarat aliâ notiori: altera κατ' ἐτυμολογίαν, quæ vocem ab origine declarat, diciturque notio. Etymologiæ autem petuntur ex rerum fine, effectis, proprietatibus, objectis, & oppositis. Definitio rei naturam rei per nomen significatæ explicat.

I I I. Ex parte causæ oritur secunda partitio in definitionem perfectam, & imperfectam; illa essentialis, hæc accidentalis. Prima definitio simpliciter dicitur. Secunda descriptio.

I V. Essentialis naturam rei explicat per genus proximum, & primam differentiam: sic in ista definitione, *homo animal rationale*, *animal* est genus proximum, *rationale* prima differentia. Subdividitur in Physicam, quæ rem explicat per principia physica essentialia, quæ sunt materia, & forma, & in Metaphysicam, quæ fit per principia metaphysica essentialia, nempe per genus, & differentiam.

V. Descriptio est oratio explicans naturam rei, & distinguens ab aliis per secundam differentiam quæ ex prima fluit: sic homo definitur *animal diffusivum, risivum, &c.*

V I. Duplex est causalis, quæ rem describit per causarum complexionem vel plurium, vel omnium: sic homo describitur compositum factum à Deo ex corpore, & anima rationali ad æternam beatitudinem: accidentalis, quæ rem per varia illius accidentia, & adjuncta describit, estque oratorum propria.

VII. Definitio rei investigatur divisione, & resolutione. Divisione, quæ à supremo genere initium ducat, donec ad primam, seu proximam differentiam, quæ rem constituit, pervenerit: v. g. vis definire hominem, divides supremum illius genus, quod est substantia, in corpoream, & incorpoream; & quia in ratione corporis cum aliis convenit, divides corpus in animatum, & inanimatum; & quia alia sunt animata, præter hominem, divides substantiam animatam in sentientem, & non sentientem; & quia esse principium sentiendi commune est homini, & leoni, divides in rationalem, & irrationalem; & quoniam per rationale homo differt ab eo, quod non est homo, ex ultimo genere, quod est animal, & rationali, quod est prima differentia, definitionem concinnabis, dicendo, *homo animal rationale*.

Resolutione per ascensum ab inferioribus ad superiora, nempe videbis in quibus individua aliqujus speciei differant ad invicem, & in quibus conveniant. Tum relictis iis, in quibus differunt, assumes ea, in quibus conveniunt omnia, & sic definitionem offendes: v. g. vides hominis individua in ratione docti, & sani differre, sed in rationali omnia convenire; hinc naturam hominis defines, *homo animal rationale*: sin verò definitionem generis quæris, notabis, & quidem diligentius, in quo differant species, & in quo conveniant; & ubi principium convenientiæ inveneris, id ipsum genus esse concludes: hic modus utilis quidem, sed primus certior, & facilior, quia in secundo genus remotum loco proximi substituit nisi potest.

VIII. Leges definitionis perfectæ sunt quinque.

Prima: Definitio constet genere proximo, & differentiâ primâ; debet enim explicare partem communem, quâ res definita cum aliis conveniat, & partem propriam, quâ primò distinguitur ab omni alio; hinc 1. quælibet definitio debet constare saltem duobus terminis, 2. quod perfectè definitur, debet esse species; quare nec genus supremum nec individuum perfectè definiti possunt; illud quidem, quia non habet genus supra se, hoc verò quia non subest immediatè generi.

Secunda: Conveniat omni definito, & soli: adeòque nec pateat latiùs, nec contrahatur angustiùs; hinc malè definitur homo, *animal doctum*, quia multi homines indocti: hinc geminum pronunciatum; primum quidem, definitio dicitur ad convertentiam cum suo definito; secundum, quod in definitione generis assumptum est, in definitione speciei resummi non debet.

Tertia: Terminis constet prioribus, & indemonstrabilibus. Ratio est, quòd essentiam rei explicet; essentia autem est id, quod est primum in re, & quod primum est, nihil habet se prius; hinc definitio non cognoscitur à priori, sed ex sola penetratione terminorum, aut per inductionem.

Quarta: Brevis sit, & paucissimis verbis, iisque maximè propriis comprehensa, quia nihil redundare debet, ideòque fugienda *ταυτολογία*, & *πλεωλογία*.

Quinta: Sit clarior definito: Rationem reddit Aristoteles, lib. 6. Topic. cap. 1. *Oportet*, inquit, *eum, qui definit, maximè omnium clarissimâ interpretatione uti, siquidem cognoscendi, & intelligendi causâ definitio traditur.* Fugiendi itaque tropi, meta-

phoræ, & voces inusitatæ inter definiendum, ex quibus obscuritas nascitur.

ix. Officia definitionis quatuor. Primum, ita rem constituit, ut ab omni alio distinguat. Secundum, essentiam rei clarioribus verbis explicat, ideóque ritè prædicatur de definito, à quo, licèt re idem sit, tamen modo exprimendi differt. Tertium, est principium, unde rei definitæ proprietates demonstrantur, *ἐκ τῆς ὁρίσεως πάντα γινώσκουσιν* : omnia per definitionem cognoscimus, 2. Metaph. c. 3. unde est principium demonstrationis ex natura sua. Quartum, dubia omnia, quæ circa rem definitam occurrere possunt, solvete debet. Ita Zabarella lib. de medio demonstrat. c. 5. Patet inde, quanti intersit res, quæ cadunt in demonstrationem, ritè definite tum in ratione subjecti, tum in ratione prædicati.

x. Divisio, enumeratio, & definitio partim conveniunt, partim differunt. Conveniunt, quia circa totum aliquod versantur. Differunt, quia divisio fit per particulam disjunctivam, adeóque separat, enumeratio per particulam conjunctivam, ideóque conjungit, sed modo quodam effecto; definitio conjungit, sed vivo ac spiranti modo per copulam est, si fiat per secundam operationem. Deinde divisio est circa totum potentiale, definitio circa totum actuale, quia species propriè definitur.



## ARTICVLVS VLTIMVS.

*De variis affectionibus terminorum.*

**T**ERMINI, vt est pars propositionis, triplex respectus; ad objectum, ad verbum, & ad alium terminum, cui annectitur; hinc nascitur multiplex affectio termini. Nam termini ad objectum, cuius est signum suppositivum, relati, vnicæ affectio, nempe suppositio: relati ad verbum sex, status, ampliatio, distractio, restrictio, alienatio, & diminutio; relati ad terminum vna, quæ dicitur appellatio, seu denominatio.

§. I. *De suppositione.*

**T**RIA de suppositione examinanda. Primum, quid sit. Secundum, quotuplex sit. Tertium, quæ illius principia.

1. Suppositio termini est acceptio vocis pro re, quam significat, aut pro se. Ratio est, quia omnis disputatio vel est de rebus, vel de vocibus; de rebus quidem, quas cum in medium adducere non possimus, vocibus tanquam earum signis vtimur, sufficimusque ipsarum loco teste Aristotele lib. 1. Elench. c. 1. quarum vis, & potestas sapientis examen subit; hinc

1 1. Prima partitio suppositionis est in materialem, & formalem. Materialis est acceptio vocis pro se ipsâ, vt cum dicimus, *homo est vox duarum syllabarum*. Formalis, acceptio vocis pro re, quam significat, vt cum dicimus, *homo est animal*. In prima enim propositione, vox *homo* pro se ipso,

in secunda pro re, quam significat, usurpatur.

III. Materialis iterum duplex, intrinseca, & extrinseca. Intrinseca est acceptio vocis pro eo, quod habet ex natura sua, ut *homo est vox duarum syllabarum*: Extrinseca, in qua vox sumitur pro aliquo ejus extrinseco, ut *homo est vox aliquid significans*.

IV. Formalis, alia propria, alia impropria. Propria est usurpatio vocis pro re, ad quam significandam est primò imposita, ut cum dicimus, *homines rident*. Impropria est usurpatio vocis pro re, ad quam significandam propter aliquam habitudinem traducitur, ut cum dicimus, *prata rident*. Ridere enim dicitur de hominibus propriè, de pratis duntaxat tralatiè, & per quandam similitudinem.

V. Formalis, alia communis, alia singularis. Communis, acceptio vocis pro significato communi, ut *omnis homo disputat*. Singularis verò, acceptio vocis pro significato singulari, ut *hic homo disputat*. Ratio partitionis est, quia objectum, pro quo vox sufficitur, est vel commune, vel singulare.

VI. Suppositio communis triplex, simplex, personalis, & absoluta, quia natura communis sumitur vel ut est in mente, vel ut est in singularibus, vel ut ab utroque respectu abstrahit.

Simplex est acceptio vocis pro natura, ut subest conceptui abstrahenti, ut *animal est genus*. Personalis est acceptio vocis pro natura ut est in individuis, seu personis, ut *homo ridet*. Absoluta est acceptio vocis pro natura absolutè spectata, hoc est absque ullo respectu ad statum ipsius naturæ significatæ, ut *homo est animal*; ibi enim animal  
sumitur



sumitur pro *vivente*, & *sentiente*. Nullâ habitâ ratione status vtriusque, quem habet, alterum in mente, alterum in re; hinc simplici opponitur personalis, absoluta ab vtraque abstrahit; Fonseca tamen existimat magis inclinare ad personalem.

V I I. Suppositio personalis, alia est naturalis, alia accidentalis. Naturalis est, in qua vox communis vsurpatur pro eo, quod habet ex natura essentialiter, aut necessariò, vt *homo est animal rationale*. Accidentalisis est, quâ vox communis sumitur pro eo, quod habet accidentariò, vt *homo disputans ambulat*. Ratio divisionis est, quia natura existens in individuis vel sumitur sola, vel vt accidente aliquo affecta. Porrò prima sumitur pro omnibus suis significatis, quia sumitur pro re secundùm id, quod habet essentialiter, & necessariò. Secunda non ita vulgò sumitur, quia sumitur pro re secundùm id quod habet contingenter: at idem numero accidens non omnibus individuis existentibus convenit; deinde vt omnibus existentibus conveniat, certè non convenit omnibus, quæ præteriere, aut quæ futura sunt, multò minùs omnibus possibilibus, vt observat Fonseca, cui refragatur Suares Lusit. disp. 1. de term. sect. 2. §. 4. Nam, inquit, Deus revelet alicui intellectui notitiam omnium individuorum alicujus speciei: v. g. humanæ, tum in hac propositione, *omnis homo est cognitus*, vox homo sumitur in suppositione accidentali, & tamen vsurpatur pro omnibus suis significatis.

V I I I. Personalis rursus partitio est in distributivam, & collectivam, seu copulatam. Distributiva, est acceptio termini communis pro omnibus, & singulis significatis divisim sumptis. Bre-

vius, quâ licet explicare *omne* per singula, vt omnis homo est risibilis, id est singuli homines sunt risibiles. Collectiva est, acceptio termini communis pro omnibus significatis indivisim sumptis, seu quâ non licet explicare *omne* per singula, vt omnes Apostoli sunt duodecim; nam *duodecim* nonnisi de omnibus simul sumptis verificari potest.

I x. Distributiva, alia pro generibus singulorum, id est pro aliquo, vel aliquibus significatis individuis generum, quâ nempe licet *omne* explicare per singula genera aut species, vt *omne animal fuit in arca Noe*, id est species animalium: alia distributiva pro singulis generum, id est, pro singulis significatis individuis, quâ nempe licet *omne* per singula explicare, vt *omnis homo est mortalis*, id est, singuli homines sunt mortales.

x. Distributiva iterum, alia simpliciter distributiva, cum vox sumitur pro singulis sine restrictione, vt *omnis homo est risibilis*: alia distributiva in sensu accommodo, cum vox sumitur pro singulis, sed cum aliqua restrictione, vt *omne animal fuit in arca Noe*, subintellige, præter aquatilia: *Deus creavit omnia*, intellige, præter se ipsum.

x i. Denique personalis, alia determinata, alia confusa. Confusa est acceptio vocis communis pro aliquo ex significatis vagè, sive disjunctivè significato: v. g. cum dicitur, *aliquis homo currit*; nam vox *homo* pro vno hominum vagè significato accipitur, sed cui reverà convenit, determinatè currere, ac subinde determinari potest. Strictius ab aliis definitur, acceptio vocis communis pro si-

gnificato ita confuso, vt nec determinari, nec signari reipsâ possit, vt *alter oculus necessarius est ad videndum*. Nam ad videndum non hic, aut iste oculus determinatus requiritur, sed alteruter. Determinata est acceptio vocis communis pro aliquo determinato significato, vt *oculus dolet, equus currit, aut hic homo loquitur*.

## §. II. *Examen suppositionis, & principia.*

I. S U P P O S I T I O examinari potest, vel per ascensum logicum, vel per descensum. Ascensus logicus est progressio à particularibus sufficienter enumeratis ad vniversale, vt *equus est substantia; homo est substantia: ergo omne animal est substantia*. Descensus est progressus ab vniversali ad singularia sub eo contenta, vt *omne animal est substantia: ergo equus est substantia: ergo homo est substantia*.

1. Ascensus, & descensus quadruplex; copulativus, copularus; disiunctivus, & disiunctus. Ascensus copulativus est, quo à singularibus terminis, ad vniversalem terminum sumptum in suppositione distributiva, seu copulativa ascenditur, vt *hic homo est risibilis, & hic homo risibilis est: ergo omnis homo est risibilis*. Contrà descensus copulativus est progressus à termino vniversali in suppositione distributiva, seu copulativa ad singularia: vt *omne animal sentit: ergo hoc animal sentit*. Ascensus copulatus est progressus à particularibus simul sumptis ad terminum communem, seu vniversalem in suppositione copulata, vt *hic Apostolus, & hic Apostolus, &c. sunt duodecim: ergo omnes Apostoli sunt duodecim*. Descensus copulatus est

progressus à termino vniuersali in suppositione copulata ad terminos singulares collectim sumptos, vt *omnes Apostoli sunt duodecim : ergo hic Apostolus, & hic Apostolus, &c. sunt duodecim.*

III. Ascensus disiunctivus est, cùm ab aliquo singulari, aut pluribus determinatis ad terminum vniuersalem sumptum in suppositione determinata assurgimus, vt *Petrus, vel Paulus loquitur : ergo homo loquitur.* Descensus disiunctivus, in quo à termino vniuersali in suppositione determinata infertur terminus singularis determinatus, vt *manus dolet : ergo aut hac dextera dolet, aut ista sinistra.*

IV. Ascensus disiunctus est, quo terminus vniuersalis in suppositione confusa acceptus, ex particularibus confusis infertur, vt *vel hic, vel ille oculus est ad videndum necessarius : ergo oculus est necessarius ad videndum.* Descensus disiunctus, cùm à termino vniuersali in suppositione confusa accepto, particulares indeterminati, & confusi colliguntur, vt *aliqua actio requiritur, vt effectus fiat : ergo vel hac actio, vel illa, numeratis omnibus, requiritur, vt effectus fiat.*

Adverte hinc à termino negativè distributo non descendi legitimè per solum descensum copulativum, sed copulativum disiuncto jungendum esse, idèmq; in ascensu servandum; alias ex antecedente vero consequens falsum inferretur: vt *neque hæc numero gratia ad constituendam salutem æternam, nec illa requiritur : ergo nulla.* Quare sic iuvat ascendere: gratia, A non est necessaria ad salutem; nec gratia, B, nec gratia, C; rursus nec est necessaria, A, vel B, vel C, sub disiunctione: ergo nulla gratia est necessaria ad salutem; hæc conclusio li-

cèt contra fidem , tamen logicè benè infertur. Pari methodò juvat descendere.

§. III. *De aliis affectionibus terminorum.*

I. **S**TATVS est acceptio termini pro rebus significatis existentibus eo tempore , quod significatur per verbum principale enuntians , vt *justus punitur*, id est , qui nunc justus est , punitur. Porro terminus ita significans , dicitur habere suum statum , quia veluti stat , & permanet in temporis differentia per verbum significata.

II. Triplex est status pro triplici temporis differentia præsentis , præteriti , & futuri. Status præsens est acceptio nominis pro rebus existentibus tempore præsentis , vt *Plato docet*. Status præteritus est acceptio nominis pro rebus existentibus in tempore præterito , vt *Plato docuit* , &c.

III. Statui opponitur ampliatio ; est acceptio vocis pro alio tempore , quàm verbum principale significare videatur. Quare opus est ad aliud tempus recurrere , vt *justus peccat : vigilans dormit* ; id est , qui justus erat , peccat ; qui vigilans fuit , nunc dormit ; nec enim justus potest manere justus pro instanti , quo peccat : nec vigilans eo tempore , quo vigilat , dormire potest.

IV. Distractio est , cùm terminus refertur tantùm ad aliud tempus , vt Matth. 11. *cæci vident* , id est , qui cæci antea erant , nunc vident ; sed hæc affectio vix à priori differre videtur.

V. Restrictio est limitatio nominis , quod licèt ex se possit multa significare , tamen ex additione vocis vnius , ad pauciora significata contrahitur. Breviùs , est contractio vocis à majori ad minorem significatum , vt *homines justi Deum videbunt* ;

vox enim *homo*, quæ ex se posset omnes homines significare, restringitur ad Sanctos per additionem *justi*.

v i. Alienatio est termini à propria significatione ad alienam traductio propter alterius additionem, ut *homopictus est in aula*; in hac enim propositione, *homo*, à propria, & nativa significatione ad alienam, seu impropriam traducitur.

v i i. Diminutio est, quâ vox absolutè significans, ex additione fit significans *κατά τι*, secundùm quid. Breviùs, est limitatio totius ad partem, ut *Æthiops est albus secundùm dentes*.

v i i i. Appellatio est applicatio significatûs vnius vocis ad significatum alterius. Breviùs, dictio aliam denominans, ut *Aristoteles est bonus Philosophus*, vox, *bonus*, est vox denominans, *Philosophus*, vox denominata, quia vox, *bonus*, denominat Philosophum, hoc est formalem significatum suum Philosopho tribuit.

i x. Duplex appellatio, alia formalis, alia materialis. Formalis est, quæ formam subjecti denominat, non subjectum, id est, formale significatum suum formali significato termini appellati tribuit, ut in exemplo allato; dicitur enim *Aristoteles bonus*, quâ est Philosophus. Materialis est, quæ subjectum denominat, non formam, id est, quæ formale significatum termini appellantis applicat materiali significato appellati, ut *Petrus Philosophus est Musicus*; vox enim, *Musicus*, appellat non Philosophiam, quæ est forma, sed Petrum, qui est subjectum Philosophiæ.

x. Rursus, appellatio, alia realis, in qua terminus appellans significat ens reale, ut *Aristoteles est bonus Philosophus*; alia rationis, in qua terminus

appellans significat ens rationis , seu terminum secundæ intentionis , vt *animal est genus*.

§. IV. *Vsus suppositionis , & aliarum termini affectionum , ad fugiendas fallacias.*

QVIS vsus sit affectionum termini ad fallacias evitandas , facilè ex sequentibus regulis intelliges.

I. Prima sit : nunquam argumentum valet , nisi medius terminus in altera præmissarum habeat suppositionem distributivam ; hinc non valet :

*Omne animal fuit in arca Noe :*

*Bucephalus est animal :*

*Ergo Bucephalus fuit in arca Noe.*

II. Procedit enim hic syllogismus à medio non completè distributo , quia animal in majori sumitur tantùm pro omnibus , aut ferè omnibus speciebus animalium , non autem pro omnibus eorum individuis.

III. Secunda , à suppositione materiali ad formalem non valet consequentia , vt

*Vbique est adverbium :*

*Deus est vbique :*

*Ergo Deus est adverbium.*

IV. Nam in majori tò *vbique* habet suppositionem materialem , quia supponit pro se ipso ; in minori verò formalem , adeoque sunt quatuor termini.

V. Tertia , à suppositione simplici ad absolutam , aut personalem nulla est consequentia ; hinc malè infertur :

*Animal est genus :*

*Homo est animal :*

*Ergo homo est genus.*

v i. Ratio est , quia animal in majore habet suppositionem simplicem , in minori absolutam ; at descensus à suppositione simplici ad absolutam , aut personalem illegitimus.

vii. Quarta , à suppositione personali ad absolutam , aut simplicem nulla est illatio , vt

*Animal currit :*

*Homo est animal :*

*Ergo homo currit.*

viii. *Animal* enim in majore sumitur in suppositione personali , huncque sensum efficit , *quoddam animal individuum currit* : quare si conclusio sumitur in suppositione absoluta , falsa est , quia hunc sensum efficit : *homo non singularis , sed communis multis individuis currit* , quod falsum ; cursus enim , vtpote contingens , non nisi singularibus convenit. Certè in suppositione personali licet tantum descendere disjunctivè , non absolutè , aut copulativè.

ix. Quinta , valet tamen illatio à suppositione absoluta ad personalem , vt

*Homo est animal :*

*Paulus est homo :*

*Ergo Paulus est animal.*

x. Sexta , fallax est argumentatio , quoties nomen amplè sumptum in præmissis , statum habet in conclusione , vt

*Qui surgebat , stat :*

*Sedens surgebat :*

*Ergo sedens stat.*

xi. Vox enim , *sedens* , amplè sumitur in minore pro eo , qui antea sedebat , vel qui nunc sedet ; in conclusione verò accipitur tantum pro eo , qui tempore præsentis sedet , ideòque consecutio nulla.



x i i. Septima, captiosa est argumentatio, cum vox distracta in altera præmissarum, habet statum in conclusione, ut

*Qui vident, visu percipiunt colores:*

*Cæci vident:*

*Ergo cæci visu percipiunt colores:*

x i i i. Nam τὸ *cæcus* in minore distractionem habet, cōsque significat, qui tempore præterito cæci fuerunt; in conclusione verò statum habet, cōsque significat, qui tempore præsentis cæci sunt. Fallacia hæc solvi potest per regulam Grammaticæ, quæ præcipit adverbium verbo suo neclendum.

x i v. Octava, non valet consequentia à termino restricto ad non restrictum; nec à termino sumptio improprie ad eundem proprie sumptum; nec à limitato ad partem, ad eundem ampliè, seu ex toto significantem; hinc nullæ istæ consecutiones, *sedens in schola scribit: ergo sedens scribit: est homo pictus in aula: ergo est homo in aula: Æthiops est albus secundum dentes: ergo Æthiops est albus.*

x v. Nona, vox appellans addita subjecto, appellat subjectum, non prædicatum, ut *Ludovicus Iustus est rex Galliarum*, τὸ *justus* appellat Ludovicum, non regem: addita verò prædicato, appellat prædicatum, ut *Cicero fuit magnus orator*, *magnus* appellat oratorem, non Ciceronem; hinc mutatâ appellatione, consecutio falsa, ut *hic homo est magnus Philosophus: ergo est magnus: magnus enim in antecedente appellat Philosophum, non hominem; in consequente verò hominem, & procerum significat. Valet hîc regula Grammaticorum, quoties ponitur adjectivum, toties neclatur cum suo substantivo.*

xv i. Decima , nomina numeralia substantivo juncta , multiplicant formam , & suppositum ; hinc ista propositio , *tres sunt dii* , falsa est ; significat enim tres esse divinitates , non tantum tres esse personas.

xv i i. Vndecima , nomina numeralia juncta adjectivo , multiplicant subjecta , non formam : unde albedo in tribus subjectis inhærens , facit tria alba. Nec dicas , hæc propositio , *tres sunt omnipotentes in Deo* , falsa est , & tamen vox *omnipotens* est adjectiva ; nego enim vocem , *omnipotens* , hic sumi adjectivè , sed substantivè sumitur ; ideòque significat tres esse in Deo omnipotentias , quod est hæreticum.





PARS QVINTA  
 LOGICÆ,  
 DE SECUNDA  
 MENTIS OPERATIONE.

**A** SIMPLICIBVS ad composita disciplina progreditur, quia simplex naturâ prius composito: sic Grammatica à literis ad syllabas, à syllabis ad dictiones, à dictionibus ad syntaxim pedetentim procedit. Id ipsum quoque præstat Logica; simplicium enim terminorum explicatione proludit ad secundam mentis operationem, & enuntiationem, quæ est composita, vt in tertiam tandem desinat.

Logici porrò est, non tantùm de prima operatione, seu de simplicibus terminis, sed etiam de secunda agere, & quatenus mente concipitur, & quatenus voce effertur. Spectavit potissimùm Aristoteles lib. de interpr. à cap. 4. vsque ad finem, quatenus voce exprimitur: nos utroque respectu considerabimus.

In secunda operatione, tria examinanda veniunt, constitutio, divisio, & proprietates. Constitutio naturam illius explicat; divisio varias illius species aperit; proprietates, quid ex illius natura sit necessariò consequens, ostendunt. Quare de natura primæ operationis, & divisione primùm: deinde de proprietatibus agemus.

---

## DISPUTATIO PRIMA.

### *De natura, & divisione secunde mentis operationis.*



SECUNDA mentis operatio, ut est in mente, dicitur iudicium; ut est in voce, enuntiatio. Iudicii naturam primùm hîc inquiremus; enuntiationis deinde; tum varia utriusque nomina.

#### ARTICVLVS I.

##### *De natura iudicii.*

NATURAM iudicii causæ explicant. Quare de Nejus causa materiali, & formali primùm; tum de efficiente, & finali disputandum.

##### *§. I. Causa materialis, & formalis iudicii.*

VNICA OB- IVDICIUM duplex, alterum for-  
SERVATIO. Imale, alterum virtuale. Formale

est, quod componit, aut dividit, quæ mens per apprehensionem repræsentat, quasi ferendo sententiam de eorum identitate, sive vnione: virtuale quod non componit, nec dividit per modum ferentis sententiam de rebus per apprehensionem propositis. De formali hîc quæstio est, non de virtuali.

I. **ASSERTIO.** Causa materialis iudicii formalis, sunt apprehensiones. Probat, causa materialis cuiusque rei, est id, ex quo fit: ex apprehensionibus fit iudicium: ergo apprehensiones sunt causa materialis iudicii. Probat minor: tum quia formale iudicium in hoc à virtuali distinguitur, quod componat, aut dividat per modum sententiæ, quæ illi obijciuntur per apprehensionem; secus autem virtuale: tum quia ex Aristotele lib. 3. de anima, iudicium fit compositione conceptuum; hinc quia apprehensiones vel spectantur sine habitudine, vel cum habitudine ad se invicem; primo sensu sunt materia remota iudicii, secundo proxima.

Pater ex hac assertione semper prærequiri apprehensiones ad iudicium formale, quia sententia supponit propositionem causæ, in quam cadat, affirmando vnum conceptum de alio, si affines sint; aut negando, si repugnantes. De causa materiali iudicii tantum, jam de formali, quam quia definitio explicat, ideò sit

II. **ASSERTIO.** Iudicium rectè definitur, operatio mentis, quæ primò affirmat, aut negat vnum de alio. Probat, quia genus proximum est operatio, differentia aliis vocibus continetur. Distinguitur enim à prima operatione, quòd affirmet, aut neget; prima autem sit affirmationis,

& negationis expers : à tertia , quòd primò affirmet , aut neget , tertia secundò affirmet , aut neget ; ideòque secunda operatio dicitur iudicium primum , tertia iudicium secundum , seu illatum.

Affirmatio autem est dictio vnus de alio , id est , prædicati de subjecto , iudicii subjectum est id , de quo aliud dicitur , prædicatum , quod de alio dicitur : quare in iudicio tria sunt , subjectum , prædicatum , & copula , vt jam monui. At quaeritur hîc , in quo posita sit ratio formalis iudicii ; an sit quid compositum , an verò simplex qualitas.

Certa sunt tria. Primum , iudicium est compositum aliquatenus objectivè , quia versatur circa objectum , si non realiter , at saltem virtualiter compositum. Secundum , est etiam compositum præsuppositivè , quia supponit plures conceptus , nempe subjectum , & prædicatum , quos vnà illigat , connectitque per copulam , *est*. Tertium , est quoque virtualiter compositum , quia , dum iudicamus , vimur reflexione saltem virtuali supra primas apprehensiones , mutuamque earum habitudinem ; quod brutis non contingit. Ratio est , quia mens cognoscit vnionem identitatis exercitam inter extrema : ergo fertur necessariò in extrema.

III. A S S E R T I O. Iudicium formale non consistit essentialiter in compositione duorum conceptuum.

Probatur 1. Datur aliqua compositio conceptuum , quæ non est iudicium : ergo iudicii essentia non est posita in compositione conceptuum. Probatur antecedens : possum apprehendere astra paria , aut imparia per primam operationem complexam , nec tamen ideò iudicium ferre possum ,

an paria sint , aut imparia : ergo datur aliqua compositio conceptuum , quæ non est iudicium ; & verò componere , est vnum cum alio ponere , & quasi committere : at apprehensio complexa ponit vnum cum alio , & committit : v. g. conceptum albedinis cum conceptu Petri , dum apprehendit Petrum album.

Confirmatur ex Aristotele , lib. 3. de anima , vbi distinguit imaginationem ab existimatione , id est , à iudicio. *Illa enim* , inquit , *animi affectio* , id est imaginatio , *in nostra potestate est ; nam cum voluerimus , possumus ante oculos ponere* , id est , nobis repræsentare objecta , non autem iudicare : v. g. potest quis ad libitum apprehendere astra paria , & tamen nemo sapiens iudicabit , an sint paria , nec-ne , quia nihil apparet cur paria potius , quàm imparia pronuntiemus.

Respondent , qui contrariam sententiam tenent , Aristotelem loqui de imaginatione phantasiæ , non de apprehensione intellectûs : sed hæc responsio falsitatis facilè convincitur. 1. quia Aristoteles eodem libro paulò ante intellectionem dividit in imaginationem , & existimationem , id est , in apprehensionem , & iudicium ; intellectio enim est partus vnius intellectûs. Accedit D. Thomas , qui ait imaginationem apud Aristotelem aliquando sumi pro operatione intellectûs , præferim lib. 3. de anima.

IV. A S S E R T I O. Essentia iudicii formalis posita est in actu intellectûs , prædicatum cum subiecto conjungentis per verbum *est* , seu in eo , quod importatur per verbum *est*.

Probatur 1. ex Aristotele , lib. 3. de anima c. 7. *In iis* , inquit , *in quibus reperitur veritas , & falsitas*

*est compositio conceptuum, quasi unum sint; quod autem unum facit, est intellectus, & cap. 3. de interpret. Verbum, inquit, προσημαίνει σύνθεσιν πνα, ἢν ἀδὲ τῶν συζευμένων οὐκ ἔστι νοῦσαι, significat insuper compositionem quandam, que quidem sine compositis intelligi nequit. Ratio est, quia significat actum, quo prædicatum subjecto attribuitur, & iudicium cadit supra vnionem extremorum.*

Probatur 2. quia sic differt iudicium à termino complexo. Deinde vt enuntiatio vocalis differt ab apprehensione complexa per verbum *est*; ita dicendum est, quòd iudicium mentis differat ab apprehensione complexa mentali per id, quod importatur per verbum, *est*.

V. A S S E R T I O. Iudicium est simplex qualitas entitativè. Ita Conimbr. in Logica, cap. de orat. q. 4. a. 2. Suares Lusit. de anima, tract. 2. disp. 2. sect. 1.

Probatur 1. quia hæc est natura iudicii, vt cadat supra id totum, quod enuntiatur. Vt enim intellectus iudicet vnum alteri convenire, debet simul ferri in vtrumque, quatenus sunt quid vnum; quemadmodum vt iudicet vnum alteri non convenire, debet simul ferri in vtrumque, quatenus sunt quid diversum: vtrumque præstare non potest, nisi iudicium sit actus simplex. Major est D. Thomæ 1. part. q. 85. a. 5. ad 3. & Cajetani q. 16. a. 2. vbi probant eam esse vim iudicii, vt feratur in totum enuntiabile. Probatur minor: si iudicium ex multis actibus componitur, vel omnes cadunt supra totum enuntiabile, vel singuli supra singulas illius partes; si primum, singuli actus sunt totalia iudicia, & ita plures esse non opus est;



si secundum, sunt simplices apprehensiones, non iudicia, & ita non fiet iudicium, quia singulæ partes enunciabiles, simplices cum sint, iudicari nequeunt, quia non iudicatur, an quælibet pars per se sit, sed potius an aptè jungantur vnà, vel disjungantur.

Probatur 2. Iudicium affirmativum est nutus quidam mentis consentientis, negativum, abnutus, ut hîc observat Boëtius c. 4. Nutus, & abnutus sunt simplices qualitates, ut patet in nutu externo, & signis vocalibus, quibus iudicium exprimitur: v. g. *maximè, ita, non*: ergo iudicium, tum affirmativum, tum negativum est simplex qualitas.

Confirmatur: si quis me v. g. interrogat, an hæc propositio, *homo est animal*, sit vera, nec-ne; possum ferre iudicium, dicendo, *est*, vel *non est*: ergo iudicium est actus simplex. Probatur antec. simplici rei explicatione: v. g. istud iudicium, *homo est animal*, sic formatur, 1. apprehendo hominem, & animal duplici conceptu simplici, 2. comparo utrumque inter se, & exigo ad regulam iudicii, quæ κριτήριον dicitur, éstque notio quædam essentiarum immediata; quam habemus vel animo à natura insculptam, vel studio acquisitam, si mediata sit, in propositionibus necessariis; in contingentibus autem sensus, vel memoria, quâ quis meminit se vidisse quidpiam. Denique post utriusque extremi conjunctionem per modum puræ repræsentationis, seu post cognitam utriusque extremi habitudinem, vnico actu iudicii simplicissimo fertur intellectus directè, & explicitè in connexionem prædicati cum subjecto; indirectè, & implicitè in extrema, vel astruendo

per affirmationem , vel destruyendo per negationem , seu nutu approbando nexum prædicati cum subiecto , vel abnutu repudiando.

Hinc iudicium est actus simplex intellectûs , quo probat directè , vel improbat præviam conjunctionem apprehensivam prædicati cum subiecto ; primo modo affirmat : secundo negat. Quare multiplex est virtualiter , & præsuppositivè ; virtualiter quidem , quia æquivaleret multis ob reflectionem virtuales in apprehensiones ; præsuppositivè autem , quia supponit prædicatum , & subiectum instar materiæ ; est tamen in se entitativè simplex , componens , non compositus : at

Quæres 1. quid affirmetur , aut quid negetur per verbum *est*.

Respondeo probabiliùs affirmari , vel negari conformitatem apprehensionis complexæ cum regula veritatis. Ratio est , quia iudicium consistit in eo actu , quo mens iudicis instar pronuntiat ; *ita est in re , ut est in mente* : ut autem ita pronuntiet , debet apprehensionem compositam comparare , vel cum rebus ipsis , vel cum alio earum vice fungente ; porrò sæpiùs res procul absunt , aut si præsentibus adsint entitativè , non sunt tamen in mente : ergo necesse , ut intellectus apprehensionem complexam cum regula veritatis , quæ rerum vicaria est , componat.

Quæres 2. an conceptus ipsi per iudicium componantur , an res ipsæ.

Respondeo , vel quæstio est de compositione formali , vel objectiva. Si primum , conceptus componuntur inter se , quia non res , sed conceptus sunt in intellectu. Si secundum , rectè res dicuntur componi , quia conceptus supponunt pro re-

bus ipsis. Quare utrumque est verum, & res componi, & conceptus, sed res, ut subsunt nostris conceptibus. Idem de propositione vocali senseris; voces enim, non res, componunt propositionem vocalem, non quidem pro se ipsis acceptæ, sed pro significatis; & verò de rebus non existentibus quotidie formantur propositiones, non ex rebus ipsis, quippe quæ non sint, & etiam si existerent; mentem per suam entitatem ne subirent quidem, sed ex vocibus rerum internuntiis, & interpretibus.

### §. II. *Diluuntur objecta.*

**A**LIA definitionem judicii oppugnant; alia ejusdem simplicitatem. Singulis ordine satisfacio.

Objicies 1. cum Mendosa in 2. assertionem: Illa definitio est vitiosa, quæ traditur per species oppositas, & per disjunctionem: v. g. malè definiretur animal, si definiretur, id quod est rationale, vel irrationale: at judicium ita definitur: itaque vitiosa illius definitio.

Respondeo, dist. majorem: In entibus univocis, transeat: in analogis, nego; cum enim analogum commune non sit aliud à suis analogatis, non potest melius, quam per differentias explicari; hinc censet Arriaga, ens explicari distinctius, cum definitur id quod est per se, aut in alio, quæ sunt rationes propriæ inferiorum, quam cum dicitur, id quod esse potest, quæ est veluti ratio entis in communi; at judicium est quid analogum: quare juxta hunc dicendi modum, judicium definitur eo modo, quo definiri potest analogum, hoc est imperfectè.

Instabis : Potest meliùs , & brevius definiri iudicium , actus intellectùs iudicativus.

Respondeo , vt brevior sit definitio , certè non est clarior , immò nostræ æquivalet ; si enim quaeritur , quid sit actus iudicativus , quid aliud respondebitur , nisi esse actum intellectùs affirmantem . vel negantem ?

Objicies in 3. & 4. assertionem : Aristoteles lib. 3. de anima , c. 6. ait in iis esse compositionem , in quibus est veritas , & falsitas complexa : in iudicio est veritas , aut falsitas complexa : ergo & compositio ; adde quod ibi de iudicio Philosophus loquitur

Resp. dist. majorem : Est compositio præsuppositivè , objectivè , & materialiter , concedo : entitativè , nego majorem ; solutio facilis habet explicatus ex dictis superiori §. Deinde iudicium non est actus compositus , sed compositivus , quæ duo valde differunt ; activa enim compositio non excludit simplicitatem ; sed passiva duntaxat. -

Instabis 1. Tale est iudicium quoad compositionem , qualis est discursus , & propositio vocalis , aut scripta : discursus est compositus entitativè , perinde ac propositio vocalis , aut scripta : ergo & iudicium.

Ad primam partem majoris ; concedo ; & nego primam partem minoris. Discursus enim , vt suo loco ostendam , est simplex essentialiter actus particulâ , ergo , inclusus ; præsuppositivè tamen , & virtualiter multiplex , quia supponit tum apprehensiones , tum iudicia præmissarum. Deinde licèt discursus esset quid compositum , non ideò iudicium componi deberet , quia ille est progressus à nota veritate ad ignotam ; hic verò adhæ-

fio per modum nutûs, & abnutûs.

Ad secundam partem majoris, nego paritatem : Ratio disparitatis est, quia propositio vocalis est aggregatum quoddam ex signis repræsentantibus, tum mentale iudicium, tum subjectum, & prædicatum : iudicium verò fit de identitate prædicati cum subjecto, adeoque cadit directè, & primariò supra vnionem prædicati cum subjecto ; indirectè verò, & secundariò supra prædicatum, & subjectum, quia conceptus, qui respondet verbo, *est*, in hac propositione, *Petrus est homo*, non est vnio in abstracto, quæ extrema non attingat ; aliàs enim manente eodem vnionis conceptu, aliud prædicatum de subjecto, v. g. *animal*, affirmari posset ; quod falsum ; vt enim eadem vnio, quæ materiam nectit cum anima rationali, eandem non potest nectere cum anima leonina : ita vnio mentalis, quæ nectit hominem cum Petro, non potest aliud animal cum eodem Petro coniungere : ergo illa vnio attingit prædicatum, & subjectum, dum affirmat vtriusque identitatem, aut negat ; nec enim potest concipi, aut attingi identitas immediatè, & primariò, quin duo attingantur mediatè, secundariò, & in obliquo, ideoque iudicium antè diximus esse virtualiter, & objectivè multiplex. 2. distingo, tale est iudicium, qualis est propositio vocalis entitativè, nego : objectivè, esto.

Instabis 3. Quod non est sine multis, est multiplex intrinsecè : iudicium non est sine multis : ergo est multiplex intrinsecè, adeoque entitativè compositum.

Respondeo 1. nego maiorem ; relatio enim non est sine multis, & tamen est quid vnum, saltem

intrinsecè. Resp. 2. dist. majorem, quod non est sine multis intrinsecis, concedo: extrinsecis, nego; at judicium non est sine multis, dist. minorem: extrinsecis, concedo: intrinsecis, nego. Materia enim judicii est prædicatum, & subjectum, cum affinitate, vel repugnantia, quæ ad formam judicii præsupponitur, estque ipsi aliquatenus extrinseca; forma autem judicii est nutus mentis cadens in unionem extremorum, & divisionem, dicendo, *est*, vel *non est*.

Instabis 4. Ille actus simplex, vel est imago purè repræsentans identitatem cognitam per apprehensionem, quæ est inter prædicatum, & subjectum: vel unio subjecti, & prædicati: vel consensus intellectûs approbantis identitatem, quæ est inter prædicatum, & subjectum, aut dissensus ejusdem intellectûs reprobantis extremorum nexum.

Respondeo 1. non esse imaginem purè repræsentativam, quia talis imago potest esse expers affirmationis, & negationis, ut cum per apprehensionem identitatem utriusque extremi mihi repræsentato, hoc est propositionem integram. Respondeo 2. quidni dicatur consensus, seu nutus mentis approbantis identitatem extremorum, aut dissensus, seu abnutus mentis reprobantis, & quasi repudiantis identitatem utriusque, ut jam observavi? at annuere, & consentire alicui, aut abnuere, & dissentire, sunt actus simplices, sicut in voluntate volitio, quæ rem amplectitur, & nolitio, quæ eandem respuit, sunt duo actus simplices. Non nego tamen judicium aliquo modo esse imaginem totius enuntiabilis; omnis enim cognitio est productio similitudinis objecti: ergo terminus judicii est expressa illius imago, quæ

nexum extremorum clarè , & distinctè , extrema autem obscurè , & confusè repræsentat.

Instabis 5. Quod resolvitur in partes , ex partibus componitur : judicium resolvitur in prædicatum , & subjectum tanquam in partes : ergo ex partibus componitur.

Resp. concessâ majore , dist. minorem : judicium resolvitur in partes præsuppositivas , concedo : formales , & constituentes , nego minorem , & dist. conseq. judicium ex partibus præsuppositivis componitur , concedo : ex formalibus , & constituentibus , nego.

Objicies 3. Qui legit , aut audit enunciationem aliquam ab alio prolatam , successivè concipit ; ergo judicium successivè format , quod proinde simplex esse nequit.

Resp. concessio antecedente , nego consequentiam ; mens enim apprehensivis omnibus , quos legit , vel audit , terminis , animadvertit subinde illorum convenientiam , aut repugnantiam , & format judicium affirmativum , vel negativum , quod est simplex qualitas. Et verò auditâ propositione proferentis , dubitare possum , an sit vera , vel falsa , adeoque judicium suspendere.

Objicies 4. Eadem qualitas posset repræsentare contradictoria.

Resp. dist. In apprehensione , concedo : in judicio , nego ; mens enim potest apprehendere contradictoria ; at non potest judicare , ut jam diximus.

Objicies 5. Debet esse discrimen inter judicium virtuale Angelorum , & divinum , atque nostrum : at si judicium sit simplex qualitas , nullum erit discrimen : ergo judicium non est simplex qualitas.

Probatur minor, quia judicare formaliter ex nostris principiis, est judicare, quòd vnum alteri conveniat per actum simplicem: at Deus, & Angeli per actum simplicem judicant vnum alteri convenire: ergo &c.

Respondeo, nego minorem primi syllogismi. Ad illius probationem, distinguo majorem: judicare formaliter, est judicare per actum simplicem, qui supponat conceptus inadæquatos, & imperfectos, concedo: qui non supponat, nego. Iudicium autem virtuale Dei, aut Angeli nullos conceptus inadæquatos supponit; cognoscunt enim vno simplici actu prædicatum, & subjectum, & eodem actu formant iudicium de utroque: nos autem concipimus subjectum, & prædicatum diversis conceptibus, quibus accedit iudicium compositivum per modum sententiæ, quod fertur in subjectum etiam singulare, & prædicatum univernale mediatè, & secundariò.

### §. III. *De causa efficiente, & finali formalis iudicii.*

**D**V M quæritur causa effectrix iudicii formalis, quæstio esse potest de Deo, Angelo, homine, & brutis. Ut definiatur, sit

I. **A S S E R T I O.** Nec Deus, nec Angelus circa ea, quæ cognoscit intuitivè, judicant formaliter. Probatur: iudicium formale tria includit, conceptuum multitudinem, 2. confusionem, 3. inadæquationem cum objecto, quia illud attingunt per alienas species: hæc tria Deum, utpote perfectè cognoscentem, dedecent, & Angelum intuitivè cognoscentem, quia rem attingit, ut in se est,  
per



per propriam speciem : ergo nec Deus , nec Angelus circa ea , quæ videt intuitivè , possunt formaliter judicare. Certè Deus ex D. Thoma 1. part. q. 14. a. 16. omnia novit *non per compositionem , vel divisionem , sed per simplicem intuitum sua essentia.* Et paulò post : *sicut scit materialia immaterialiter , & composita simpliciter : ita scit enuntiabilia , non per modum enuntiabilium , sed unumquodque cognoscit per simplicem intelligentiam , intelligendo essentiam uniuscujusque.*

II. ASSERTIO. Nulla potentia materialis cognoscens judicat formaliter. Ita Toletus 3. de anima c. 3. q. 7. Suares Granat. 3. de anima c. 6. n. 8. & Suares Lusitanus de anima tract. 3. disp. 2. de appr. & jud. Probatur : *judicium formale est inclinatio , seu adhæsió mentis ad alteram contradictionis partem , præmissâ comparatione conceptuum inter se : nullus sensus comparat ; comparatio enim est actus potentia , se ipsam supra operationes , & objectum reflectentis ; sensus autem se reflectere non potest , quia redire in se non potest , utpote extensus ; itaque nec comparare. Ad hæc : qui judicat formaliter , attingit habitudinem prædicati cum subjecto : illa habitudo nullo sensu percipi potest.*

Objicies : *Illa habitudo est quid singulare , & materiale : vis imaginatrix potest attingere omne singulare , & materiale : ergo & ejusmodi habitudinem.*

Negat minorem Suares Lusit. nec enim verum est , inquit , omnia singularia , & materialia à phantasia percipi posse , ut patet in relationibus , negationibus , habitudinibus , & connexionibus mediorum ad finem , quia licèt verè singularia , &

corporata sint , tamen formaliter sumpta phantasia vim superant , sed de his plura egimus in Ethica vniuersali , disp. 3. de fine art. 2.

I. Intellectus Angelicus circa res inevidentes , & humanus iudicat formaliter. Probatur : quia componit vterque intellectus ac dividit : at componere ac dividere , est iudicare formaliter : ergo intellectus angelicus circa res inevidentes , & humanus iudicat formaliter : deinde vbi datur multitudo conceptuum , confusio , & inadæquatio , datur iudicium formale : in Angelo circa res inevidentes , & in homine datur multitudo conceptuum , confusio , & inadæquatio : ergo & formale iudicium.

Ex dictis tria inferuntur. Primum , Deus iudicat tantùm virtualiter , dum apprehendit perfectè prædicatum in subjecto , ideòque perfectissima ratio iudicii , detractis imperfectionibus , ipsi conuenit. Secundum , bruta non iudicant quoque formaliter , quia nullum materiale supra se , & in se subsèque actus redit , vtpote extensum. Tertium , in brutis tamen est quoddam iudicium virtuale , prout complexio phantasmatum in illis æquivaleret iudicio formali ad movendum ipsorum appetitum , sed à divino multùm discrepat , tum quia materiale est planè totum : tum quia includit compositionem phantasmatum.

III. ASSERTIO. Causa finalis iudicii intrinseca est , vt adæquet quodammodo conceptuum compositionem vnitatem rei : extrinseca verò cognitio veritatis.

Probatur prima pars : Intellectus multos vnus ejusdemque rei conceptus inadæquatos format per primam operationem , quos in vnum conjungit ,

per iudicium affirmativum beneficio copulæ, si affines sint; vel disjungit per negativum, si repugnantes. Probatur secunda; ideò enim formamus iudicia, ut rei veritatem consequamur: sed de veritate iudicii postea fusiùs.

S. IV. *De secunda mentis operatione, ut est in voce, seu De enuntiatione.*

1. SECUNDA MENTIS operationem, ut vocibus exprimitur, describit Aristoteles lib. de interpr. c. 4. est oratio, quæ verum, aut falsum significat. Vbi oratio instar generis obtinet, ideòque juvat hîc primùm de genere, tum de differentia breviter disputare.

1. Oratio definitur ab Aristotele lib. de interpr. cap. 4. Vox significans ex instituto, cujus aliqua pars significat separatim, non ut affirmatio, aut negatio, sed ut dictio tantùm.

Dicitur 1. vox; licèt enim pluribus vocibus constet, tamen quia simul junctæ vnum efficiunt sensum, habentur tanquam vna vox complexa; 2. significans ex instituto, in quo convenit cum nomine, & verbo; 3. cujus aliqua pars significat separatim, non ut affirmatio aut negatio, ut distinguatur à syllogismo, cujus partes, propositiones cum sint, significant, ut affirmatio aut negatio; partes autem proximæ orationis significant per modum dictionis. Dixi proximæ, quia partes orationis remotæ sunt syllabæ, ex quibus dictio contextitur.

I I I. Oratio duplex ; altera , quæ puris terminis constat nullo verbo connexis , vt *ager floribus confitus* ; altera , quæ verbum habet , vt *Paulus est sapiens*.

I V. Hæc iterùm duplex , perfecta , & imperfecta ; illa verum aut falsum significat , éstque indicativi modi , vt *Paulus est doctus* : hæc licèt verbum includat , propriè nec verum , nec falsum significat , vt *utinam omnes homines saperent , ac novissima providerent*.

Prima pertinet ad Logicos , qui vnam curant veritatem ; modus autem indicativus enuntiandæ veritati aptissimus , ideòque Græcis dicitur *ὀριστικός* , *definitivus*. Quintiliano , *fatendi modus* , quia propriè verum aut falsum ponit , & enuntiat , cæteri autem modi nihil ponunt , & asseverant : non imperativus , in quo non est affirmatio , aut negatio per se : non conjunctivus , quia particula , *si* , auditorem dubium relinquit , & incertum ; non optativus , qui vt optet aliquid fieri , nihil utique asseverat : non infinitivus , qui nihil definit. Secunda Rhetorum , & Poëtarum propria , qui toti sunt in commovendis affectibus.

v. Imperfecta quadruplex , vocativa , interrogativa , ad quam dubitativa reducitur , imperativa , denique deprecativa ; illa superiorum propria , hæc inferiorum ad superiores , ad quam optativa revocatur , quia inferior superiorem aliter movere non potest , quàm expressione desiderii. Ratio divisionis est ex D. Thoma , hïc lect. 7. quia rationis duplex munus ; alterum , veritatem absolutè in se concipere , & asseverando proferre : alterum , alios dirigere , & ordinare. Primum præstat per orationem perfectam , quâ conceptus absolutè efferre so-

let. Secundum per alias orationis species, ordinem rationis, secundum quem alii diriguntur, significantes. Porrò homo dirigitur ab alio ad tria, 1. ad attentionem mentis, cui oratio vocativa servit, 2. ad responsionem oris, quod per interrogativam præstat, 3. ad executionem operis, ad quod conducit imperativa superioris ad inferiorem, & deprecativa inferioris apud superiorem.

V I. Differentia enuntiationis duplex; altera essentialis; altera accidentalis, quæ proprietatem illius explicat; hinc duplex illius definitio, essentialis, & accidentalis.

V I I. Essentialis traditur lib. I. prior. c. 1. est oratio aliquid primò affirmans, vel negans; ab aliis, vt disjunctionem fugiant, definitur oratio primò enuntians aliquid de alio: accidentalis traditur lib. de interpr. c. 4. oratio, quæ verum, aut falsum enuntiat. Adjunxi vtrique definitioni hanc vocem *primò*, quia enuntiatio est media inter apprehensionem, & argumentationem; ad eòque aliquid commune, & proprium habere debet. Oratio illi cum vtraque communis; verum, aut falsum significare, peculiare ac suum habet, quo ab apprehensione distinguitur; primò verum, ac falsum significare illi quoque proprium, quo à syllogismo distinguitur, qui secundariò verum, & falsum significat, sicut secundariò affirmat, aut negat.

V I I I. Affirmatio, & negatio sunt essentielles propositioni, quia essentia rei est id, quod est primum in re, & ex quo, vt è fonte reliqua fluunt: affirmatio, & negatio sunt quid primum in enuntiatione, ex quo, vt è fonte, veritas, & falsitas fluunt; quærenti enim, cur propositio sit vera,

vel falsa , rectè respondetur , quia affirmat id , quod est in re : vel negat id quod illi non convenit : aut quia affirmat de re , quod non est in re , aut negat quod ipsi convenit. Deinde sicut verum in commune sequitur ad ens , ut nativa illius affectio , & prius est rem esse , quàm veram esse : ita enuntiatio prius significat rem esse , vel non esse , deinde veram , vel falsam esse ; hinc

I x. Affirmatio , & negatio dividunt immediatè genus analogum , quamvis affirmatio sit prior dignitate , quàm negatio. Dixi genus analogum ; affirmatio enim , & negatio includunt essentialiter iudicium. Et verò inter se formaliter opponuntur penes objecta formalia ; affirmativa enim enuntiatio habet pro objecto formali convenientiam prædicati cum subjecto , negativa repugnantiam utriusque.

x. Propositionis triplex usus. Primus , ut nobis ipsis loquamur. Secundus , ut præsentibus animi sensa aperiamus. Tertius , ut absentibus declaremus ; hinc triplex propositio mentalis , vocalis , & scripta. Mentalis animo concipitur , vocalis ore profertur. Scripta litteris exaratur. Mentalis obscura , quia interna. Scripta , quia vocalem refert , & per eam definitur , minùs nota , quàm vocalis. Vocalis omnium notissima , de qua proinde Logici præsertim agunt , dum partitionem enuntiationis instituunt.

#### §. V. *Varia nomina secunda operationis.*

I. **N**ON vnum est secundæ mentis operationis nomen. Dicitur i. iudicium , seu sententia , quia mens examinata duorum conceptuum affini-

tate, vel repugnantia, ut iudex sententiam pronuntiat, tribuitque subjecto, quod suum est, per affirmationem, & tollit, quod alienum est, per negationem; 2. affirmatio, quia intellectus dubius, & quasi vacillans, an vnus terminus alteri conveniret, post examen vtriusque, denique per secundam operationem quasi se firmat, roboratque, dicendo vnum alteri inesse, aut non inesse; 3. propositio, vel quod mens per ipsam, quid sentiat, proponat, vel quod possit esse pars syllogismi, quo sensu dicitur Græcis πρότασις à προτινω id est, *pratendo*, quia conclusioni instar scuti prærenditur, ne possit ab adversario everti; 4. enuntiatio, quia exterius enuntiat mentis iudicium; 5. ἐρμηνεία, *interpretatio cogitationum*; 6. effatum Ciceroni, & pronuntiatum; 7. Stoicis ἀξιωμα; 8. problema, seu quæstio, ut in disputationem cadit. Denique conclusio, quatenus ex præmissis infertur, sed tunc est iudicium secundum.

## ARTICVLVS II.

*Divisio enuntiationis.*

**E**NUNTIATIO spectari potest vel absolutè, & secundùm se, vel relativè, cùm duæ comparantur inter se; hinc partitio enuntiationis in suas species petitur. Rursus in enuntiatione secundùm se tria spectari debent, substantia, quantitas, & qualitas. Substantia enuntiationis, utpote composita, duo includit, materiam, & formam. Materia iterum duplex, remota, & proxima; remota sunt termini absolutè spectati: proxima, termini iidem cum aliqua habitudine affinitatis, vel

oppositionis : Quare hîc instituenda est partitio enuntiationis , 1. râtione materiæ remotæ , 2. râtione materiæ proximæ , 3. râtione formæ , 4. râtione quantitatis , 5. râtione qualitatis.

§. I. *Divisio enuntiationis ex parte materiæ remotæ.*

I. **M**ATERIA remotâ cujusque artefacti est id, ex quo nondum elaborato opus fieri potest. Breviùs, ex quo opus confici potest, sed non proximè ; tales autem sunt termini propositionis absolutè, & citra habitudinem spectati ; hinc

II. Ex parte materiæ remotæ, dividitur enuntiatio in enuntiationem de secundo adjacente, & enuntiationem de tertio adjacente. Prima est, in qua verbum substantivum simul est copula, & terminus, vt *Deus est* ; verbum enim, *est*, in hac propositione æquivaleret verbo existendi, adeoque sic resolvi debet, *Deus est existens*. Secunda, in qua verbum, *est*, fungitur tantùm vice copulæ connectentis duos terminos, vt *homo est animal*.

Quantum

Propositio de tertio adjacente est in materia vel necessaria, vel contingente. Si primum, tunc verbum, *est*, habet rationem copulæ tantùm, & sumitur substantivè. Si secundum, habet rationem prædicati saltem inadæquati, sumiturque adjectivè, vt *Petrus est doctus*, sensus est, *Petrus est existens doctus*.

III. Propositio de tertio adjecto subdividitur in finitam, & infinitam. Finita est, quæ constat terminis finitis, vt *homo est animal* : infinita, quæ infinitis, vt *Paulus est non leo*.



v. Triplex species propositionis infinitæ ; prima , in qua prædicatum est tantum infinitum , vt *Petrus est non equus*. Secunda , in qua subiectum solum infinitum est , vt *non leo est equus*. Tertia , in qua utrumque infinitum est , vt *non leo est non equus*. Porro propositionis finitæ ab infinita distinctio in propositione tertii adjecti perfacilis ; in propositione autem secundi adjecti difficilis , quia particula , *non* , verbo præfixa , verbum afficere potest , vel vt habet rationem copulæ verbalis , vel vt habet rationem attributi. Primo sensu facit propositionem finitam negantem. Secundo infinitam , vt ex resolutione constabit.

v. Finita dividitur in simplicem , & compositam ; simplex est , cuius partes separatim sumptæ non significant instar affirmationis , aut negationis : vt *Petrus est homo* , composita , cuius partes seorsim significant instar affirmationis , aut negationis : vt *si sol lucet , dies est*. Prima dicitur simpliciter , & propriè propositio. Secunda impropriè , & secundum quid , quatenus ad primam reduci potest.

v i. Compositæ subdivisio fit in conditionalem , causalem , disjunctivam , & copulativam , quia sunt quatuor particulæ , quæ sensum propositionum simplicium , quas connectunt , suspendere valent , *si , quia , vel , &*.

v i i. Conditionalis est , quæ particulam , *si* , habet sibi præfixam , vt *si Petrus studet , laudem meretur* : causalis , quæ particulam , *quia* ; quia *sol lucet , dies est* : disjunctiva , quæ particulam *vel , aut* : vt *vel Paulus studet , vel negatur* ; conjunctiva , quæ particulam , *& , ac , atque* : vt *Petrus*

*est modestus, & doctus.* Circa veritatem ejusmodi propositionum multi sunt canones.

VIII. Circa veritatem conditionalis tres sunt. Primus, conditionalis partes duæ: prior, quæ dicitur antecedens, & sensum suspendit: posterior, quæ consequens; v. g. *si virtus cerneretur oculis, amorem sui in animis excitaret: si virtus oculis cerneretur, ecce antecedens: amorem sui in animis excitaret, en consequens.* Secundus, conditionalis nihil ponit, & asseverat, nisi posita conditione. Tertius, veritas propositionis conditionalis æstimatur ex connexionione antecedentis, sive partes illæ seorsim sumptæ veræ sint, sive falsæ. Ratio est, quia in conditionali sola spectatur connexio, & conditio rei, non res ipsa: vnde res possunt esse falsæ, & tamen propositio vera, in quâ à conjunctiva discrepat: v. g. *si bos volat, habet alas, bona est consecutio, & vera conditionalis, licet utrumque absolutè falsum sit, & bovem volare, & habere alas.* Porro inter conditionales, aliæ sunt causales, vt *si emptor dederit pretium, merx ei dabitur:* aliæ rationem signi habent: *si manecalum rubet, flatus erit ventorum:* aliæ modum significant, *si ad me die constituto veneris, dabo pecuniam:* aliæ collationem, *si justi à Deo ob leves offensas tam graviter puniuntur; quantò magis improbi ob gravissima scelera?*

IX. Circa causalis veritatem, duplex canon. Primus, omnes propositiones, in quas resolvi potest, debent esse veræ. Defectu hujus conditionis hæc propositio est falsa; *quia Paulus est leo, est rugibilis, quæ si conditionatè efferretur, esset vera: v. g. si Paulus est leo, est rugibilis.* Secundus, quæ pars in causalis antecedens dicitur, debet al-

terius consequentis causam continere. Defectu hujus conditionis non valet, quia *Paulus est homo, vitium est vituperandum*, quia esse hominem in Paulo, non est causa, ob quam vitium est vituperandum.

x. Disjunctiva vel divisiva est, ut *omne animal, vel estrationale, vel irrationale*: vel discretiva, ut *Petrus aut studet, aut ludit*. Circa divisivæ veritatem, duplex canon. Primus, membra sub disjunctione proposita, debent sub communi, quem dividunt, termino contineri. Secundus, membra simul sumpta terminum divisum adæquent: utraque lex servatur in propositione mox allata. Circa veritatem discretivæ vnicus; ad veritatem disjunctivæ satis est vnâ partem esse veram: falsa autem ea censetur, cujus aut nulla pars vera est, vel in qua datur aliquod membrum intermedium; hinc non valet, aut fervida est aqua, aut gelida, quia potest esse tepida.

x i. Circa veritatem copulativæ, duplex canon. Primus, utraque pars conjunctivæ sit vera, aliter falsa propositio. Secundus, oppositio copulativa petenda est ex negatione conjunctioni adjuncta; huic opponuntur, *Poëta volunt simul delectare, & prodesse*: *Poëta non volunt simul delectare, & prodesse*. Quòd si negativa sit, potest esse vera, modò vna pars vera sit, ut *homo non est animal, & planta*.

x i i. Ad compositam etiam revocantur, quæ habent notas comparisonis penes quantitatem, qualitatem, locum, & tempus, ut *quantò quisque studiosior, tantò doctior; qualis princeps, talis civis*: *ubi cadauer, ibi aquila, &c.*

corporata sint , tamen formaliter sumpta phantasia vim superant , sed de his plura egimus in Ethica vniuersali , disp. 3. de fine art. 2.

I I. Intellectus Angelicus circa res inevidentes , & humanus iudicat formaliter. Probatum : quia componit vterque intellectus ac dividit : ac componere ac dividere , est iudicare formaliter : ergo intellectus angelicus circa res inevidentes , & humanus iudicat formaliter : deinde vbi datur multitudo conceptuum , confusio , & inadæquatio , datur iudicium formale : in Angelo circa res inevidentes , & in homine datur multitudo conceptuum , confusio , & inadæquatio : ergo & formale iudicium.

Ex dictis tria inferuntur. Primum , Deus iudicat tantum virtualiter , dum apprehendit perfectè prædicatum in subiecto , ideòque perfectissima ratio iudicii , detractis imperfectionibus , ipsi conuenit. Secundum , bruta non iudicant quoque formaliter , quia nullum materiale supra se , & in se suòque actus redit , utpote extensum. Tertium , in brutis tamen est quoddam iudicium virtuale , prout complexio phantasmatum in illis æquivaleret iudicio formali ad movendum ipsorum appetitum , sed à divino multum discrepat , tum quia materiale est planè totum : tum quia includit compositionem phantasmatum.

III. ASSERTIO. Causa finalis iudicii intrinseca est , vt adæquet quodammodo conceptuum compositione vnitatem rei : extrinseca verò cognitio veritatis.

Probatum prima pars : Intellectus multos vnus eisdemque rei conceptus inadæquatos format per primam operationem , quos in vnum coniungit,

per iudicium affirmativum beneficio copulæ, si affines sint; vel disjungit per negativum, si repugnantes. Probatur secunda; ideò enim formamus iudicia, ut rei veritatem consequamur: sed de veritate iudicii postea fusiùs.

§. IV. *De secunda mentis operatione, ut est in voce, seu De enuntiatione.*

1. **S**ECUNDAM mentis operationem, ut vocibus exprimitur, describit Aristoteles lib. de interpr. c. 4. est oratio, quæ verum, aut falsum significat. Vbi oratio instar generis obtinet, ideòque juvat hîc primùm de genere, tum de differentia breviter disputare.

1. 1. Oratio definitur ab Aristotele lib. de interpr. cap. 4. Vox significans ex instituto, cujus aliqua pars significat separatim, non ut affirmatio, aut negatio, sed ut dictio tantùm.

Dicitur 1. vox; licet enim pluribus vocibus constet, tamen quia simul junctæ vnum efficiunt sensum, habentur tanquam vna vox complexa; 2. significans ex instituto, in quo convenit cum nomine, & verbo; 3. cujus aliqua pars significat separatim, non ut affirmatio aut negatio, ut distinguatur à syllogismo, cujus partes, propositiones cum sint, significant, ut affirmatio aut negatio; partes autem proximæ orationis significant per modum dictionis. Dixi proximæ, quia partes orationis remotæ sunt syllabæ, ex quibus dictio contextitur.

I I I. Oratio duplex ; altera , quæ puris terminis constat nullo verbo connexis , vt *ager floribus confitus* ; altera , quæ verbum habet , vt *Paulus est sapiens*.

I V. Hæc iterùm duplex , perfecta , & imperfecta ; illa verum aut falsum significat , éstque indicativi modi , vt *Paulus est doctus* : hæc licèt verbum includat , propriè nec verum , nec falsum significat , vt *utinam omnes homines saperent , ac novissima providerent*.

Prima pertinet ad Logicos , qui vnã curant veritatem ; modus autem indicativus enuntiandæ veritati aptissimus , ideòque Græcis dicitur *ὁριστικός* , *definitivus*. Quintiliano , *fatendi modus* , quia propriè verum aut falsum ponit , & enuntiat , cæteri autem modi nihil ponunt , & asseverant : non imperativus , in quo non est affirmatio , aut negatio per se : non conjunctivus , quia particula , *si* , auditorem dubium relinquit , & incertum ; non optativus , qui vt optet aliquid fieri , nihil vtiq̃ asseverat : non infinitivus , qui nihil definit. Secunda Rhetorum , & Poëtarum propria , qui toti sunt in commovendis affectibus.

v. Imperfecta quadruplex , vocativa , interrogativa , ad quam dubitativa reducitur , imperativa , denique deprecativa ; illa superiorum propria , hæc inferiorum ad superiores , ad quam optativa revocatur , quia inferior superiorem aliter movere non potest , quàm expressione desiderii. Ratio divisionis est ex D. Thoma , hïc lect. 7. quia rationis duplex munus ; alterum , veritatem absolutè in se concipere , & asseverando proferre : alterum , alios dirigere , & ordinare. Primum præstat per orationem perfectam , quâ conceptus absolutè efferre so-

let. Secundum per alias orationis species, ordinem rationis, secundum quem alii diriguntur, significantes. Porrò homo dirigitur ab alio ad tria, 1. ad attentionem mentis, cui oratio vocativa servit, 2. ad responsionem oris, quod per interrogativam præstat, 3. ad executionem operis, ad quod conducit imperativa superioris ad inferiorem, & deprecativa inferioris apud superiorem.

V I. Differentia enuntiationis duplex; altera essentialis; altera accidentalis, quæ proprietatem illius explicat; hinc duplex illius definitio, essentialis, & accidentalis.

V I I. Essentialis traditur lib. 1. prior. c. 1. est oratio aliquid primò affirmans, vel negans; ab aliis, vt disjunctionem fugiant, definitur oratio primò enuntians aliquid de alio; accidentalis traditur lib. de interpr. c. 4. oratio, quæ verum, aut falsum enuntiat. Adjunxi vtrique definitioni hanc vocem *primò*, quia enuntiationis est media inter apprehensionem, & argumentationem; ad eòque aliquid commune, & proprium habere debet. Oratio illi cum vtraque communis; verum, aut falsum significare, peculiare ac suum habet, quo ab apprehensione distinguitur; primò verum, ac falsum significare illi quoque proprium, quo à syllogismo distinguitur, qui secundariò verum, & falsum significat, sicut secundariò affirmat, aut negat.

V I I I. Assertio, & negatio sunt essentielles propositioni, quia essentia rei est id, quod est primum in re, & ex quo, vt è fonte reliqua fluunt: assertio, & negatio sunt quid primum in enuntiatione, ex quo, vt è fonte, veritas, & falsitas fluunt; quærenti enim, cur propositio sit vera,

vel falsa , rectè respondetur , quia affirmat id , quod est in re : vel negat id quod illi non convenit : aut quia affirmat de re , quod non est in re , aut negat quod ipsi convenit. Deinde sicut verum in commune sequitur ad ens , vt nativa illius affectio , & prius est rem esse , quàm veram esse : ita enuntiatio priùs significat rem esse , vel non esse , deinde veram , vel falsam esse ; hinc

I X. Affirmatio , & negatio dividunt immediatè genus analogum , quamvis affirmatio sit prior dignitate , quàm negatio. Dixi genus analogum ; affirmatio enim , & negatio includunt essentialiter iudicium. Et verdè inter se formaliter opponuntur penes objecta formalia ; affirmativa enim enuntiatio habet pro objecto formali convenientiam prædicati cum subjecto , negativa repugnantiam vtriusque.

X. Propositionis triplex vsus. Primus , vt nobis ipsis loquamur. Secundus , vt præsentibus animi sensa aperiamus. Tertius , vt absentibus declaremus ; hinc triplex propositio mentalis , vocalis , & scripta. Mentalis animo concipitur , vocalis ore profertur. Scripta litteris exaratur. Mentalis obscura , quia interna. Scripta , quia vocalem refert , & per eam definitur , minùs nota , quàm vocalis. Vocalis omnium notissima , de qua proinde Logici præsertim agunt , dum partitionem enuntiationis instituunt.

### §. V. *Varia nomina secundæ operationis.*

I. **N**ON vnum est secundæ mentis operationis nomen. Dicitur I. iudicium , seu sententia , quia mens examinatâ duorum conceptuum affini-



tate, vel repugnantia, ut iudex sententiam pronuntiat, tribuitque subjecto, quod suum est, per affirmationem, & tollit, quod alienum est, per negationem; 2. affirmatio, quia intellectus dubius, & quasi vacillans, an vnus terminus alteri conveniret, post examen vtriusque, denique per secundam operationem quasi se firmat, roboratque, dicendo vnum alteri inesse, aut non inesse; 3. propositio, vel quod mens per ipsam, quid sentiat, proponat, vel quod possit esse pars syllogismi, quo sensu dicitur Græcis πρότασις à προτείνω id est, *pratendo*, quia conclusioni instar scuti prærenditur, ne possit ab adversario everti; 4. enuntiatio, quia exterius enuntiat mentis iudicium; 5. ἐρμηνεία, *interpretatio cogitationum*; 6. effatum Ciceroni, & pronuntiarum; 7. Stoicis ἀξιωμα; 8. problema, seu quaestio, ut in disputationem cadit. Denique conclusio, quatenus ex præmissis inferitur, sed tunc est iudicium secundum.

ARTICVLVS II.

*Divisio enuntiationis:*

**E**NUNTIATIO spectari potest vel absolute, & secundum se, vel relative, cum duæ comparantur inter se; hinc partitio enuntiationis in suas species petitur. Rursus in enuntiatione secundum se tria spectari debent, substantia, quantitas, & qualitas. Substantia enuntiationis, utpote composita, duo includit, materiam, & formam. Materia iterum duplex, remota, & proxima; remota sunt termini absolute spectati: proxima, termini iidem cum aliqua habitudine affinitatis, vel

oppositionis : Quare hinc instituenda est partitio enuntiationis , 1. ratione materiæ remotæ , 2. ratione materiæ proximæ , 3. ratione formæ , 4. ratione quantitatis , 5. ratione qualitatis.

§. I. *Divisio enuntiationis ex parte materiæ remotæ.*

I. **M**ATERIA remotæ cujusque artefacti est id, **M**ex quo nondum elaborato opus fieri potest. Brevius, ex quo opus confici potest, sed non proximè ; tales autem sunt termini propositionis absolutè , & citra habitudinem spectati ; hinc

II. Ex parte materiæ remotæ , dividitur enuntiatio in enuntiationem de secundo adjacentem , & enuntiationem de tertio adjacentem. Prima est , in qua verbum substantivum simul est copula , & terminus , vt *Deus est* ; verbum enim , *est* , in hac propositione æquivaleret verbo existendi , adeoque sic resolvi debet , *Deus est existens*. Secunda , in qua verbum , *est* , fungitur tantum vice copulæ connectentis duos terminos , vt *homo est animal*.

Quanquam

Propositio de tertio adjacentem est in materia vel necessaria , vel contingente. Si primum , tunc verbum , *est* , habet rationem copulæ tantum , & sumitur substantivè. Si secundum , habet rationem prædicati saltem inadæquati , sumiturque adjectivè , vt *Petrus est doctus* , sensus est , *Petrus est existens doctus*.

III. Propositio de tertio adjecto subdividitur in finitam , & infinitam. Finita est , quæ constat terminis finitis , vt *homo est animal* : infinita , quæ infinitis , vt *Paulus est non leo*.

I V. Triplex species propositionis infinitæ ; prima , in qua prædicatum est tantum infinitum , vt *Petrus est non equus*. Secunda , in qua subiectum solum infinitum est , vt *non leo est equus*. Tertia , in qua utrumque infinitum est , vt *non leo est non equus*. Porro propositionis finitæ ab infinita distinctio in propositione tertii adjecti perfacilis ; in propositione autem secundi adjecti difficilis , quia particula , *non* , verbo præfixa , verbum afficere potest , vel vt habet rationem copulæ verbalis , vel vt habet rationem attributi. Primo sensu facit propositionem finitam negantem. Secundo infinitam , vt ex resolutione constabit.

V. Finita dividitur in simplicem , & compositam ; simplex est , cuius partes separatim sumptæ non significant instar affirmationis , aut negationis : vt *Petrus est homo* , composita , cuius partes seorsim significant instar affirmationis , aut negationis : vt *si sol lucet , dies est*. Prima dicitur simpliciter , & propriè propositio. Secunda impropriè , & secundum quid , quatenus ad primam reduci potest.

VI. Compositæ subdivisio fit in conditionalem , causalem , disjunctivam , & copulativam , quia sunt quatuor particulæ , quæ sensum propositionum simplicium , quas connectunt , suspendere valent , *si* , *quia* , *vel* , &c.

VII. Conditionalis est , quæ particulam , *si* , habet sibi præfixam , vt *si Petrus studet , laudem meretur* : causalis , quæ particulam , *quia* ; quia *sol lucet , dies est* : disjunctiva , quæ particulam *vel* , aut : vt *vel Paulus studet , vel nugatur* ; conjunctiva , quæ particulam , &c , ac , atque : vt *Petrus*

*est modestus, & doctus.* Circa veritatem ejusmodi propositionum multi sunt canones.

V I I I. Circa veritatem conditionalis tres sunt. Primus, conditionalis partes duæ: prior, quæ dicitur antecedens, & sensum suspendit: posterior, quæ consequens; v. g. *si virtus cerneretur oculis, amorem sui in animis excitaret: si virtus oculis cerneretur, ecce antecedens: amorem sui in animis excitaret, en consequens.* Secundus, conditionalis nihil ponit, & asseverat, nisi posita conditione. Tertius, veritas propositionis conditionalis æstimatur ex connexionione antecedentis, sive partes illæ seorsim sumptæ veræ sint, sive falsæ. Ratio est, quia in conditionalis sola spectatur connexio, & conditio rei, non res ipsa: vnde res possunt esse falsæ, & tamen propositio vera, in quâ à conjunctiva discrepat: v. g. *si bos volat, habet alas, bona est consecutio, & vera conditionalis, licet utrumque absolutè falsum sit, & bovem volare, & habere alas.* Porro inter conditionales, aliæ sunt causales, vt *si emptor dederit pretium, merx ei dabitur:* aliæ rationem signi habent: *si manecalum rubet, flatus erit ventorum:* aliæ modum significant, *si ad me die constituto veneris, dabo pecuniam:* aliæ collationem, *si justi à Deo ob leves offensas tam graviter puniuntur; quantò magis improbi ob gravissima scelera?*

IX. Circa causalis veritatem, duplex canon. Primus, omnes propositiones, in quas resolvi potest, debent esse veræ. Defectu hujus conditionis hæc propositio est falsa; *quia Paulus est leo, est rugibilis, quæ si conditionatè efferretur, esset vera: v. g. si Paulus est leo, est rugibilis.* Secundus, quæ pars in causalis antecedens dicitur, debet al-

terius consequentis causam continere. Defectu hujus conditionis non valet, quia *Paulus est homo, vitium est vituperandum*, quia esse hominem in Paulo, non est causa, ob quam vitium est vituperandum.

x. Disjunctiva vel divisiva est, vt *omne animal, vel est rationale, vel irrationale*: vel discretiva, vt *Petrus aut studet, aut ludit*. Circa divisivæ veritatem, duplex canon. Primus, membra sub disjunctione proposita, debent sub communi, quem dividunt, termino contineri. Secundus, membra simul sumpta terminum divisum adæquent: vtraque lex servatur in propositione mox allata. Circa veritatem discretivæ vnicus; ad veritatem disjunctivæ satis est vnâ partem esse veram: falsa autem ea censetur, cuius aut nulla pars vera est, vel in qua datur aliquod membrum intermedium; hinc non valet, aut fervida est aqua, aut gelida, quia potest esse tepida.

: x i. Circa veritatem copulativæ, duplex canon. Primus, vtraque pars conjunctivæ sit vera, aliter falsa propositio. Secundus, oppositio copulativa petenda est ex negatione conjunctioni adjuncta; huic opponuntur, *Poëta volunt simul delectare, & prodesse*: *Poëta non volunt simul delectare, & prodesse*. Quòd si negativa sit, potest esse vera, modò vna pars vera sit, vt *homo non est animal, & planta*.

x i i. Ad compositam etiam revocantur, quæ habent notas comparisonis penes quantitatem, qualitatem, locum, & tempus, vt *quantò quisque studiosior, tantò doctior; qualis princeps, talis cæcis: ubi cadaver, ibi aquila, &c.*

§. II. *Divisio enuntiationis ex parte materiae proxima.*

I. **M**A T E R I A proxima enuntiationis, sunt termini cum habitudine affinitatis, vel oppositionis: porro ratione materiae proximae enuntiationo dividitur in necessariam, & contingentem, impossibilem, & possibilem. Ratio partitionis est, quia totuplex est enuntiationo ratione materiae proximae, quotuplex est habitudo praedicti ad subjectum: quadruplex est habitudo praedicti ad subjectum; nam vel ita praedictum jungitur subjecto, ut non possit non jungi, ut *leoni animal*: vel ita jungitur, ut possit non jungi, ut *Paulo sapiens*: vel ita non jungitur, ut nunquam possit jungi, ut *homini equus*: vel ita non jungitur, ut possit jungi aliquando, ut *puero senex*. Prima habitudo facit propositionem necessariam: secunda, contingentem: tertia, impossibilem: quarta, possibilem: ergo &c.

II. Propositio necessaria est, cujus praedictum ita jungitur subjecto, ut non possit non jungi, seu quae ita necessario vera est, ut nunquam possit esse falsa. Ita autem se habent, in quibus vel genus, vel species, vel differentia, vel proprium quarto modo praedicitur, ut *homo est animal*. Contingens, cujus praedictum ita jungitur subjecto, ut possit non jungi; seu quae ita vera est, ut possit esse falsa: ut *Petrus est doctus*, vulgò talis est propositio, in qua accidens commune de subjecto dicitur, ut *aqua est calida*. Prima dicitur aeternae veritatis: secunda, temporariae.

III. Impossibilis est, in qua termini ita non

junguntur, ut impossibile sit jungi, seu quæ ita falsa est, ut nunquam possit esse vera, ab aliis definitur, in qua pugnantia junguntur, aut species disparatæ, ut *tenebra sunt lux : homo est equus*. Possibilis, in qua prædicatum ita non jungitur subjecto, ut possit jungi; ut *Petrus nunc non est doctus*, potest tamen esse, & si supponatur esse, nihil inde sequitur impossibile.

IV. Confectionem propositionis necessariæ, impossibilis, & contingentis ex ordine categoriarum pendere, ex sequentibus pronuntiatis intelliges.

Primum, quoties gradus superior inferiori ejusdem categoriæ attribuitur, aut qualitas propria subjecti: propositio affirmans necessaria est, & semper vera; negativa impossibilis, & semper falsa. Ratio est, quia attributum subjecto suo inseparabiliter cohæret; hinc propositiones illæ sunt veræ, & necessariæ: *homo est animal : animal est vivens : vivens est corpus : corpus est substantia : homo est risibilis*. Contrà istæ impossibiles, & semper falsæ, *homo non est animal : animal non est vivens*, &c.

Secundum, quoties attributum aut genus disparatum, aut species alterius prædicamenti à subjecto est, aut qualitas ex natura sua repugnans, propositio affirmativa est impossibilis, & semper falsa; negativa, necessaria, & semper vera; hinc impossibiles, & sempiternæ falsitatis propositiones istæ, *animal est lapis : homo est equus : color est sapor*, quia hæc genera, & species substantiarum, & qualitatuum sunt in diversis substantiæ, & qualitatuum seriebus. Impossibiles quoque istæ, & falsæ, *piscis est loquax : ignis est gravis*, quia loqua-

eitas, & gravitas sunt qualitates pisci, & igni ex natura sua repugnantes.

Tertium, quoties attributum est, aut accidens commune physicum, aut denominatio relativa, & subjectum singulare ac determinatum: propositio est contingens, adeoque potest esse vera, & falsa. Ratio est, quia attributum subjecto inesse, aut non inesse potest, ut *Socrates est Philosophus: Socrates non est Philosophus*: utraque enim propositio est contingens.

Dixi 1. subjectum debere esse singulare, non v. niversale: quia propositio, cujus subjectum est v. niversale, sive affirmans illa sit, sive negans, inter impossibiles aliquo modo recensetur, adeoque falsa semper est; 2. determinatum, quia propositio, cujus subjectum indeterminatum est, sive affirmativa sit, sive negativa, habetur pro semper vera, & inter necessarias aliquatenus numeratur.

v. Rursus ratione habitudinis terminorum, enuntiatio, alia pura, alia modalis. Ratio partitionis est, quia interdum in propositione habitudo terminorum verbis non exprimitur, & aliquando exprimitur. Si primum, propositio est pura. Si secundum, dicitur modalis; hinc

v i. Pura propositio est, quæ significat prædicatum subjecto inesse, sed modum, quo inest, non exprimit, ut *homo est animal*. Aristoteli dicitur propositio de *inesse*.

v i i. Modalis est, quæ exprimit modum, quo prædicatum inest, vel non inest subjecto, ut *neccesse est hominem esse rationalem; contingens est Petrum esse doctum; impossibile est hominem esse lapidem; possibile est Petrum esse modestum*. Quan-



V I I I. Modalis duplex, altera primaria, altera  
secundaria; modalis primaria afficitur vno ex qua-  
tuor modis, *necesse*, *impossibile*, *contingens*, *possi-  
bile*. Secundaria, modo secundario, qui vel exclu-  
sivus est, vel exceptivus, vel restrictivus: sed ve  
de vtraque specie modalium accuratiùs tractem,  
sit

### §. III. De enuntiatione modali primaria.

I. **E**NUNTIIATIO modalis primaria quadru-  
plex. Probat, quia quadruplex est modus:  
nempe *necesse*, *impossibile*, *possibile*, & *contin-  
gens*. Modus *necesse* dispositionem rei significat,  
quæ aliter habere se non potest, sive necessitas  
absoluta sit, & simplex, sive hypothetica tantùm.  
*Impossibile* arguit repugnantiam ejusmodi inter  
prædicatum, & subiectum, vt conjungi non pos-  
sint, sive absoluta sit, & simpliciter contradictio-  
nem involvens, sive ex hypothese certa. *Possibile*  
significat rem, quæ nondum est, posse esse, vt  
possibile est pugnantem vincere; clariùs possibi-  
le est, quo facto, & posito nulla repugnantia, aut  
contradictio fit. Denique *contingens* significat rem,  
quæ est, posse non esse, vt *contingens est hominem  
sedere*.

I I. In propositione modali duæ sunt partes,  
*modus*, & *dictum*: v.g. in hac propositione, *ne-  
cesse est hominem esse rationalem*, *necesse* dicitur  
modus, *hominem esse rationalem*, vocatur di-  
ctum.

I I I. Propositio modalis dupliciter efferri potest.  
Primò, ita vt modus sit adverbium, vt *homo est  
necessariò animal*: *Petrus est contingenter doctus*:

*homo est impossibiliter equus : Paulus est possibiliter doctus.* Secundò , ita vt modus sit nomen , vt *hominem esse animal necesse est* , *Petrum esse doctum possibile est* , &c. Primo sensu propositio effertur adverbialiter ; secundo verò nominaliter.

I v. Inter vtramque propositionem id discriminis est , quod in prima modus non sit prædicatum , sed connexionem prædicati cum subjecto duntaxat modificet : in secunda modus sit prædicatum ; dictum verò , seu propositio de *inesse* , sit subjectum : v. g. *hominem esse animal necesse est* , voces istæ , *hominem esse animal* , sunt subjectum , *necesse* autem prædicatum.

v. Propositio modalis potest sumi vel in sensu composito , vel in sensu diviso ; sumitur in sensu composito , cùm extrema dicti possunt simul conjungi , vt *hominem esse animal necesse est* ; *homo* , & *animal* , quæ sunt dictum , possunt inter se conjungi , & de facto conjunguntur inter se , & quidem necessariò. Sumitur in sensu diviso , cùm affirmatur per propositionem rem , quæ nunc est talis , posse alio tempore fieri non talem , vt *parietem album esse nigrum possibile est* ; hæc propositio in sensu diviso vera est , quia hunc sensum habet , parietem , qui nunc albus est , possibile est fieri alio tempore nigrum : in sensu autem composito falsa est , quia hunc sensum continet , parietem , etiam dum manet niger , possibile est album esse ; hinc propositio ista Matth. 19. *impossibile est divitem intrare in regnum celorum* , vera est in sensu composito , falsa in sensu diviso.

v I. Aliter se habet propositio modalis quoad qualitatem , sive essentialem , sive accidentalem : aliter propositio de *inesse*. In modali qualitas ex

modo sumitur non ex dicto ; hinc propositio modalis censetur affirmativa, quæ modum affirmat, quamvis dictum neget, vt *necesse est hominem non esse equum* : negativa autem, in qua modus negat, licet dictum affirmet, vt *hominem ambulare non necesse est*. Item vera est, in qua modus verè affirmatur, aut negatur de dicto, vt impossibile est hominem rugire ; falsa autem, in qua modus falsò prædicatur de dicto, licet dictum ex se verum sit, vt leonem rugire impossibile est.

V I I. Vt propositio modalis sit negativa, particula, *non*, debet subsequi dictum, & antecedere copulam, ac modum ; sin minus propositio modalis est affirmativa, siue dictum sit negans, siue affirmans. Ratio est, quia modus perinde se habet in modalibus, ac verbum in absolutis : at sola verbi negatio facit propositionem negantem : itaque negantes sunt, *impossibile est Socratem sedere* : *non necesse est creaturam esse infinitam*. De qualitate propositionis satis, jam de quantitate.

V I I I. Propositio modalis potest affici duplici quantitate ; alterâ ex parte dicti, quod potest esse vel vniversale, vel particulare, vel singulare, vel indefinitum, quia dictum propositionis modalis est propositio de inesse : alterâ ex parte modi, quæ iterum duplex est ; prima vniversalis, quæ afficitur modo vniversali ; secunda particularis, quæ afficitur modo particulari. Rursus modus vniversalis duplex, *necesse*, & *impossibile* ; modus enim *necesse* habet in se vim adverbii vniversaliter affirmantis, nempe *semper*, vt *necesse est hominem esse rationalem*, idem est, ac homo est semper rationalis. Modus *impossibile* habet in se vim adverbii vniversaliter negantis, nempe *nunquam*, vt

*impossibile est hominem esse lapidem*, idem est ac si dicam, homo nunquam est lapis. Modus item particularis duplex, *contingens*, & *possibile*, quia uterque includit in se adverbia particularia, *interdum*, *plerumque*, &c. hinc sequitur propositionem modalem perfectè vniversalem esse, quæ afficitur quantitate gemina, hoc est tum modi, tum dicti, vt *necesse est omnem hominem esse animal*. Ratio est, quia ratione  $\tau\delta$  *omnem*, animalitatem tribuit omnibus hominibus, & ratione modi  $\tau\delta$  *necesse*, eandem illis tribuit animalitatem pro omni tempore. Porrò vides in hac propositione, inter signum propositionis de *inesse*, & modum, id discriminis esse, quod signum quantitatem multitudinis, seu numeralem, modus autem quantitatem temporis; vtrum autem quantitas propositionis modalis æstimari debeat ex dicto, an ex modo, inter subtiliores Logicos disputatur, multi censent. ex dicto præcipuè æstimandam, quia habet quantitatem multitudinis, non autem ex modo, quia habet quantitatem temporis.

ix. Æquipollentia modalium difficiles habet explicatus, qui mentem obtundant potius, quàm acuant: sed de his alibi.

## §. II. De enuntiatione modali secundaria.

I. **P**R O P O S I T I O modalis secundaria, quæ habet modum secundarium, scholasticis dicitur exponibilis, quia propter obscuritatem eget expositione, debêtque resolvi in duas propositiones simplices, quæ exponentes appellantur.

ii. Triplex est species potissima, nempe *exclusiva*, *exceptiva*, & *restrictiva*, seu *reducativa*.

III. Enuntiatio exclusiva est , quæ constat syncategoremate excludente , cujusmodi sunt *solum* , *tantum* , *unicè* , vt *solus homo est risibilis : solus Adamus inter homines est creatus*.

I V. Exclusiva duplex ; altera exclusiva subjecti , quæ syncategoremate excludente præposito , alia subjecta à participatione ejusdem prædicati excludit : vt *tantum homo est discursivus* , id est homo utitur discursu , & nulla res alia utitur discursu ; vel *solus sapiens est dives* , id est , sapiens est dives , & nullus alius est dives : altera exclusiva prædicati , quæ signo exclusionis inter subjectum , & prædicatum posito , excludit alia prædicata , ab eodem subjecto : vt *Philosophis sola voluptas est speculari*.

V. Exclusiva particula non excludit concomitantia , sive se teneat ex parte subjecti , sive ex parte prædicati , vt *solus Cæsar vicit Pompeium* , vox *solus* non excludit duces , & milites , quia se habent per modum concomitantium. Item *justus vult tantum beatitudinem* ; particula *tantum* non excludit merita , & alia præsidia ad felicitatem requisita.

VI. Exclusiva tum censetur vera , cum ambæ simplices , factâ resolutione , sunt veræ ; falsa autem , si vel ambæ sint falsæ , vel altera.

VII. Enuntiatio exceptiva , quæ constat syncategoremate exceptivo : v. g. *præter* , *nisi* , &c. vt *nullum animal præter hominem est rationale*.

VIII. Circa exceptivam , triplex canon. Primus , subjectum , à quo fit exceptio , sit universale , vt possit distribui , aliàs exceptio non erit legitima : vt si dicas , *animal præter hominem est rationale*. Secundus , id quod excipitur , debet contineri , vt

inferius , sub excipiente , vt superiore ; hinc non valet , *omnis homo , prater leonem , est risibilis* , quia leo non continetur sub homine. Tertius , quod excipitur , debet esse angustius eo , quod excipitur ; hinc non valet , *homo prater hominem disputat*.

ix. Tunc exceptiva vera est , cùm factâ resolutione , duæ simplices sunt veræ ; falsa autem si ambæ sunt falsæ , aut altera : v. g. hæc propositio exceptiva , *omnes homines prater Adamum geniti sunt* , vera est , quia vtraque simplex , in quam resolvitur , est vera , *Adamus non est genitus : ceteri homines sunt geniti*.

x. Enuntiatio restrictiva est , quæ constat notâ limitante , cuiusmodi sunt , *quâ , quatenus* ; limitatio autem est determinatio ejus , secundùm quod prædicatum subjecto convenit , vel non convenit : *vt homo , quatenus homo , est risibilis*.

xi. Limitationis triplex species apud veteres Logicos ; prima est , in qua subjectum repetitur , & prædicato subjicitur , quam *ἀνάδπλασι* vocant , vt *homo , quatenus homo , admirativus est*. Secunda est , quæ terminum subjectum inter , & prædicatum intertextit , propter quem prædicatum subjecto convenit , ideòque *αιτιολογική* , *causalis* vocatur , vt *homo , quatenus animal , est sentiens*. Tertia denique , quam *συνεκδοχικήν* appellant , est , quâ res secundùm partem , aut secundùm accidens restringitur : hujus frequens vsus est tum in Philosophia , tum in Theologia ; nam quod est partis , quâ pars est , id etiam est totius.

xii. Ab aliis partitio limitationis fit in generalem , & specialem ; illa terminis generalibus concipitur : v. g. *absolutè , respectivè , per se , per*

*accidens*, &c. hæc terminis specialibus effertur, éstque vel unius nominis, & simplex, vel diversi nominis, & composita. Simplex rem limitat per se ipsam, dicitúrque specificans, vt *homo, quatenus homo, ridet*: composita subiectum limitat per aliquid diversum à subiecto, vel essentialiter, vt *homo, quatenus animal, sentit*, vel accidentariò, vt ignis, quà calidus vrit, non quà siccus.

X I I I. Limitationis, seu reduplicationis, multiplex est canon. Primus, limitatio habeat faciles explicatus, quia finis illius est perspicuitas. Secundus, limitatio ad subiectum pertinet, quatenus prædicatum ei tribuit; ad prædicatum, quatenus ad subiectum restringit, ideòque ex parte prædicati potissimum se tenet. Tertius, ad veritatem propositionis reduplicativæ duo opus sunt; primum, vt propositio unica, vel plures, quas continet, veræ sint; secundum, vt in sensu formali, vel causali sumantur: v. g. hæc propositio, *homo, quatenus rationalis, est risibilis*, vera est, 1. quia duæ simplices, *homo est rationalis: homo est risibilis*, veræ sunt. 2. quia in hac propositione importatur sensus causalis verus; rationalitas enim est causa risibilitatis in homine. Porrò in propositione reduplicante, sensus causalis requirit causam per se, & non per accidens, necessariam, & non liberam, denique aut totalem, aut partialem, specificam, & ultimam; hinc non valet *sol, quatenus illuminat, exsiccatur*, quia lumen solis est causa per accidens exsiccationis: item *homo, quà animal, est risibile*, non valet, quia animal non est causa specifica, & ultima risibilitatis. Denique vitiosa ista propositio, *homo, quatenus intelligens,*

*est prudens*, quia licet gradus intelligentiæ sit causa specifica prudentiæ, est tamen causa libera, non necessaria.

*§. V. Divisio enuntiationis ex parte formæ.*

I. **F**ORMA enuntiationis est recta, & ordinata connexio terminorum inter se, quâ significatur iudicium, exprimiturque per verbum *est*; hinc ratione formæ

I I. Prima divisio enuntiationis fit in compositivam, seu affirmativam, & divisivam, seu negativam. Affirmativa est, in qua prædicatum dicitur de subiecto, seu componitur cum subiecto per verbum *est*, vt *Petrus est homo*; negativa, in qua prædicatum negatur de subiecto, seu quæ prædicatum à subiecto dividit, vt *homo non est lapis*; hinc affirmatio est dictio unius de alio: negatio, dictio unius ab alio.

I I I. Hæc divisio est adæquata, & in membra essentialiter opposita, quia omnis propositio est vel affirmans, vel negans: quare non potest propositio de negativa fieri affirmativa, quin mutetur essentialiter; præsertim si de mentali quæstio sit. Ratio est, quia negatio objectiva specificat rationem essentialem iudicii negativi, siquidem sub ratione formali negativa, iudicatur prædicatum non esse in subiecto.

Objicies: Propositio mentalis potest fieri de affirmante negans, adjunctâ particulâ, *non*, & manentibus iisdem terminis: ergo potest fieri de affirmante, negans per accidens.

Resp. distinguo antecedens: Manentibus iisdem terminis materialiter, concedo: formaliter, nego;



nam particula, *non*, tollit vnionem extremorum, adeoque terminos formaliter sumptos : ergo mutat iudicium per se, & non per accidens tantum.

Objicies 2. Affirmatio est prior negatione : ergo non potest immediatè dividere propositionem cum negatione, vt respondeam, observo affirmationem, & negationem posse comparari cum propositione, vel mutuò inter se ; hinc fit

IV. Prima propositio, affirmatio, & negatio relativè ad propositionem sunt simul naturâ, & ita dividunt propositionem saltem analogicè, adeoque vna non est prior alterâ prioritate generis.

V. Secunda propositio : Affirmatio relativè ad negationem, prior est cognitione, & ordine, & dignitate. Cognitione quidem, quia ex cognitione, quâ scio hominem esse animal, colligo, quòd non sit lapis, aut leo. Ordine, quia affirmatio simplicior negatione, quæ affirmationi particulam, *non*, addit. Dignitate 1. quia affirmatio significat rem esse, quòd nobilius est, quàm non esse, 2. quia notior est negatione ; negatio enim cognoscitur per affirmationem, non vicissim ; hinc se habet affirmatio ad negationem, vt *ens* ad non ens, aut forma ad privationem, at privatio non cognoscitur, nisi per formam, licèt forma cognosci possit sine affirmatione ; hinc pronuntiatum *omnis vera negatio pendet ab affirmatione*.

VI. Vt propositio sit negans, particula negans, debet loco conveniente poni, vbi verè removet prædicatum à subjecto ; porro tum verè removet prædicatum à subjecto, cum vel includitur in nota quantitatis, vt *nullus homo est animal* : vel præfi-

gitur immediatè verbo, vt *homo non est lapis* : vel præponitur verbo, quod habet vim copulæ simul, & prædicari, vt *Petrus non studet* : vel ponitur ante notam quantitatis, vt *non omnis homo est doctus* ; sin autem alio loco ponatur, facit propositionem infinitam affirmantem ; hinc

V I I. Multùm differunt istæ propositiones : *Adamus non potuit peccare* : *Adamus potuit non peccare* ; prima enim est negans, & falsa, aliàs nunquam peccasset, quia à negatione potentiæ ad negationem actus valet consecutio : secunda verò est affirmans, & vera. Ratio est, quia dum particula, *non*, præfigitur verbo, *potuit*, negat potentiam adeoque actum, dum autem eidem postponitur, negat tantùm actum peccandi, qui in Adamo potuit non sequi, licèt re ipsâ sit secutus.

V I I I. Secunda divisio enuntiationis ratione formæ, est in naturalem, seu directam, & innaturalem, seu indirectam ; naturalis est, quæ prædicat id quod ordine naturæ prædicari debet, vt *homo est animal* : innaturalis, quæ prædicat id quod ordine naturæ debet subjici, vt *aliquod animal est homo*.

I X. Naturalis enuntiatio triplex ; prima, in qua superius prædicatur de inferiori, vt *Petrus est homo* : *homo est animal*, &c. secunda, in qua forma de subjecto, cui inest, dicitur, vt *homo est justus* ; tertia, in qua effectus dicitur de causa, vt *rationale est risibile*. Ratio partitionis est, quia prædicare vnum de alio, idem est ac dicere vel vnum contineri in alio, vel vnum inhxerere aut adhærere alteri, vel vnum oriri ex altero : at omne superius continetur in inferiori, forma inhxeret aut adhæret materiæ, effectus oritur ex causa.

X. Innatu-

IX. Innaturalis quoque triplex ; prima , in qua inferius attribuitur superiori , vt *aliquod animal est homo*. Secunda , in qua subjectum de forma dicitur , vt *aliquod doctum est homo*. Tertia , in qua causa de effectu asseveratur , vt *risibile est rationale*. Quartam addunt Logici , in qua forma de forma prædicatur , vt *album est dulce*.

§. VI. *Divisio enuntiationis ex parte quantitatis.*

I. **Q**UANTITAS propositionis est extensio quædam subjecti ad plura , vel limitatio ad pauciora. Dixi subjecti , quia nota quantitatis vni subjecto annectitur ; nam prout se habet subjectum quoad communitatem aut particularitatem , propositio dicitur vniuersalis , vel particularis. Ratio est , quia subjectum sæpè minùs latè patet , quàm prædicatum , vel certè æquale est : ergo vt adæquetur prædicato , debet extendi per notam vniuersalitatis , vel restringi , si æquale sit , per notam particularitatis ; hinc canon ex cap. 7. de interpret. desumptus : *signum vniuersalitatis non additur prædicato* , aliter propositio esset falsa , vt *omnis homo est omne animal* ; & verò prædicatum vel latius est subjecto , vel æquale : si latius , falsa erit simpliciter propositio ; nam si *omnis homo est omne animal* , homo est etiam brutum , quia brutum est aliquod animal ; si æquale , & reciprocum cum subjecto , inepta quoque propositio : v. g. *omnis homo est omne risibile* ; sequeretur enim Socratem esse omne risibile , quia Socrates est homo , at falsum est Socratem esse omne risibile , quia Callias est etiam risibilis , & tamen

non est Socrates. Observant tamen Logici, cum verbum adjectivum est, notam universalitatis prædicati partibus aut determinationibus posse adungi, ut Deus conservat omnes homines.

I I. Divisio enuntiationis ex parte quantitatis fit in universalem, particularem, indefinitam, & singularem.

I I I. Universalis est, cujus subjectum notatur signo universalis, ut *omnis homo est rationalis: nulus homo est lapis*. Quædam adverbia temporis, & loci propositionem etiam universalem faciunt, ut *nunquam tuta fides*.

I V. Particularis, cujus subjectum, licet de se commune sit, afficitur tamen notâ particulari, puta *aliquis*, aut *nonnullus*, ut *quidam homo est animal*. Græci vocant *κατὰ μέρος*, & *ἐν μέρει*, ex parte.

V. Indefinita, Græcis *ἀδιόριστος*, est ex Aristotele, cap. 7. de interpret. quæ est de rebus universalibus, non tamen universaliter. Clarius cujus subjectum de se commune, non afficitur signo universalis aut particulari, ut *homo est animal: mater diligit filium*.

V I. Circa indefinitæ quantitatem, duo sunt canones. Primus, indefinita propositio in materia necessaria æquivaleret universalis: v. g. *homo est rationalis*, æquivaleret huic propositioni, *omnis homo est rationalis*. Secundus, in materia contingenti æquipollet particulari, ut *homo est doctus*, huic æquipollet, *aliquis homo est doctus*. Plusculum tamen continere videtur aliquando, quàm particularis, ut *matres sunt indulgentes nimium liberis*; unde indefinita sæpè significat prædicatum subiecto *ὡς ἐπὶ τὸ πλὴν*, plerumque inesse, ut *Græci sunt*

*leves ; Cretenses sunt mendaces.* Ratio primi canonis est , quòd ea , quæ alicui speciei conveniunt propter essentiam , quæ communis est , omnibus individuis conveniant ; secundi verò , quia accidens primò , & per se singularibus convenit , secundariò speciei ; idè enim homo est albus , quia Petrus , vel Ioannes est albus.

V I I. Singularis est , quæ habet subjectum singulare , vt *Petrus est homo.* Porrò cùm additur nota vniversalitatis subjecto singulari , significat tantùm collectionem individuorum , vt *omnes Herodes fuère crudeles:*

V I I I. Huc revocabis partitionem propositionis in identicam , & non identicam. Identica est in qua idem affirmatur de eodem : non identica , in qua prædicatum aliquo modo diversum est à subjecto , vt *homo est animal.*

I X. Identica duplex , altera simpliciter , altera secundùm quid. Identica simpliciter est ea , in qua idem affirmatur de eodem tam secundùm rem , quàm secundùm modum , vt *homo est homo.* Identica secundùm quid , in qua affirmatur idem de eodem secundùm rem , sed non secundùm modum , vt *homo est animal rationale ;* licèt enim animal rationale sit idem cum homine secundùm rem , clariùs tamen secundùm modum distinctiùsque exprimit , quid sit homo , quàm ipsa vox homo. Prima inutilis est ad scientiam , & nugatoria : secunda , utilis , & bona.



§. VII. *Divisio enuntiationis ex parte  
qualitatis.*

I. **Q**UALITAS enuntiationis est veritas, & falsitas, quia quærenti qualis sit propositio, rectè respondetur, vera, vel falsa; hinc divisio enuntiationis nascitur in veram, & falsam; sed quoniam veritas, & falsitas sunt proprietates propositionis, de iis agemus secunda disputatione.

DISPUTATIO SECUNDA.

*De proprietatibus iudicii, seu enun-  
tiationis.*

**E**NUNTIATIO spectari potest vel solitariè, vel comparativè; solitariè spectatur, quando consideratur absque comparatione: comparativè, quando componitur, & contenditur cum alia; ex utroque respectu multiplex affectio propositionis nascitur. Propositioni enim solitariè consideratæ multiplex proprietas tribuitur à Logicis; ratione materiæ, tribuitur necessitas, & contingentia; ratione signi, quantitas; ratione objecti, qualitas, hoc est veritas, aut falsitas: propositioni verò cum altera collatæ triplex congruit proprietas, Oppositio, Æquipollentia, & Conversio. Iam de necessitate, & contingentia propositionis strictim egimus, de quantitate fusijs; quare superest ut de qualitate, hoc est veritate, & falsitate disputemus; tum de oppositione, æquipollentia, & conversione.

## ARTICVLVS I.

*De veritate, & falsitate enuntiationis.*

**P**LURA hęc de veritate, & falsitate iudicii, & enuntiationis examinanda sunt. Primum, quid sit veritas, & falsitas iudicii, & enuntiationis simplicis; nam de veritate enuntiationis compositæ jam disputatum est. Secundum, an sit de essentia iudicii, aut tantum proprietas. Tertium, an propositio de vera possit mutari in falsam. Quartum, quia propositio alia necessaria, alia contingens, videndum quomodo vtraque sit vera, vel falsa.

§. I. *Quid sit veritas, & falsitas iudicii, & enuntiationis, & quomodo ipsi conveniat.*

**I. OBSERVATIO.** **I**NTELLECTVS circa rerum entitates, & quidditates non errat, quia primò, & per se ei insunt; vtenim res naturales à forma naturali propria, & substantiali nunquam desciscunt: ita potentia cognoscens ab iis, quæ ipsi per se insunt, & primariò nunquam deflectit.

**II. OBSERVATIO.** Intellectus, licet circa rerum entitates, & quidditates aberrer nunquam, tamen in earum comparatione ad subiecta labi potest interdum, & falli turpiter, quia comparatio ei secundariò, & per accidens, tantum inest. Vt enim res naturales ab accidentaria forma deflectunt: v. g. homo non potest non esse animal, at claudus esse potest: ita mens humana licet entitatem aliquam semper attingat, fallitur sæpè circa subiecta entitatis, & quidditatis, subiectis dissen-

tanea per compositionem affingendo, vel consentanea per divisionem removendo.

III. OBSERVATIO. Compositio, & divisio quæ fit per mentem, duplex. Prima est conceptus unius in alio, vel cum alio, & dicitur compositio, vel conceptus unius sine alio, & vocatur divisio. Secunda est attributio unius ad aliud, & dicitur compositio affirmativa, seu affirmatio, vel remotio unius ab alio, & dicitur divisio negativa, seu negatio. Ex prima compositione, & divisione oritur veritas aut falsitas incomplexa, quæ apprehensionis complexæ propria, & de qua egimus parte 4. Logicæ. Ex secunda veritas aut falsitas complexa, quæ iudicii propria, estque partus affirmationis, vel negationis, de qua hîc agitur. *Quanquam*

IV. OBSERVATIO. In iudicio triplex veritas; transcendentalis, moralis, & logica. Transcendentalis est conformitas cum principiis, aut cum idea, quæ convenit iudicio, quatenus est ens, adeoque licet falsum sit logicè, non definit esse verum transcendentaliter, quatenus conforme est principiis aut ideæ. Moralis est conformitas iudicii cum eo, quod dicitur, itaut verax ille sit, qui dicit, quod verè sentit, & iudicat, licet erret; mendax autem, qui dicit contra id quod sentit, & iudicat, licet verum sit. Logica est conformitas iudicii cum re iudicata; primam considerat Metaphysica, secundam Ethica, tertiam Logica.

V. OBSERVATIO. Veritas itaque complexa est conformitas iudicii cum re objecta, non quidem secundum entitatem, sed secundum representationem, cum repræsentatur res in mente, sicut est in re. Ratio est, quia veritas sumitur per



ordinem ad id, cujus est signum: ac omne judicium intellectus est signum objecti, ipsum in mente exprimens, & repræsentans. Unde veritas judicii dicitur esse in rebus tanquam in mensura; hinc propositio est vera, quæ dicit rem esse, ut est, vel non esse, ut non est, seu quæ talis est in repræsentando, quale est objectum in essendo: falsitas autem complexa est difformitas judicii cum re objecta; hinc propositio falsa est, quæ dicit rem esse, ut non est, aut non esse, ut est, seu quæ talis non est in repræsentando, quale est objectum in essendo. Vtriusque analogiam habes in duplici figura seu imagine regis, quarum altera ipsum perfectè exprimat, altera imperfectè; hinc sequitur ad judicii veritatem non sufficere, ut sit conforme rei, ut conceptæ, quia judicium falsum etiam conforme est rei, ut conceptæ; sed debet esse conforme rei, ut est res in se ipsa.

VI. OBSERVATIO. Enuntiatio duplex; perfecta, & imperfecta. Perfecta est, in qua absolutè aliquid affirmatur, vel negatur, cujusmodi est enuntiatio indicativi modi: imperfecta, in qua nihil absolutè affirmatur, aut negatur, cujusmodi est enuntiatio aliorum modorum, ut *utinam hec mines sapiant!* Rursus perfecta, alia speculativa, alia practica, quæ effectrix illius, quod dicit; his observatis, sit

I. ASSERTIO. In qualibet enuntiatione perfecta semper datur veritas, aut falsitas complexa. Probatum prima pars ex Aristotele, lib. 3. de anima, cap. 7. *Dictio omnis est vera, vel falsa.* Probatum 2. ratione: omnis enuntiatio vel est conformis objecto suo, vel difformis; si conformis, est vera; si difformis, est falsa: ergo omnis enuntiationo

perfecta est vera vel falsa. Probatur major, omnis enuntiatio perfecta, vel dicit rem esse, ut est, vel non esse, ut non est; & ita est conformis objecto suo: vel dicit rem esse, ut non est, aut non esse, ut est; & ita est difformis objecto: ergo omnis enuntiatio perfecta est vera, vel falsa; hinc Aristoteles lib. 9. Metaph. tex. 21. *Verum dicit, inquit, qui divisum dividi, & compositum componi putat; falsum autem, qui contra, quam res se habeant, aut quando sunt, aut non sunt.*

Dixi propositionem perfectam esse veram, vel falsam; nam imperfectæ nihil veri aut falsi propriè subest: v. g. illi propositioni,

*O mihi præteritos referat si Iupiter annos!*  
 nulla per se inest veritas, & falsitas, quia nihil perfectè affirmat, aut negat, sed expectatur, quid vovens, voti compos factus, acturus sit.

Confirmatur: Si quæ enuntiatio perfecta non esset vera, aut falsa, maximè practica: at practica vera est, aut falsa, quia omnis vel efficit re ipsâ quod dicit, vel non efficit; cum hoc discrimine à speculativa, quod veritas practicæ petatur ab objecto, quod simul sit effectus ejusmodi enuntiationis; objectum autem speculativæ ad ipsam præsupponatur. Certè eo ipso censetur propositio practicè vera, quod ex ea sequitur effectus in eodem temporis momento, quo ejus significatio consummatur. Quin etiam ut plurimum censetur propositio vera, quæ objectum significat effectum statim secuturum, quia objectum tum præsens est præsentiam morali: v. g. cum quis dicendi finem facere volens, ait, *ego taceo.*

Probatur secunda pars: Veritas complexa est conformitas intellectûs componentis, vel dividensis,

id est, affirmantis, vel negantis : sed omnis propositio mentalis est ex essentia sua affirmans, vel negans : ergo habet veritatem aut falsitatem complexam.

II. ASSERTIO. Veritas, & falsitas complexa, est tantum proprietates propositionis mentalis. Probatur, quia utraque supponit affirmationem, aut negationem ; quærenti enim, cur propositio sit vera, vel falsa, respondemus, quia affirmat de re vel id quod est in re, vel id quod in re non est ; aut negat de re, vel id quod in re non est, vel id quod est in re.

Confirmatur : Propositio, quæ est vera, potuit esse falsa : ergo veritas non est ipsi essentialis, quia id quod est de essentia rei, non potest ab illa separari. Antecedens patet, nam hæc propositio, *Petrus currit*, quæ nunc est vera, ipso currente, si non curret, ut potuit non currere, utique falsa extitisset, & tamen esset eadem propositio, quia in eodem sensu ab eodem homine, & eodem tempore prolata fuisset.

III. ASSERTIO. Veritas est propositioni intrinseca dependenter ab objecto, ut à conditione aut differentia quasi extrinseca. Duæ sunt partes assertionis. Probatur : prima veritas est conformitas propositionis cum objecto : illa conformitas est intrinseca propositioni, quippe quæ sit representatio objecti sicuti est, & significatio ipsius propositionis : ergo veritas est intrinseca propositioni. Probatur secunda, quia veritas propositionis perinde se habet ad objectum, ac ratio ad terminum : at ratio pendet à termino, ut à conditione, sine qua non, aut tanquam differentia extrinseca, ut diximus parte 3. Logicæ, disp. 4. 3. 8. §. 3.

IV. ASSERTIO. Veritas complexa, seu iudicii est primaria, & perfecta veritas; veritas incomplexa, seu apprehensionis secundaria, & imperfecta. Probat, veritas tunc dicitur perfecta, cum mens se determinat, ut amplectatur propositionem ut veram, vel rejiciat ut falsam: intellectus utrumque per iudicium præstat, non per apprehensionem, quia per iudicium propriè unum attribuit alteri per compositionem, aut ab eodem removet per divisionem; & quamvis sit aliqua compositio, aut divisio in apprehensione complexa, est compositio tantum conceptus unius in alio, aut cum alio, divisio conceptus unius sine alio; hinc homo dicitur propriè decipi, aut non decipi, cum affirmat, aut negat. Quin etiam tertiæ operationis non tam est proprium affirmare, aut negare, quàm secundæ, tum quia non primò, sed secundò tantum affirmat, aut negat, tum quia illius propriè est connexionem propositionum, & consequentiam advertere, & de ea subinde iudicare; unde tertia mentis operatio sic spectata, iudicium dicitur illativum, & secundum, non enuntiativum, & primum.

### §. II. *Diluuntur objecta.*

**O**BIECTES I. Enuntiatio de præterito aut futuro non potest esse vera, aut falsa: ergo datur aliqua propositio, quæ nec vera, nec falsa sit. Probat, antecedens, illa propositio non potest esse vera, quæ non potest esse conformis objecto suo: nec falsa, quæ non potest esse difformis: propositio de præterito aut futuro non potest esse conformis, aut difformis objecto: ergo non

potest esse vera , aut falsa. Probatur minor ; vt propositio sit conformis ; vel difformis objecto, debet objectum existere : objectum propositionis de præterito non existit , sed extitit ; objectum propositionis de futuro non est , sed erit : ergo propositio de præterito aut futuro , non potest esse conformis , aut difformis objecto ;

Resp. distinguo majorem : Debet objectum existere in ea temporis differentia , quæ per verbum exprimitur ; concedo : in alia temporis differentia, nego ; satis enim est ad veritatem propositionis de præterito , aut futuro , quòd objectum fuerit, vel futurum sit in ea temporis differentia , quæ per verbum enuntiatur , secus propositio foret falsa : v. g. si Paulus nunc scribens, non esset postcà scripturus , & tamen dum scribit, diceret, *Paulus scribet*, propositio esset falsa, licèt differentia præsentis temporis, & scriptio Petri coëxisterent.

Instabis : vt sit propositio vera , debet existere objectum pro nunc.

Resp. distinguo : Vt sit vera veritate de præsentis, concedo : veritate de præterito , & futuro , nego. Triplex quippe veritas pro triplici differentia temporis ; veritas de præterito tunc est , cùm affirmatur objectum extitisse in aliqua temporis differentia , in qua verè extitit : veritas de præsentis, cùm affirmatur objectum existere , quod re ipsà existit : veritas de futuro , cùm affirmatur extitutum in ea temporis differentia , in qua verè extitutum est.

Objicies 2. Si propositio esset vera , vel falsa , esset vel in principio , vel in medio , vel in fine : non in principio , nec in medio , quia nondum est perfecta : non in fine , quia non sunt amplius syllabæ.

Resp. 1. propositiones, quæ mente formantur, in instanti formari. Respondeo 2. propositionem vocalem veram esse tantum in fine, quia tunc tantum habet rationem signi perfecti, ingeneratque sensum perfectum animo audientis.

Instabis: Non manet amplius propositio, saltem secundum priores partes: ergo non potest esse vera.

Resp. dist. antecedens: Non manet amplius moraliter, seu æquivalenter, nego: physicè, concedo; sufficit autem perseverantia moralis ad veritatem propositionis, quia manet sufficienter in mente auditoris.

Objicies 3. Propositio practica, qualis est hæc, *do tibi librum*, aut ista à Sacerdote prolata, *hoc est corpus meum*, non potest esse vera: ergo datur aliqua propositio, quæ non est vera. Probatur ant. propositio vera supponit objectum: utraque non supponit objectum: ergo non est vera.

Resp. negato antecedente, distinguo majorem: Propositio speculativa supponit objectum, concedo: practica, nego; speculativa quidem supponit objectum, quia pendet ab eo, ut movente, non ut purè terminante: practica verò non supponit objectum, sed efficit, ideòque tunc est conformis objecto, cum ex ea sequitur effectus, ut jam dixi.

Objicies 4. Enuntiationes, quas Logici vocant insolubiles, neque sunt veræ, neque falsæ: ergo non omnis propositio est vera, vel falsa. Probatur ant. hæc propositio v. g. *ego dico falsum*, non est vera, aut falsa; nam si veram dicis, contra sic arguo, qui veram dicens enuntiationem, falsum se dicere affirmat, falsum loquitur: at sic se ha-

bet, qui hanc propositionem facit, *ego falsum dico*. Si falsam dicis, contrà sic infero: ergo vera est propositio; nam qui falsam proferens propositionem, falsum se dicere profitetur, verum dicit; at ex hypothese, quòd propositio antecedens falsa sit, sic se habet, qui falsum se dicere profitetur: ergo ex hypothese quòd falsam dixerit, verum dicit, in quo est contradictio.

Respondeo 1. ejusmodi propositiones falsificantes, nomine tenus esse propositiones, quia omnis propositio vera, & Logica habere debet objectum: ergo vel se ipsas pro objecto, vel rem à se distinctam habent; si se ipsas, tunc non sunt propositiones Logicæ, quia nihil est signum sui ipsius; si aliud, vel sunt ei conformes, vel non, & ita sunt veræ, vel falsæ. Itaque propositio mox allata sumi potest in sensu materiali, prout se tantum significat; & ita idem sonat atque ista, ego dico hanc vocem, *falsum*, & tunc est vera, quia est conformis objecto; si tamen est propositio, nihil enim est propriè signum sui ipsius: vel in sensu formali, prout significat aliquam propositionem antecedentem, & ita vera est, si propositio antecedens simpliciter falsa sit; falsa autem, si propositio antecedens simpliciter vera sit.

Objicies 5. Deus alicui dicat, *si verum dixeris, dabo pluviam*, tum ille statim, *non dabit Deus pluviam*, si hæc vera est: ergo Deus non dabit pluviam: ergo hæc propositio, *dabo pluviam*, est falsa, quod dici non potest; & si est vera, Deus verè dabit pluviam: ergo hæc, *Deus non dabit pluviam*, est falsa, ergo non dixit verum, ergo Deus non dabit pluviam, ut sit hæc vera, dabo tantum pluviam, si verum dixeris, ergo si secun-

da est vera, falsa est prima, & vera.

Respondeo secundam propositionem impossibilem esse, cum enim veritas propositionis conditionalis à conditione pendeat, non debet conditio destruere primam propositionem; hinc non possum dicere, curram, si non curram. Pari ratione cum conditio sit propositio vera facienda, si talis est, ut neget pactum, jam non est conditio, alioquin resolvatur, *dabo pluviam, si verum dixeris*, dicis, non dabis pluviam, igitur *dabo pluviam*, si non dabo pluviam, quod dici nequit.

Objicies 6. Si omnis propositio est vera, vel falsa; duæ propositiones contradictoriæ simul erunt veræ; consequens est impossibile: ergo & antecedens. Probatur sequela, hæ duæ propositiones, *solus Deus est mendax: non solus Deus est mendax*, sunt contradictoriæ, & simul falsæ: ergo duæ contradictoriæ possunt simul esse falsæ.

Ut respondeam, nota utramque propositionem esse exponibilem, adeoque quamlibet in duas posse resolvi. Prima quidem sic resolvitur, Deus est mendax, & omne mendax est Deus, quæ ambæ sunt falsæ, sed non contradictoriæ, quia affirmativæ. Secunda autem sic resolvitur, Deus est mendax: & non omne mendax est Deus. Prima simplex est falsa. Secunda vera, nempe *non omne mendax est Deus*, quæ contradictoriè isti opponitur, *omne mendax est Deus*. Ratio est, quia æquivaleret isti, *aliquod mendax non est Deus*, quæ vera est, & huic simplici, *omne mendax est Deus*, contradictoriè opposita.

Objicies 7. in 2. assertionem: Relatio transcendentalis est essentialis subjecto, cui inest; veritas propositionis est relatio transcendentalis: ergo est



essentialis propositioni. Probatur minor, propositio habet relationem transcendentalem ad objectum: illa relatio est veritas, vel falsitas: ergo &c.

Resp. nego minorem: Duo quippe distinguenda sunt in propositione; alterum, repræsentare objectum; alterum, repræsentare objectum sicuti est; illud essentialiter quidem est propositioni, hoc verò accidentale. Esto, propositio habeat respectum transcendentalem ad objectum suum, ut repræsentatum per ipsam, non idèò habet ad idem, ut repræsentatum sicuti est, aut aliter, quàm est, quæ duo diversa sunt: v. g. hæc propositio, *Petrus est homo*, repræsentat quidem essentialiter Petrum hominem: at non est de illius essentia, quòd Petrus sit homo, aut non sit.

Objicies 8. Propositiones, quæ fiunt de objecto necessario, non possunt esse falsæ: ergo ejusmodi propositiones sunt essentialiter veræ. Deinde ut se habet bonitas ad actum moralem, ita veritas ad propositionem mentalem: bonitas est essentialis actui voluntatis: ergo & veritas propositioni mentali.

Ad 1. distinguo antecedens, non possunt esse falsæ per accidens, & ratione objecti, quod non potest esse falsum, concedo: per se, nego; unde veritas propositionis necessariæ semper convenit propositioni ratione objecti, quod ita est verum, ut nequeat esse falsum. Ad 2. nego majorem, dispar ratio est, quia actus voluntatis tendit in objectum, prout putatur, non prout est à parte rei: actus verò intellectus tendit in rem, prout est à parte rei. Ratio est, quòd actus intellectus dictivus sit, non actus voluntatis.

Objicies 9. Intellectus debet priùs videre, quæ

fit conformitas conceptuum objectivorum Petri, & albi cum sua regula, quæcumque illa sit, quàm affirmet, aut neget: ergo veritas, & falsitas priores sunt affirmatione, & negatione.

Respondeo, dist. conseq. Veritas, aut falsitas incomplexa, concedo: veritas, aut falsitas complexa, & judicii, nego. Vt autem scias, quænam sit regula dijudicandæ veritatis, aut falsitatis propositionum, fit

### §. III. De regula veritatis.

I. **R**EGULA veritatis, Græcis dicitur κριτήριον, Ciceroni *judicium*, in scholis *judicatorium*, seu discerniculum.

II. Duplex ejusmodi κριτήριον, aliud morale, aliud naturale. Morale est, ad quod vita, morèscque hominum exiguntur, cujusmodi est recta ratio practica, lex patria, consuetudo, de quibus in Morali fusiùs: naturale est id, ad quod attendentes, de rerum, & propositionum veritate, aut falsitate judicium ferimus. Quanquam

III. Naturale iterum duplex, alterum à quo, alterum ad quod, seu secundum quod. Criterium, à quo est facultas, per quam cognoscimus, vel potius exploramus veritatem, aut falsitatem propositionum: Criterium, ad quod est norma, ad quam facultas dijudicatrix operationem, seu propositionem exigit. Patet ex analogia regulæ artificialis; vt enim in examinanda rectitudine alicujus artefacti duo requiruntur; primum, artifex à quo; secundum, regula, ad quam artefactum ipsum applicatur: ita ad dijudicandam veritatem, aut falsitatem propositionis, duo concurrunt; facultas, quæ

probat , & regula , seu norma , ad quam explorat veritatem , & falsitatem. Res exemplo illustratur , vt enim artifex , antequam pronuntiet , an opus artefactum rectum sit , an obliquum , normam applicat eidem , componit cum ipso , cui si opus congruere deprehenderit , rectum illic pronuntiat ; sin verò dissentire eidem adverterit , obliquum affirmat : ita mens humana , vt de veritate , aut falsitate iudicii , seu propositionis integrè iudicet , & tanè , comparat objecta , seu conceptus , & componit inter se per ordinem ad regulam , seu criterium ad quod , donec conformitatem , vel difformitatem detexerit , quâ demum detectâ , tanquam iudex pronuntiat iudicium esse conforme , vel difforme objecto per verbum , *est* , quod idè ab Aristotele dicitur esse *nota eorum , qua de alio dicuntur* ; hoc est , pronuntiat propositionem esse veram , vel falsam.

I v. Certum est criterium à quo , & per quod esse intellectum , quia sola ratio comparare potest , non sensus , nisi vt est instrumentum intellectui subordinatum. Quæstio itaque hîc potissimum est de regula ad quam , seu secundum quam. Vt solvatur , sit

v. Propositio duplex ; altera necessaria , vt *homo est animal* : altera contingens , vt *Petrus est abbas*. Necessaria iterum duplex , immediata vna , mediata altera ; immediata est , quæ per aliam non probatur : mediata , quæ ex altera concluditur.

vi. Regula , ad quam veritas propositionis immediatæ exigitur , est notio , seu penetratio terminorum propositionis : mediatæ , argumentum , seu medius terminus. Probatnr sola explicatione. Pla-

cet v. g. examinare, an hæc propositio, *homo est animal rationale*, sit vera? cum immediata sit, iuvat primò penetrare tres illos terminos, *homo, animal, rationale*, quæ vis cuique subfit, explorare diligentius, putà quòd animal sit vivens, & sentiens; rationale principium ratiocinandi; deinde comparare inter se, & postquam deprehenderit vivens, & sentiens, quod in conceptu animalis continetur, & vim ratiocinandi, quæ in rationali quoque continetur, in conceptu objetivo hominis includi, denique deprehendet veritatem hujus propositionis, *homo est animal rationale*, & tanquam iudex certò pronuntiabit esse veram. Item placet probare, an hæc propositio mediata, *homo est risibilis*, sit vera, nec-ne? mens principium, nempe *rationale*, vnde risibile fluit, inquiret; tum risibile cum rationali componet, aut cum aliis proprietatibus, quæ à rationali immediatius manant, putà cum admirativo, & discursivo, discursivum cum rationali; tum ubi detexerit risibile ex admirativo, admirativum ex discursivo, discursivum ex rationali profluere, & quidem necessariò; denique judicabit, hominem esse risibilem, quia rationalis est.

VII. Regula veritatis propositionis contingentis, à qua, seu per quam; primaria, est mens sensus secundaria, & instrumentalis: regula ad quam, est species hausta per sensus, & memoriæ consignata, explicatur. Placet veritatem hujus propositionis, *Petrus est albus*, dignoscere? i. mens per sensum externum, tanquam per instrumentum, debet speciem Petri, & albi extrinsecùs haurire; deinde duos illos terminos, *Petri*, & *albi*, cum specie albi, quæ inest memoriæ, comparare, cui

si congruere deprehendat, veram pronuntiabit propositionem; sin minùs, falsam dicit. Hæc assertio probatur ex Aristotele, qui intellectum, & sensum, vt criteria veritatis agnoscit 3. de anima, vbi duplicem distinguit phantasiam, sensitivam, & intellectivam, & vtramque suo modo *κριτικὴν* *judicatricem* facit; cum hoc tamen discrimine, quòd sensum singularium iudicem tantum agnoscat, intellectum vniuersalium simul, & singularium; intellectus prior sit dignitate, sensus prior executionis ordine, quia species per sensum transmitti antè debuit, quàm mens ferret sententiam. Suffragatur Aristoteli Galenus de opt. doctr. dum criteria veritatis *αἰσθησίοντες καὶ νύκοντες*, *sensum*, & *mentem* vocat, quæ nobis à natura concessa ait, vt veritatis iudices.

Ex dictis colligitur mentem contemplatricem in examinanda veritate propositionis immediatæ, cùm materia est speculativa, iuari potissimum ab habitu primorum principiorum, seu intelligentiâ, quia inclinât mentem ad faciliùs citiùsque penetrandos terminos; à sapientiâ in conclusionibus ex primis principiis immediatè deductis; à scientiâ in conclusionibus mediatis; mentem autem actuosam in agibilibus à synderesi in probanda veritate principiorum moralium, à prudentiâ in dijudicanda veritate conclusionum; in factibilibus autem ab arte, vt diximus 1. parte Logicæ, disp. 1. a. 3.

#### §. IV. Soluuntur varia quæstiones.

**Q**VÆRES hîc 1. an vna propositio sit magis vera, quàm altera.

Respondeo non esse, quia veritas consistit in conformitate propositionis cum objecto; quod significat, adeoque in indivisibili: at vna propositio non potest magis esse conformis, quam altera, sicut ex duabus lineis æqualibus, vna non est magis æqualis, quàm altera, vt ait Ferrariensis lib. 1. contra Gentes c. 13. Potest quidem vna propositio esse magis necessaria, quàm altera, vt hæc, *Deus est*, est magis necessaria, quàm ista, *Socrates est*. Item hæc propositio, *homo est animal*, magis est necessaria, quàm hæc altera, *Petrus currit*, sed non idèd magis vera ex hypothesi, quòd Petrus currat; hinc dicitur veritas esse instar puncti, & scopi, qui vnicâ tantùm, & certâ viâ attingi potest: vnde cùm intellectus attingit rem, sicuti est, dicitur verus; si non attingit, etsi vel minimùm aberrer, dicitur falsus.

Quæres 2. an vna propositio sit magis falsa, quàm altera.

Respondeo, objectum propositionis vel est simplex, & individuum, vel multiplex; his positis, respondet Arriaga falsitatem circa objectum individuum non esse maiorem alterâ: v. g. circa existentiam Petri tantùm, & circa existentiam Dei, ideoque duæ propositiones, *Petrus non existit*, *Deus non existit*, æqualis sunt falsitatis. Cùm enim falsam esse propositionem, sit non existere ejus objectum, sicuti per ipsam enuntiatur, nec in indivisibili objecto sit magis, aut minùs non existere, ideò non est major, aut minor falsitas, licèt possit esse magis, aut minùs necessaria; si autem multiplex sit objectum; potest esse major, aut minor falsitas: v. g. hæc propositio, *centum homines ambulant*, magis est falsa extensivè, si nullus

planè ambulet , quàm si nonaginta ambulent. Ratio à priori est , quòd ad falsitatem totius propositionis satis sit aliquod ex ejus objectis non esse , sicut per ipsam enuntiatur : quòd si plura vel omnia objecta non extiterint , sicuti per propositionem affirmatur , tunc propositionis major erit falsitas , quia in pluribus fallitur. Hactenus ille author ; hinc qui affirmat centum homines currere , quorum vnus tantùm currat , dicitur magis mentiri , quàm qui dicit centum homines currere , quorum nonaginta currunt , quia magis abest à veritate. Dixi extensivè , quia illa major falsitas est penes plures vel pauciores partes objecti ; intensivè autem circa indivisibile idem objectum non potest falsitas esse major aliâ.

Dices : Ergo actus duo , quorum vnus dicat , centum homines ambulant , alter dicat , duo currunt , inæqualis essent veritatis , negat Arriaga , quia veritas consistit in conformitate non qualicumque , sed cum objecto : at tam conformis est actus , qui dicit duos homines ambulare , quàm qui centum ambulare , sin autem duo actus habeant idem objectum , quorum vnus ab eodem aberraret in vno , alter in pluribus , magis abludivit à vero secundus , quàm primus . Abest quidem à veritate vterque , sed secundus magis , quàm primus , sicut qui Parisiis versatur , & qui est in India , distant quidem à Romana civitate , sed non æqualiter ambo .

Quares ; Cur veritas sit cognitu difficilis .

Resp. Id oriri ex improportione objectorum , & nostri intellectûs , vel enim res sunt imperfectæ vel excellentes per se , ac sublimes . Si primum , mens humana non habet vim ad attingendam

illarum minimam intelligibilitatem: si secundum, mentis nostræ imbecillitas earum perfectionem assequi non potest. Sicut enim oculus noctuæ ad lumen solis, ita mens nostra ad rerum sublimium cognitionem connivet. Plenam, & adultam solis lucem visu percipere ægrè possumus ob imbecillitatem visûs, & ardentiores illius radios; tenuissima ejusdem solis lux fugit aciem oculorum, seque nobis intuentibus subducit. Ad hæc: veritas in singulis rebus vna, falsitas multiplex; itaque veritas vno tantum modo attingitur, multis autem modis ab ea tanquam à scopo aberrare possumus: vnde fit, vt difficilis sit cognitio veritatis, prolapsio in falsitatem facilior juxtâ, & frequentior.

Quæres 4. in quo differant veracitas, & mendacitas à veritate, & falsitate.

Respondeo veracitatem, & mendacitatem dici per ordinem ad mentem loquentis; veritatem verò, & falsitatem per ordinem ad objectum; hinc veracitas est conformitas locutionis cum mente, mendacitas difformitas locutionis cum mente: verax, qui ad mentem semper loqui solet. Vnde

Duo colliguntur. Primum, falsum dicere, & mentiri sunt diversa; nam falsum dicere est dicere rem aliter esse, quàm sit; mentiri autem est dicere contra mentem. In Deo tamen falsum dicere, & mentiri sunt idem: quare cum non possit falsum dicere, non potest quoque mentiri, cognoscit enim, & eloquitur res, vt sunt. Secundum, qui sibi vni loquitur contra mentem suam, non propriè mentitur, tum quia veracitas perinde ac veritas sunt partes justitiæ: tum quia intellectus non potest propositionem sibi affirmare fal-



falsam, quam videt manifestè veram, aut quæ saltem veri speciem præsefert. Plura de veracitate vide in Ethica, pag. 1538.

Objicies : Qui alteri mentitur, affirmat propositionem, ut veram, quam videt esse falsam.

Resp. disting. Voce tenus, concedo : in mente, nego.

Instabis 1. Non est potior ratio, cur voce affirmet, quàm mente.

Resp. nego, quia cùm voces ad arbitrium loquentis significant, & veræ tantùm sint extrinsecè, potest utique homo illis ad libitum abuti, & eam, quam voluerit, illis significationem affingere; cùm autem intellectus sit potentia ex natura sua ad verum determinata, non potest extra limites objecti sui excurrere.

Instabis 2. Qui mentitur, habet contradictorios assensus, quod fieri non potest.

Resp. nego : Habet enim tantùm vnã propositionem contradictoriam apprehensam, & alteram judicatam, non ambas assertas, & iudicatas; mentientis quippe intellectus, & verum, & falsum apprehendit, sed vtrumque non simul asserit.

§. V. *An propositio possit de vera mutari in falsam, & vicissim.*

I. OBSERVATIO. HÆC quæstio agitari tantùm potest inter eos auctores, qui docent veritatem, aut falsitatem propositioni accidentalem esse, non inter eos, qui essentialem pugnant : essentia enim mutari non potest.

II. OBSERVATIO. Cùm propositio duplex

fit, mentalis vna, vocalis altera; de mentali hinc agitur, non de vocali, quia vocalis aliunde veritatem habere non potest, quam quia iudicium mentale verum significat.

III. OBSERVATIO. Mentalis iterum duplex; altera, quæ est in materia necessaria, vel impossibili: altera, quæ est in materia contingenti. Prima est necessariò semper vera, vel falsa, quia prædicatum subjecto necessariò convenit, vel repugnat, adeoque necessariò vera est, vel necessariò falsa, de qua proinde non hinc est sermo, sed de sola contingenti, cuiusmodi est hæc propositio, *Petrus currit*, aut ista, *Paulus scribit*.

IV. OBSERVATIO. Status itaque præsentis quæstionis est, an propositio mentalis, quæ fit in materia contingenti, & quæ semel vera est, possit in falsam mutari, aut quæ semel falsa, in veram transire possit: v. g. an hæc propositio, *Petrus scribit*, quæ eodem scribente vera est, instanti A, eadem perseverans in instanti B, in quo scribere desinet idem Petrus, possit fieri falsa, aut vicissim propositio, quæ semel fuerit falsa instanti A, eadem perseverans instanti B, possit fieri vera.

V. VNICA ASSERTIO. Propositio mentalis in materia contingenti semel vera, nunquam potest de vera mutari in falsam, aut falsa in veram. Ita Oviedo de anima, controv. 7. puncto 2. Arriaga in Logica, disp. 14. n. 49. Suares Lusit. de anima, tract. 3. disp. 2. sect. 4. §. 4. contra Suarem Granat. in Metaph. disp. 8. sect. 2. n. 19. cui suffragari videtur D. Thomas, dum exponit Aristotelem 1. part. q. 14. a. 15. ad 3. eumque in partes suas trahere videtur. *Sequeretur*, inquit, *quod propositio,*  
*qua*

*qua semel est vera, esset semper vera, quod est contra Philosophum, qui dicit, quod hac oratio, Socrates sedet, vera est eo sedente, & eadem falsa est eodem surgente.*

Probatur 1. positis duobus principiis. Primum sit, propositio non manet eadem, nisi manentibus ejusdem partibus, quia non potest manere, nisi manentibus principiis illius constitutivis: partes propositionis sunt illius principia constitutiva: ergo propositio non manet eadem, nisi manentibus partibus. Secundum, partes propositionis sunt subjectum, & prædicatum adæquatè sumptum. Patet ex natura propositionis, quæ ex subjecto, & prædicato adæquatè sumpto componitur, & in eadem resolvitur. Tertium, adæquatum prædicatum propositionis contingentis est res significata, & aliqua temporis differentia, quam includit: v. g. hujus propositionis, *Petrus scribit*, prædicatum adæquatum est scriptio, & momentum præsens, in quo scribit. Patet hujus pronuntiati veritas, 1. ex Aristotele, 3. de anima, *Quando, inquit, fit judicium, non tantum prædicatum, & subjectum componitur, sed ipsummet tempus.* Deinde in hoc distinguitur propositio contingens à necessaria, quòd necessaria abstrahat à tempore, unàmque connexionem prædicati cum subjecto significet, contingens autem σημαίνει τὸν χρόνον *tempus adsignificat*, quia connexio prædicati cum subjecto illius est necessaria, hujus verò contingens: vnde hæc propositio, *Petrus scribit*, resolvitur in istam, *Petrus est scribens in hac temporis differentia, quæ per verbum innuitur*: ergo pars inadæquata prædicati in propositione contingente est tempus. His positis,

Sic argumentor : Hæc propositio , *Petrus scribit instanti A* , dum profertur instanti B , vel supponitur eadem habere adæquatam significacionem instanti A , quam habebat instanti B , vel non habere. Si primum , semper est vera , quia manet eadem quoad omnes partes ex primo , & secundo principio ; significat enim Petrum scripsisse instanti A , in quo verè scripsit. Si secundum , non est amplius eadem propositio , sed planè diversa ex tertio principio ; illa enim propositio non est eadem , quæ non habet idem adæquatè prædicatum : at supponitur non habere idem adæquatè prædicatum , quia idem adæquatè prædicatum illius erat scriptio Petri , & instans A : at non habet scriptionem Petri , & prædicatum A , in instanti B , sed scriptionem Petri , & instans B : ergo non est amplius eadem numero propositio , quia dicere , *Petrus scribit* , est dicere , Petrus hoc instanti scribit : at instans scriptionis , & instans non scriptionis sunt diversa : aut certè si habet instans A , & instans B , pro parte prædicati semper est falsa , quia significat Petrum scribere utroque instanti A , & B , cùm tamen non scribat instanti B , & scripserit instanti A.

Confirmatur : Propositio hæc , *Petrus scribit* ; vel determinat instans , in quo Petrus scribit , vel non determinat aliquod instans , sed absolutè tantùm respicit aliquod instans vagè , vel respicit omnia collectivè instantia. Si primum , non potest esse falsa , quia Petrus in instanti , in quo scribit , ex hypothesi quòd scribat , non potest non scribere , aliàs simul scriberet , & non scriberet. Si secundum , cùm non dicat hoc potiùs instans , quàm sequens , cùm Petrus desinet scribere , non

erit falsa , sed vera , etiam cum Petrus desinet scribere : quia tunc dicere , *Petrus scribit* , erit dicere Petrum scribere hoc vel illo instanti , quod utriusque est verum. Si tertium , ex hypothesi quòd semel fuerit vera , non potest esse falsa , quia fieri non potest , quòd Petrus pro omnibus instantibus scripserit , & pro aliquo non scripserit : hæc ratio videtur evidens.

Accedit autoritas Augustini in Psal. 108. *Veritas* , inquit , *immortalis est* , *veritas incommutabilis*. Anselmi in Monologio , c. 17. *Cogitet* , *qui potest* , *quando incepit* , *aut quando non fuit hoc verum* , *scilicet* , *quia futurum erat aliquid* , *aut quando desinet* , *& non erit hoc verum* , *scilicet* , *quia præteritum erit aliquid*.

### §. VI. *Diluuntur objecta.*

**O**BJICIES I. Aristoteles , & D. Thomas videntur contrarium sentire : ergo assertio repugnat Aristoteli , & D. Thomæ.

Respondéo 1. eos probabilius de propositione vocali aut scripta , non de mentali locutos. Ratio autem disparitatis est inter propositionem mentalem , & vocalem aut scriptam , quòd mentalis determinetur ad tempus , illudque adsignificet ; vocalis autem , aut scripta indifferens cum sit ad omne tempus significandum , primo instanti , quo scribit Petrus , vera erit hæc propositio vocalis , *Petrus scribit* , secundo autem instanti , quo non scribit , erit falsa. Quòd si de mentali uterque locutus est , veritati non consentiunt.

Objicies 2. Quod est accidentale propositioni ; potest ab ea tolli ; accidens enim potest adesse ,

& abesse à subjecto, sine subjecti interitu; veritas, & falsitas sunt accidentales propositioni ex nostris principiis: ergo possunt abesse à propositione.

Respondeo, dist. majorem: Quod est accidentale propositioni, potest abesse ab ea, & tolli absolute, concedo: ex hypothesi quòd ei semel insit, nego: v.g. est accidentale parieti, quòd sit cognitus; Petro, quòd existat; & tamen ex hypothesi, quòd paries sit cognitus, non potest non esse cognitus, & ex hypothesi quòd Petrus existat hoc instanti, non potest ab eo tolli, quin destruat. Ratio est, quia sunt quædam denominationes accidentariae, quæ supposito, quòd convenient alicui subjecto, ab eo tolli nequeunt, vt cernere est in exemplis modò allatis: at supponimus propositionem semel fuisse veram, aut falsam: ergo in sensu composito veritatis, aut falsitatis est semper vera, vel falsa.

Instabis: Si propositio mentalis in materia contingens, est semper vera, est necessariò vera; nulla propositio contingens potest esse necessariò vera, alioqui nullum esset discrimen inter veritatem propositionis necessariae, & propositionis contingens, quod est absurdum.

Respondeo, distingo majorem: Propositio mentalis in materia contingenti est necessariò vera necessitate hypothetica, concedo: absoluta, & simplici, nego. Non est absolute quidem vera, quia cum sit contingens, quæ nunc est vera, potuit esse falsa; at ex hypothesi quòd sit semel vera, non potest esse falsa; si proferatur in eodem sensu, in quo primò prolata est; sin autem in diverso sensu, non est amplius eadem propositio,

Ad instantiam , nego ; Multùm enim veritas propositionis necessariæ à veritate propositionis contingentis discrepat. Illa est absoluta , hæc hypothetica : illa abstrahit à tempore , hæc includit : illa est vera semper , & pro semper , hæc semper quidem , sed non pro semper : illa æterna , & absolute immutabilis , hæc temporaria , & mutabilis , aut immutabilis tantùm est ex hypothesi , & secundùm quid. Ratio est , quia veritas propositionis necessariæ nullam temporis differentiam ex parte prædicati continet ; veritas autem propositionis contingentis ex parte prædicati includit differentiam temporis , vel determinatam , vel indeterminatam.

Objicies 3. Hæc propositio , *Christus nascetur* , erat vera , antequam Christus in mundum venisset ; falsa autem est , postquam advenit : ergo propositio potest de vera mutari in falsam.

Respondeo , hanc propositionem post Christi adventum , esse veram , quia eam temporis differentiam includit ex parte prædicati , pro qua erat nasciturus ; hinc licet aliquis primo post Christi nativitatem momento protulisset , vera utique extitisset , quia etiam post adventum Christi , significat tempus ante adventum. Et verò , inquit Suares Lusitanus , nisi vera foret , etiam postquam Christus adventavit , multæ essent propositiones in scriptura falsæ , cujusmodi sunt istæ , *Filius ex te nascetur : orietur stella , &c.*

Objicies 4. Sit aliquis , qui hanc propositionem dicat per horam , *Petrus currit* ; Petrus autem mediâ tantùm horâ currat ; tunc propositio de vera fiet falsa.

Respondeo : Vel illa propositio determinabat

toram horam , vel mediam partem horæ. Si primum , propositio semper fuit falsa , nunquam vera. Si secundum , semper propositio erit vera , quia significabit semper Petrum currere prima semihorâ , quâ reipsâ cucurrit , aut certè si propositio mutet sensum , erit altera propositio mentalis vltimâ semihorâ , quia habebit aliud objectum ab ea , quæ primâ semihorâ proferebatur , licèt quoad vocem videatur esse eadem.

Objicies 5. Cùm ego dico , *homines , qui sunt in foro , currunt* , ista propositio , si Petrus est in foro , illum significat ; sin verò Ioannes sit in foro , non Petrus , significat Ioannem , non Petrum : ergo eadem propositio est indifferens ad significandum vel hoc , vel illud objectum : ergo & ad significandum hoc , vel illud temporis momentum : ergo potest significationem mutare , & ita de vera fieri falsa.

Respondeo cum Arriaga : Si sumitur conditionatè , istique æquivaleat ; illi quicumque tandem sint in foro , currunt , id est , si Petrus est , in foro currit , si Paulus est in foro , currit , semper esse veram , quia quocumque tempore proferatur , semper eosdem significat , & quidem conditionatè , licèt de illo non verificetur , nisi cùm est in foro possitque verificari de his , aut illis , qui in forum itare possunt.

Instabis : Supponamus eandem propositionem absolutè significare , non tantùm conditionatè ; deinde Petrus , qui currit in foro primo quadrante , non currat secundo ; haud dubiè propositio de veta fiet falsa.

Resp. 1. propositionem , quæ conditionatè significat , non possit absolutè significare , quia mutare-



tur essentia propositionis, quæ est illius significatio: itaque erit altera propositio, quæ vel significabit Petrum cum aliis, qui sunt in foro, currere primo quadrante, & sic erit semper vera, vel significabit currere per mediam horam, & ita erit falsa, nunquam vera, vt jam observavi. quid si fiat hæc propositio, *Adamus manducat pomum*, dum verè manducat? deinde à Deo conseruetur eadem propositio per horam, postquam manducavit, nonne erit falsa? Respondeo si supponitur habere eundem sensum, semper erit vera etiam post horam, quia sensus illius erit, Adamum manducare pomum pro eo momento, quo re ipsa manducabat.

Objicies 6. Sit lex aliqua, quæ obliget omnes alicujus vr̄bis incolas, ad solvendum principi tributum; potest fieri de obligante omnes cives, non obligans, si Petrus v. g. qui est civis illius vr̄bis, aliò transferat domicilium: ergo hæc propositio, omnes homines hujus vr̄bis tenentur hac lege, de vera potest mutari in falsam.

Resp. cum Suare Lusitano; ejusmodi legem semper obligare omnes, & solos vr̄bis illius incolas, quia obligat conditionatè singulos homines, si vr̄bem illam incolant; jam verò quòd non obliget Petrum, id per accidens est ex parte legis, quia non obligat Petrum illam vr̄bem incolere, aut non incolere, sed obligat tantùm omnes incolas, quicumque illi sint; ideòque non mutat objectum conditionatum, quia quandiu perseverat, obligat omnes sub ista conditione, si habeant domicilium in vr̄be. Certè propositio, quæ affirmat conditionatè, semper idem ad veritatem requirit, & illud idem ex suppositione, quòd semel sit, prout sup-

positio exigit, non potest aliter esse; quia omne quod est, quando est, necesse est esse, inquit Arriaga: ergo propositio, quæ semel affirmat conditionatè, semper affirmat conditionatè, nec potest absolutè postmodum affirmare, licèt ex illa affirmatione conditionata inferatur aliquando absoluta, à conditionata distincta.

## ARTICVLVS II.

*An propositiones de futuro contingenti sint determinatè veræ, vel falsæ.*

**H**Æc quæstio semper visa est difficilis, non Philosophis modò, sed etiam Theologis, quia concordiam præscientiæ divinæ cum libertate creata ita explicare debet, vt salva sint vtriusque iura; sua præscientiæ divinæ certitudo constet, & libertatis indifferentia maneat integra: quare accuratiùs nobis explicanda est.

§. I. *Quædam observanda ad intelligentiam quæstionis.*

I. **P**ROPOSITIONES aliæ sunt necessariae, aliæ contingentes; sed aliter necessariae sunt determinatè veræ, aliter contingentes; illæ quidem ob necessariam connexionem prædicati cum subjecto, quia prædicatum vel est de essentia subjecti, vel quid ex ea necessariò fluens: hæc autem ob contingentem connexionem prædicati cum subjecto, quæ idè supponunt existentiam, vel significant in ea temporis differentia, quæ per verbum importatur.

II. Dantur propositiones verè contingentes, quia tam certum est dari propositiones verè contingentes, quàm certum est dari contingentiam in rebus; porrò datur contingentia in rebus, quia dantur causæ liberæ, quæ positis omnibus requisitis ad agendum possunt agere, vel non agere, vt fusè in Ethica probavimus disp. de libertate, parte 2. a. 3. §. 3. & sequentibus; contingentia autem ratio oritur ex causa indeterminata, & indifferente ad agendum, vel non agendum, quæ est libertas indifferentia.

III. Contingens Aristoteli ἐνδεχόμενον dicitur, quod potest esse, & non esse, quæ definitio non sic intelligi debet, vt quod contingens est, possit simul esse, & non esse; res enim, cùm est, non potest simul non esse, quia cùm est, necessariò est, & impossibile est, vt non sit, tum cùm est. Itaque ratio contingentis in eo posita est, quòd ita sit, vt potuerit antecedenter non esse, vel ita non sit, vt potuerit esse.

IV. Propositionum contingentium multiplex species; aliæ sunt vniversales, vt *omnis homo est albus*: *nullus homo est albus*, quæ dicuntur contrariæ: aliæ particulares, vt *aliquis homo est albus*: *aliquis homo non est albus*, quæ subcontrariæ: aliæ singulares, vt *Petrus currit*.

V. Singularium contingentium aliæ sunt de præterito, vt *Petrus cucurrit*: aliæ de præsentis, vt *Petrus currit*: aliæ de futuro, quæ significant effectum, qui nondum evenit, sed potest evenire, vt *Paulus cras ambulabit*.

VI. Inter propositiones de futuro contingentis, aliæ significant effectum rarò contingentem, vt *Petrus cras terram fodiens, thesaurum inueniet*:

aliæ effectum frequentius evenientem , vt *Petrus cras comedet* : aliæ , quarum objecta de se ad vtrumlibet indifferentia sunt , ac proinde tam possunt evenire , quàm non evenire , quia nullum est principium antecederet determinans , vt eveniant potius , quàm non eveniant , ideòque dicuntur simpliciter contingentia ; ejusmodi effectus definiuntur , qui oriri possunt à causa libera , & ad vtrumlibet indeterminata , vt *Petrus cras peccabit* : *Petrus cras non peccabit* ; nullum enim dicitur principium antegressum , quod Petrum ad peccandum potius , quàm ad non peccandum determinet , quia Petri voluntas sui juris est ac spontis.

VII. Quæstio hîc non est de propositionibus contrariis , quia in materia contingenti habentur pro determinatè falsis , nullum enim contingens potest vniversaliter de subjecto verè affirmari : nec de subcontrariis , quia ambæ possunt esse simul veræ : nec de oppositis contradictoriè , quarum vna vniversalis sit , altera particularis , quia vniversalis determinatam habet falsitatem , particularis autem determinatam veritatem : nec de singularibus de futuro contingenti , quæ vel rarè , vel sæpius effectum significant eventurum , quia primæ vulgè habentur pro determinatè falsis , secundæ pro determinatè veris ob moralem necessitatem. Tota itaque controversia est de propositionibus singularibus de futuro contingenti , quarum objecta ad vtrumlibet indifferentia sunt , an vna sit determinatè vera , & altera determinatè falsa : v. g. an ex duabus istis propositionibus , *Petrus negabit Christum* : *Petrus non negabit Christum* , vna sit determinatè vera , altera determinatè falsa. Ratio dubitandi est , quia si vna est determinatè vera ,

vtique necessariò vera est : si altera est determinatè falsa , necessariò quoque falsa est ; aliunde supponitur Petrus liberè Christum negaturus , vel non negaturus : at quod necessariò eventurum est , aut non eventurum , videtur libertatem tollere. Antequam solvatur quæstio , sit

VIII. Duplex necessarium , alterum antecedens , & absolutum : alterum hypotheticum , seu ex suppositione. Necessarium antecedens iterum duplex , alterum quod ita est , vt non possit non esse : quo sensu Deus dicitur necessariò existere : alterum , quod vi alicujus antecedentis necessariò ponitur : sic dies est effectus solis supra horizontem existentis necessarius : hypotheticum est , quod absolutè , & simpliciter potest non esse , sed factâ aliquâ hypothesi , in qua involvitur , non potest non esse : quo sensu dixit Philosophus , *quidlibet est , quando est* ; quia ex hypothesi , quòd res sit , impossibile est , quòd non sit , tum cum est : v. g. ex hypothesi quòd loquar , non possum non loqui. Breviùs D. Anselmus lib. 2. *cur Deus homo* , necessitatem antecedentem definit , quæ rem facit , consequentem verò , quæ rem sequitur.

IX. Sola necessitas antecedens repugnat contingentia , non consequens , & hypothetica , quæ stat cum libertate , quia causam relinquit antecedenter indeterminatam ; hinc solis ortus supra horizontem non est contingens , sed necessarius necessitate antegressa , & in causa : locutio autem , quam nunc profero , est necessaria tantùm consequenter , quia ita nunc loquor , vt in priori natura , & antecedenter ad hanc locutionem potuerim non loqui.

X. Dum quæritur , an propositio sit determina-

tè vera, vox *determinatè*, triplici sensu sumi potest. Primo, an cum profertur propositio ista, *Petrus curret*, sit *determinatè vera*, respectu profertentis? Secundo, an dum profertur actu, significet cursum antecedenter determinatum in causis, aut circumstantiis, sicut in hac propositione, *sol cras orietur*; sol enim jam determinatus est ad ortum crastinum. Tertio denique, an ita *determinatè vera* sit propositio, ut illi veritas secundum se conveniat, quamvis contingenter eidem conveniat.

X I I. De primo, & secundo sensu non agitur hic; non de primo, quia quoad nos, & respectu profertentis propositio non est *determinatè vera* vel falsa. Non de secundo, quia voluntas, utpote libera, non est determinata ad opposita: ergo eventus futurus non significatur antecedenter in causa sua; immo ne Deus quidem cognoscit *determinatè* eventus liberos in suis causis, quia liberi eventus non habent necessariam, & infallibilem connexionem cum causis indeterminatis, cujusmodi sunt causæ liberæ: quare non sic dicit Deus, quia causa libera erit hoc modo disposita, hoc faciet; sed dicit tantum, causa libera hoc modo disposita, hoc faciet.

Triplex sententia de hac quæstione percelebri; prima Ciceronis, qui ut hominis libertatem tueretur, præscientiam humanorum effectuum Deo denegavit teste D. Augustino, lib. 5. de civit. Dei cap. 9. *Utrumque*, inquit, *arbitratur esse non posse; sed si alterum confirmatur, alterum tolli; si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium; si elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum, &c.* & paulò post sub-

jungit, atque ita dum vult homines liberos, facit sacrilegos. Secunda Stoïcorum, qui præscientiam humanæ libertatis deletricem statuunt. Tertia Philosophorum rectè sentientium, qui præscientiam Dei cum libertate nostra conciliant.

§. II. Solvitur questio.

I. ASSER. NEUTRA propositionum contradictoriarum singularium de futuro contingenti est vera, vel falsa determinatè, determinatione absoluta, & quamlibet hypothesim antecedente. Probatur: ita se habent veritas, & falsitas in propositionibus contradictoriis singularibus de futuro contingenti, vt se habent esse, & non esse in rebus futuris contingentibus: esse, & non esse non sunt determinata determinatione absolutâ, & antecedente quamlibet hypothesim: ergo neutra propositionum contradictoriarum singularium de futuro contingenti est vera, vel falsa determinatè, determinatione absolutâ, & antecedente quamlibet hypothesim. Probatur minor: quæ futura sunt contingenter, non habent principium antecedenter necessarium, nec fiunt semper eodem modo, sed possunt aliter, & aliter esse, sive futura sint à consilio, sive à casu, vt patet ex natura contingentix, quam 1. & 2. observat. explicuimus.

Confirmatur 1. quia de futuris contingentibus fit consultatio: at quæ sunt objectum consultationis, possunt esse aut non esse; nam ex Aristotele 3. Ethic. c. 3. βελόμεθα περὶ τῶν ἐφ' ἡμῖν πραγμάτων: *deliberamus de rebus, qua agere nostra facultatis est: τὸ δὲ πῶς βελοῦμεθα ἐν τοῖς αἰς ἐπὶ πῶς, ἀδύναται δὲ πῶς ἀπο-*

*Ἐπιτεταῖς, καὶ ἐν οἷς ἀδιόριστον* : *consultatio versatur in iis, que ut plurimum fiunt ; in incertis verò, quomodo sint eventura, & in quibus nihil est definiti, neque certò constitutum ; quæ autem antecederent determinata sunt, non sunt in nostra potestate. Certè nemo sapienter deliberat, an sol crastina die orturus sit ; deinde non est determinatè verum, quòd vestis vsu atterenda sit, quia potest lacerari ; nec quòd laceranda sit, quia potest atteri.*

II. **A S S E R T I O.** Neutra propositionum singularium de futuro contingenti est determinatè vera, vel falsa respectu proferentis, & quoad nos. Probatum : illa propositio non potest esse determinatè vera, vel falsa respectu proferentis, & quoad nos, cujus objectum non potest à proferente, nec à nobis cognosci : objectum hujus propositionis, *Petrus cras curret* : *Petrus cras non curret*, non potest certò à proferente, nec à nobis cognosci ; objectum enim utriusque propositionis est cursus Petri cras futurus, vel non futurus : cursus cras futurus, aut non futurus, nec à proferente, nec à nobis potest cognosci ; vel enim cognosceretur in se ipso, vel in causa, non in se ipso, quia nondum est, non in causa, quia causa illius est voluntas Petri, quæ indifferens, & indeterminata est ad cursum, aut non cursum ; hinc

Conciliabis Aristotelem Theologis, dum sic loquitur, *neesse est contradictionis partem esse veram vel falsam, non tamen hanc vel illam, sed utramlibet.* Vel enim intelligendus est de veritate propositionum contingentium in ordine ad mentem proferentis, & ad nos ; vel de veritate, quæ oriatur ex determinatione absoluta, & quamlibet hypothesim antecedente.



III. ASSERTIO. Propositionum contradicto-  
 riarum singularium de futuro contingenti, altera  
 determinatè vera est, altera determinatè falsa se-  
 cundùm se. Ita Conimbricenses in Logica cap. 8.  
 de futuris contingentibus q. vnica, Suares Gran.  
 lib. 1. de absol. scient. futurorum, c. 1. Martinon  
 d. 9. de Deo, n. 19. Amicus in Logica, tract. 21.  
 disp. 4. dub. 4. a. 4.

Probatur 1. à priori. Propositio determinatè con-  
 formis objecto suo, est determinatè vera; deter-  
 minatè difformis, est falsa secundùm se: propo-  
 sitionum contradicentium de futuro contingenti,  
 vna est determinatè conformis objecto suo; altera  
 determinatè difformis objecto suo: ergo propo-  
 sitionum contradicentium de futuro contingenti,  
 vna est determinatè vera, altera determinatè fal-  
 sa secundùm se. Major certa est, quia conformi-  
 tas determinata propositionis est determinata ve-  
 ritas, sicut difformitas determinata est determi-  
 nata falsitas. Probatur itaque minor: hæ propo-  
 sitiones, *Antichristus peccabit: Antichristus non*  
*peccabit*, sunt contradictoriæ de futuro contin-  
 genti. Prima est determinatè conformis objecto suo;  
 secunda determinatè difformis objecto suo: ergo  
 propositionum contradicentium de futuro contin-  
 genti, altera est determinatè conformis objecto  
 suo, altera determinatè difformis. Patet conse-  
 quentia, quia de aliis propositionibus contradi-  
 centibus de futuro contingenti, perinde argumen-  
 tatio valet ac de istis duabus. Quare probatur an-  
 tecedens. Illa propositio est determinatè confor-  
 mis objecto suo, quæ enuntiat futurum, quod  
 verè futurum est: illa determinatè difformis, quæ  
 negat futurum, quod verè futurum est: prima affir-

mat futurum , quod verè futurum est ; affirmat enim futurum peccatum Antichristi , quod certò eveniet ; secunda , negat futurum , quod futurum est ; negat enim futurum peccatum Antichristi , quod futurum est : ergo prima est determinatè conformis objecto suo : secunda , determinatè difformis. Probatur minor : illud determinatè futurum est , de quo aliquando verum erit dicere , est. De peccato Antichristi aliquando verum erit dicere , est : ergo peccatum Antichristi nunc determinatè futurum est : ergo propositio , quæ affirmat peccatum Antichristi futurum , nunc est determinatè vera.

Confirmatur 1. Hæc propositio , *Antichristus peccabit* , debet esse aliquando determinatè vera : ergo vel cùm nunc profertur , est vera determinatè , vel cùm existet peccatum Antichristi , non erit vera , cùm peccatum Antichristi existet ; quia hæc altera erit vera , *Antichristus peccat* : ergo superest , vt determinatè , nunc cùm profertur , vera sit. Deinde quæro ab adversariis , an hæc propositio , *Antichristus peccabit* , vera sit , nec-ne ? si negant esse veram , peccant contra fidem : si nec veram , nec falsam pronuntiant : ergo contradictoria , *Antichristus non peccabit* , non est falsa , aut tam est vera , quàm falsa , aut certè est vera , vel falsa : ergo non est hæretica , quia non opponitur contradictoriè huic alteri , *Antichristus peccabit* ; huic enim non opponitur , nisi quatenùs hæc est determinatè vera , illa determinatè falsa.

Confirmatur 2. Cùm Christus dixit Petro , *antequam gallus cantet , ter me negabis* , vel determinatè sciebat Petrum peccaturum , vel non ; posterius dici nequit , quia nisi Christus id determinatè

tè sciisset , mentitus utique fuisset , quia contra mentem propriam verba protulisset , quæ determinatè significabant Petrum peccaturum : ergo Christus determinatè sciivit Petrum peccaturum ; atqui scire non potuit Petrum determinatè peccaturum , nisi Petrus determinatè esset peccaturus ; aliàs enim cognitio ipsius non fuisset conformis objecto suo.

Probatur 2. à pari : Propositio , quæ verè enuntiat fuisse , quod fuit , & quæ enuntiat , quod est , vera est , & quidem determinatè : ergo propositio , quæ enuntiat futurum , quod verè futurum est , est determinatè vera. Probatur consequentia : propositio de præterito , & præsentis ideò vera est , quia illa enuntiat fuisse , quod verè fuit , & ista enuntiat esse , quod verè est ; sed propositio de futuro enuntiat futurum , quod verè futurum est : ergo est vera. Ad hæc , ideò propositio de præterito est vera , quia propositio de præsentis est vera ; ideò enim verum est Petrum cucurrisse , quia verum fuit dicere de præsentis , *Petrus currit* : ergo verum est etiam dicere , *Petrus curret* , quia verum erit aliquando dicere , *Petrus currit*.

Nititur vis hujus argumenti his principiis Philosophi : ex eo , quòd res est , vel non est , propositio dicitur vera , vel falsa. Item quod est , quando est , necesse est esse : quod non est , quando non est , necesse est non esse. Et sanè sicut repugnat idem simul fuisse , & non fuisse , esse , & non esse : ita repugnat simul fore , & non fore.

Probatur ultimò à posteriori : Illa propositio est determinatè vera , vel falsa , quæ cognoscitur à Deo determinatè vera , vel falsa ; nam propositio similis cognitioni determinatè veræ , est deter-

minatè vera , & dissimilis est determinatè falsa : omnis propositio de futuro contingenti cognoscitur à Deo determinatè vera , vel falsa : ergo omnis propositio de futuro contingenti est determinatè vera , vel falsa. Probatur minor : Deus videt conformitatem hujus propositionis , *Petrus cras curret* , vel difformitatem cum objecto , hoc est cum cursu Petri , vel non cursu : ergo cognoscit determinatè veram , vel falsam. Probatur minor : Deus videt omne scibile , sive fuerit , sive sit , sive futurum sit ; aliàs cognitio ejus non esset infinita. Deinde cognitio rerum præteritarum , præsentium , & futurarum , supposito quòd fuerint , sint , & futura sint , est perfectio simpliciter simplex : ergo datur in Deo ; itaque futura videt , sive quæ à causis necessariis , sive quæ à liberis producenda sunt : conformitas hujus propositionis cum cursu Petri crastino , est aliquid scibile : ergo videt conformitatem hujus propositionis cum cursu Petri crastino. Ut vis , robúrque hujus argumenti pateat , sit

I. Pronuntiatum : Multiplex datur scientia in Deo ; prima est futurorum absolutè : secunda rerum merè possibilium , id est , quæ possunt evenire , licèt nunquam eventuræ sint. Tertia , rerum quæ nunquam evenient , sed tamen evenirent , si in certa circumstantiarum complexione ponerentur , ideóque vocantur futuræ conditionatè , quia earum futuritio pendet à certis conditionibus ; prima , dicitur scientia visionis ; secunda , scientia simplicis intelligentiæ ; tertia , scientia conditionalium , seu media , quòd sit quasi media inter scientiam visionis , & scientiam simplicis intelligentiæ.

I I. Pronuntiatum : Scientia media definitur certa , & infallibilis notio liberorum actuum , quos voluntas creata eliceret , si in tali rerum serie constitueretur.

I I I. Pronuntiatum : Scientiæ mediæ existentiam in Deo probat I. autoritas Scripturæ , I. Reg. 23. *Si tradent me viri Ceila , & viros , qui sunt mecum , in manus Saül ? Et dixit Dominus , tradent.* Matthæi 11. *Va tibi Corosain , va tibi Bethsaida , quia si in Tyro , & Sidone facta essent virtutes , qua in te facta sunt , olim in cinere , & cilicio pœnitentiam egissent.* Probant Patrum suffragia , dum docent juxta illud Sapient. 4. *Raptus est , ne mutaret intellectum ejus ;* Deum morte immaturâ rapere aliquos justos , quia præscit illos , si diu viverent , peccaturos. Item dum quærunt , cur Deus creaverit angelos , quorum defectionem sciebat ? cur Adamum condiderit , quem præsciebat lapsurum ? cur Iudam elegerit , a quo se pro-dendum prævidebat , si in Apostolum adscisceret. Vide D. August. lib. 2. de bono perseverantiæ , c. 9. de prædest. SS. c. 13. & lib. 22. de civit. c. 1. Probat denique ratio : Deus perfectissimam exigit providentiam , quâ antequam decernat , definiat-que , prospicere possit , quid quibusque positis eventurum sit ; nam vox ista , primùm agamus , deinde quid eventurum sit , videbimus , non cadit in providentiam vsquequaque perfectam. Denique communis consensus astruit ; si enim ex hominibus quæras , an iste , vel ille hoc mihi donaret , si peterem , utique reponunt , *Deus scit.*

I V. Pronuntiatum : Tres conditiones exigit scientia media , I. vt conditionatè futūra sint libera , 2. vt non sint absolutè futura in hoc rerum

statu , 3. ut reipsâ exitura essent , si poneretur conditio , ad quam alligatur eorum existentia : sic in Tyriis , & Sidoniis pœnitentia est 1. actus liber. 2. existentiam absolutam non habuit , ne habebit. 3. fuisset habitura , si miraculorum conditio posita fuisset.

v. Pronuntiatum : Videt Deus veritatem futurorum contingentium in se ipsis , ut habent egressionem actualem à causis liberis in mundo ideali supponente pro mundo reali : unde fit , ut Deus non priùs cognoscat , quàm videat è causis suis erumpentia pro sua differentia temporis. Probatur , quia non est aliud medium in quo Deus certò videre possit ; vel enim videret in decreto prædeterminante , vel in complexione causarum liberarum , & circumstantiarum omnium. Non primum , quia decretum absolutum tollit libertatem ; non secundum , quia complexio circumstantiarum causæ liberæ tali modo dispositæ , non est medium infallibile , & certum : ergo superest , ut Deus videat futura contingentia quatenus habent egressionem actualem à causis liberis , quæ ut plenius intelligas , sit

### §. III. *Principia conciliande libertatis cum præscientia Dei.*

I. **F**INGE duo instantia ; primum , in quo voluntas , positis omnibus ad agendum necessariis , est indifferens , & indeterminata , ut ponat actum , vel non ponat ; secundum , in quo ponit actum ex electione sua , ideóque est determinata.

II. Hæc duo instantia vtrumque statum vo-

luntatis repræsentantia novit Deus ab æterno, cum virtuali quadam successione, vel potius subordinatione; itaut prius viderit voluntatem sub indifferenti, & sub actu primo positam, quam sub actu secundo, & determinatam. Quod ut facilius concipias,

111. Duplicem mundum cum Boëtio agnosce; alterum idealem, & archetypum in mente Dei, de quo Boëtius:

————— *Tu cuncta superno*

*Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse*

*Mundum mente gerens, similique in imagine formās.*

Alterum verò sensibilem, & productum in tempore, quem nos incolimus.

1 v. Mundus archetypus nihil aliud est, quam ideæ divinæ primigeniæ, & primordiales, quas Deus habet de singulis rebus, & quæ vocantur à S S. P P. rationes creaturarum, quia ut sunt practicæ, constituunt in Deo artem producendi creaturas. Nam

v. Ideæ ejusmodi vel sumuntur, ut sunt speculativæ, seu in suppositione formali; vel ut sunt practicæ, seu in suppositione materiali. Idea, ut speculativa, & in suppositione formali sumpta, est creatura ipsa repræsentativè per denominationem extrinsecam, quia idea Deo exhibet statum creaturarum, sicut æternitas repræsentat differentiam temporis, in qua est quælibet creatura. Idea in suppositione materiali, & practica, est ratio quædam, & regula divinæ menti impressa, in quam Deus intuetur, & quæ ipsum dirigit, dum agit extra se: utraque est verbum realiter.

vi. Idealis mundus id omne præstat intelligibiliter, seu in mente divina, quod creatura præstat

realiter in tempore, sicut æternitas repræsentat quamlibet temporis differentiam: ergo nihil geritur in tempore, cujus status in mundo intelligibili per ideam non repræsentetur, & differentia temporis, in qua est aut fit, per æternitatem; hinc

Tria inferuntur: primum ut liber effectus à causa libera reali realiter egreditur in tali tempore; ita repræsentatur in idea specularivè sumpta secundùm statum, dum æternitas repræsentat differentiam temporis; nam effectus intelligibiliter egreditur à causa ideali, quæ locum creatæ causæ tenet in Dei mente.

Secundum, sicut ante realem egressionem, effectus non habet aliud esse, quàm possibile, & indeterminatum ad esse, vel non esse, ita ante egressionem idealem habet tantùm esse indeterminatum, & possibile in causa ideali.

Tertium, sicut effectus accipit esse reale, & determinatum, cum à causa reali egreditur; ita in mundo intelligibili accipit esse intelligibile in ratione effectûs determinati, cum egressionem habet veluti actualem, & determinatam à sua causa ideali, quæ supponitur pro voluntate creata in mundo intelligibili.

VII. Sicut per ideas res singulæ producendæ repræsentantur in mundo intelligibili; ita omnes differentiæ temporis per ipsam æternitatem Deo præsententur: unde fingunt Theologi Deum instar circuli, cujus centro ex æquo respondent omnes differentiæ temporis; itaut nihil dicatur præteritum, aut futurum respectu Dei: ergo sicut in ideis specularivè, & in suppositione formali sumptis, omnes effectus producendi repræsentantur: ita in ipsa æternitate omnes temporis diffe-



rentiæ sistuntur menti divinæ in esse objectivo. His præmissis facile est conciliare libertatem humanam cum præscientia Dei circa futura contingentia ; nam

Primò , cùm præscientia Dei circa effectum contingentem non sit scientia , prout terminatur ad primum instans rationis , in quo voluntas est indeterminata ; sed prout terminatur ad secundum instans , in quo videt voluntatem humanam à se ipsa determinatam ex plenissimo dominio , quod habet in suos actus , & sub actu positam ; quis non videt libertatem humanam per præscientiam divinam non violari , quæ ideo præscit tantùm , quia voluntas est actura in tempore , & jam agit in ideis divinis pro ipsa voluntate supponentibus ?

Secundò , cùm potestas antecedens respondeat voluntati in primo statu determinationis positæ ; voluntas verò consequens in secundo statu determinationis constitutæ : sicut voluntas in secundo instanti non habet potestatem antecedentem in sensu composito actionis , quia ex hypothese , quod agat , non potest non agere : ita nec illam potentiam habet , prout subest præscientiæ , quia v. g. præscientia peccati Antichristi terminatur tantùm ad voluntatem Antichristi in secundo instanti positam , hoc est determinatam , & peccantem.

Tertiò , potestas antecedens nunquam fallit præscientiam divinam , quia præscientia peccati futuri Antichristi non ponitur in primo instanti , hoc est non terminatur ad voluntatem Antichristi indeterminatam , & in primo instanti positam , sed determinatam , & in secundo instanti constitutam , in quo videt Deus transitum voluntatis ,

quem liberè ipsa fecit à primo statu indifferentiæ ad statum determinationis, & electionis.

Dices : Ergo Deus non habet præscientiam voluntatis indeterminatæ.

Resp. nego consequentiam : Nam sicut per præscientiam videt voluntatem determinatam in secundo instanti : sic per præscientiam videt indeterminatam in primo instanti : unde duplicem habet quasi præscientiam objectivè distinctam ; alteram , quæ cadit supra primum instans : alteram , quæ supra secundum.

Quartò : præscientia peccati futuri non violat libertatem , nec in sensu diviso , & antecedenter , quia tunc removeretur ab actu futuro , quem proinde non attingit : ergo violare non potest : nec in sensu composito , & consequenter ; quia dum præscientia componitur , & quasi conjungitur , cum actu futuro , tunc actum præsupponit positum , & voluntatem ex dominio , quod habet in actum , determinatam. Videt enim futurum contingens in egressione libera voluntatis idealiter representata : ergo non violat libertatem , quia specificatur ab actu libero voluntatis humanæ idealiter spectato ; hinc

Voluntas etiam cùm agit , libera est , tum libertate actus secundi , quia fruitur exercitio suæ libertatis : tum libertate actus primi , quia voluntas non est determinata à principio vlllo antecedenter necessitante ad actum , sed ex proprio dominio.

§. IV. *Diluuntur objecta.*

**O**B I C I E S I. in primam, & secundam assertionem. Absolutè necessarium est, ut navale bellum sit, aut non sit; aliter daretur medium inter contradictoria: ergo contradictoriarum de futuro contingenti, una est determinatè vera, altera determinatè falsa absolutè.

Resp. dist. ant. Necessitate, quæ cadat in duas partes disjunctionis non tantùm in unam, concedo; necesse quippe est navale bellum cras fore, vel non fore: necessitate, quæ cadat in unam tantùm partem, nego: non enim necesse est absolutè unum ex his duobus seorsum fore; nec est potiùs affirmatio, quàm negatio belli navalis, licèt enim in quibusdam contingentibus quædam pars sit alterâ probabilior, ut quòd Petrus crastina die comesturus sit, aut quòd fodiens terram non inveniat thesaurum; potest tamen altera pars contingere: ergo neutra est absolutè vera, vel falsa, si determinatè sumitur. Nam vel utraque vera est, vel utraque falsa, vel neutra vera aut falsa, vel una vera, & altera falsa. Utraque non est simul vera, quia res non potest simul esse, & non esse: nec utraque falsa, quia non potest res nec esse, nec non esse: nec neutra vera aut falsa, quia inter verum aut falsum non est medium: ergo superest, ut altera sit vera, & altera falsa indefinitely; vel erit navale bellum, vel non erit, quia cùm nullum sit medium, alterutrum necessariò contingeret: & ita explicabis Aristotelem.

Instabis: Aristoteles lib. i. de interpret. cap. 6. negat semper esse necessarium, ut propositionum

de futuro contingenti contradictoriarum, vna fit vera, altera falsa. Ibidem etiam negat eandem esse rationem rerum, quæ sunt, vel fuerunt, vel futuræ sunt: sed quæ sunt, vel fuerunt, sunt objecta propositionum determinatè verarum: ergo res futuræ non sunt objectum propositionum determinatè verarum.

Resp. dist. Negat esse eandem rationem rerum, quæ sunt, vel fuerunt, vel futuræ sunt, respectu proferentis, & quoad nos, concedo: nam quæ fuerunt, aut sunt, quando fiunt de illis propositiones, habent determinatam veritatem ab objecto iam determinato in se. Deinde quia propositiones de præterito, & præsentis sunt etiam veræ quoad nos, quatenus nota est nobis earum veritas, vel saltem naturaliter nota esse potest, licet per accidens nos lateat; at vtrumque non reperitur in propositionibus de futuro contingenti, quarum objectum à nobis definitè cognosci non potest. Certè conciliandus est Aristoteles Aristoteli; at scribit 3. de anima, t. 22. non tantum verum esse, quod leo est albus, sed etiam quod fuit, & erit albus: atqui *leo erit albus*, est propositio de futuro contingenti. Item lib. 2. de generatione t. 64. *De quo*, inquit, *verum aliquando dicere, est, nunc verum est dicere, erit*; atqui de futuro contingenti verum erit aliquando dicere, est: ergo verum est etiam dicere nunc, erit.

Objicies 2. Illa propositio non est determinatè vera, cuius objectum non est cognoscibile; objectum propositionis de futuro contingenti non est cognoscibile: ergo propositio de futuro contingenti non est determinatè vera. Major certa est, quia prius est cognosci rem, quàm cognosci esse

determinatæ veritatis : quare prob. minor. Id quod non est , non est cognoscibile : futurum contingens non est , sed erit : ergo non est cognoscibile.

Resp. dist. maj. Id quod non est nunc , & est pro tunc , non est cognoscibile , nego : id quod non est , & pro nunc , nec pro tunc , concedo : futurum contingens non est. Dist. minorem : pro nunc , id est non existit pro differentia temporis , in qua profertur propositio , concedo : non est pro tunc , id est , pro differentia temporis per verbum significata , nego ; 2. dist. id quod non est in mundo reali , & est in ideali , non est cognoscibile , nego : id quod non est nec in mundo reali , nec ideali , concedo : objectum non est , dist. min. in mundo reali , concedo : in ideali , nego ; est enim in divinis ideis nunc supponentibus pro re ipsa , eamque repræsentantibus juxta doctrinam superiori paragrapho traditam.

Instabis 1. Futurum contingens est indeterminatum ; at determinata veritas non petitur ab objecto indeterminato : ergo propositionis veritas non est determinata.

Resp. dist. maj. Est indeterminatum antecedenter , & pro nunc , concedo : consequenter , & pro tunc , nego. Deinde jam determinatum est in mundo intelligibili , quia voluntas Petri , quæ peccabit crastina die , videtur à Deo peccans in mundo intelligibili supponente pro statu peccati in tali temporis differentia.

Instabis 2. Veritas actualis pendet ab actuali objecto.

Resp. dist. Si sit propositio de præsentis , esto : si de præterito , aut futuro , nego ; quia veritas

propositionis solùm exigit præsentiam objecti in tempore significato per verbum : at propositio de futuro non affirmat objectum esse pro hac differentia temporis præsentis , sed fore pro differentia temporis futuri.

Instabis 3. Eo modo debet esse objectum , quo propositio : propositio est actu : ergo & objectum.

Resp. dist. maj. Quoad significationem , concedo : quoad existentiam , nego ; satis enim est propositionem adæquari objecto secundùm modum repræsentandi , deinde objectum est in mundo ideali.

Instabis 4. Objectum est tantùm determinandum : ergo & veritas determinanda.

Resp. nego ant. Tum quia determinatum est pro tunc , tum quia in ideis divinis est determinatum ; deinde nego consequ. vt enim non licet dicere , quamvis præterierit determinatio objecti , præteritam esse veritatem : sic non licet dicere , quia futura est determinatio objecti , futuram esse veritatem. Vt ergo præsens est veritas propositionis de præterito , sic præsens est veritas propositionis de futuro. Sicut veritas propositionis , cuius determinatio fuit , nunc est determinata : sic veritas propositionis , cuius objectum determinandum est , determinata est.

Instabis 5. Propositio de futuro contingenti esset vera ab æterno : ergo necessariò vera : at quòd necessariò verum est , semper verum est.

Resp. dist. Esset vera ab æterno pro æterno , nego ; pro tempore , concedo : vnde sequitur tantùm esse necessariò veram necessitate hypotheticâ , & consequenti , non necessitate absolutâ , & antecedenti.

Instabis 6. Esset etiam vera pro æterno ; nam illa propositio est vera pro æterno , cujus objectum est determinatum in mundo intelligibili : objectum propositionis illius ex nobis est determinatum in mundo intelligibili : ergo propositio est vera pro æterno.

Resp. dist. maj. Cujus objectum est determinatum in mundo intelligibili , supponente pro statu rei in tali temporis differentia , nego : supponente pro statu rei , abstrahendo ab omni tempore , transeat. Nempe dum idea repræsentat statum rei , æternitas repræsentat differentiam temporis , in qua futurum est in mundo reali. Quare repræsentatur objectum illud non pro æterno existens : sed pro tali temporis differentia : unde propositio non significat objectum pro æterno existens.

Instabis 7. Saltem propositionis de futuris necessariò non esset certior veritas , quàm propositionis de futuris contingenter.

Resp. nego , quia effectus necessariò futuri sunt determinati tum in suis causis , tum in se ipsis ; effectus verò contingenter futuri sunt tantum determinati in se ipsis :

Objicies 3. Propositio de futuro contingenti indifferens est , ut sit vera , vel falsa : ergo non est determinatè vera , vel falsa.

Resp. dist. ant. Absolutè , & antecedenter sumpta , concedo : consequenter , & ex hypothesi objecti re ipsâ futuri , nego.

Objicies 4. Propositio non est determinatè vera , quæ non potest certò sciri , nec prædici à Deo : propositio de futuro contingenti non potest certò sciri , nec prædici à Deo ; nam si certò sciretur , & prædiceretur à Deo , violaretur libertas huma-

na ; impium est dicere violari libertatem humanam per præscientiam divinam : ergo propositio certò sciri , aut prædici à Deo non potest.

Resp. concessâ majore primi syllogismi , nego min. Ad probationem , dist. maj. Si sciretur , & prædiceretur à Deo ante liberam egressionem effectus à causa , violaretur libertas humana , concedo : si sciretur à Deo in libera egressione effectus à voluntate , nego ; at Deus videt , & præscit effectum contingenter futurum : v. g. negationem Petri in ipsa negatione egrediente à voluntate Petri , seu in ipsa voluntate Petri transcunte ab actu primo indifferentiæ , ex dominio ad actum secundum , quod non lædit jus libertatis , quia præscientia Dei cadit supra actum secundum libertatis , in quo est à se ipsa determinata , non supra actum primum , in quo est indifferens ; vt ergo non violat libertatem Petri visio mea , dum actu video deambulantem , quia non idèò ambulat , quia video , sed idèò video , quia ambulat : ita præscientia Dei non violat libertatem Petri ; quia non idèò negat Petrus , quia Deus videt , sed idèò Deus videt , quia negat Petrus. Hinc Augustinus lib. 3. de libero arb. cap. 4. *Sicut , inquit , tu memoriâ tuâ non cogis facta esse , qua praterierunt : sic Deus præscientiâ suâ non cogit facienda , qua futura sunt.* Memineris hîc mundi intelligibilis Dei.

Instabis r. Nullus effectus procedens à causa necessaria , est liber ; negatio Petri v. g. procedit à causa necessaria , nempe à Dei præscientia : ergo non est libera.

Resp. dist. majorem : Effectus procedens à causa necessaria , determinatâ per causam liberam ad



agendum, non est liber, nego: à causa necessaria non determinata per causam liberam, concedo. Sic homicidium est actus liber, licet oriatur à veneno, quod est causa necessaria mortis, quoties applicatur per causam liberam: sic licet Dei scientia sit necessaria secundum intrinsecam, quæ dicit in Deo, quia tamen actum libertatis liberè se determinantis præsupponit, ideò non affert necessitatem libertati humanæ, nisi consequentem. Deinde falsum est præscientiam esse causam effectûs liberi, sed potiùs effectus liber est veluti causa præscientiæ Dei. Audi Origenem lib. 7. in epist. ad Rom. ubi expendit illa verba cap. 8. *quos præscivit, & prædestinavit. In præscientia, inquit, Dei neque salutis, neque perditionis nostræ causa consistit, &c. non enim propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum: sed quia futurum est, scitur à Deo, antequam fiat. Nam etsi fingimus Deum non prænoscere aliquid futuram, sine dubio erit. Suffragatur Iustinus martyr, q. 58. ad Orthodoxos, Non est præscientia causa ejus, quod futurum est: sed quod futurum est, causa præscientiæ; siquidem non præscientiam consequitur futurum, sed futurum consequitur præscientiam, & haud quaquam præsciens est causa futuri.* D. Hieronymus in cap. 21. Ieremiæ: *Non enim ex eo, quòd Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est: sed quia futurum est, Deus novit quasi præsciens futurorum.*

Instabis 2. Propositionis conditionalis, cujus antecedens est absolute necessarium, consequens quoque absolute necessarium est: hujus conditionalis, si Deus præscivit Petrum peccaturum, peccabit, antecedens est absolute necessarium: ergo & consequens.

Resp. nego min. Quia præscientia Dei, licet antecedat tempore, tamen est posterior quasi causalitate. Ratio à priori est, quia speculativa est: ergo supponit objectum, non facit, quia scientia speculativa distinguitur à practica scientia, quòd hæc faciat objectum, illa verò purè contempletur ex D. Thoma de veritate, quæst. 1. art. 2. in corpore circa medium. *Res, inquit, aliter comparatur ad intellectum practicum, aliter ad speculativum; intellectus enim practicus causat res, unde est mensura rerum, quæ per ipsum fiunt: sed intellectus speculativus, qui accipit à rebus, est quodammodo motus ab ipsis rebus, & ita res mensurant ipsum.* At præscientia Dei speculativa est, & signum ostendens, quòd fit futurum, non autem rerum effectrix; hinc comparatur speculo, quod non est causa rei, quam exhibet, quia remoto speculo res adhuc fieret: visioni actuali, quæ non est causa rei, quæ fit: memoriæ rerum præteritarum, quæ non est causa, cur res factæ sint, licet eas repræsentet. Objectum itaque est velut causa præscientiæ divinæ; unde hæc propositio vera est in sensu causali, idèò Deus rem præscit, quia futura est. Non contra, res est idèò futura, quia Deus præscit. Audi August. lib. 5. de Civit. cap. 10. *Neque enim idèò peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit; immo idèò non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit, quia si nolit, utique non peccat; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.*

Instabis 3. Illa necessitas est antecedens, quæ non pendet ab arbitrio hominis; necessitas orta ex

præscientia Dei non pendet ab arbitrio hominis: ergo &c. Prob. min. Quod ab æterno est, non pendet ab eo, quod est in tempore, nam prius non pendet à posteriori: præscientia Dei est ab æterno, peccatum Petri in tempore: ergo præscientia Dei non pendet à peccato Petri.

Resp. dist. maj. Quod est ab æterno, & est prius tam duratione, quam causalitate, concedo: si sit prius duratione, & posterius causalitate, nego. At præscientia Dei est tantum prior duratione, quia tota æternitate præexistit peccato Petri, sed est posterior causalitate ordine rationis, & subsistendi consequentiâ; causalitate, inquam, non quidem verâ, sed quasi causalitate, quia præscientia Dei, licet objectum postulet tanquam terminum, & occasionem, non tamen propriè causatur ab objecto concurrente ad illius effectiorem, & determinante per seipsum, aut per speciem. Ratio à priori est, quia res creata non est objectum primarium Dei præscientiæ, sed tantum secundarium: valet quidem hæc consecutio, præscitur futurum: ergo futurum est; at non valet vicissim, saltem ab intrinseco, & vi solius antecedentis, non præscitur futurum: ergo non est futurum; quia si per impossibile nulla esset præscientia futuri in Deo, non ideò minus res esset futura; at posito quòd res futura non sit, nulla potest esse præscientia ejus futuritionis.

Instabis 4. Præscientia est posterior causalitate peccato: ergo pendet à peccato, quia scientia pendet ab objecto.

Resp. nego consequentiam, & distingo illius probationem, scientia pendet ab objecto movente, & primario, concedo: terminante, & secun-

dario tantùm , nego ; at objectum primarium , & motivum præscientiæ Dei , est idea divina juncta cum æternitate : secundarium verò , & terminativum , creatura in tali differentia temporis.

Instabis 5. Ex August. lib. 3. Confess. cap. ultimo : *Nos autem ea , qua fecisti , videmus quia sunt : tu autem , quia ea vides , ea sunt.* Item 9. de Civit. Omnino , inquit , *futura sunt voluntates nostra , quia Deus præscivit : ergo præscientia Dei est causa rerum ex Augustino.*

Resp. ad 1. ibi loqui Augustinum de scientia Dei practica , non speculativa , aut certè si de speculativa loquitur , utrumquè locum sic distinguo ; itaut particula , *quia* , habeat sensum causalem , sive sit causa essendi , nego ; itaut habeat rationem dumtaxat signi infallibilis , & sit causa cognoscendi , concedo ; nempe præscientia Dei est infallibile signum rei futuræ , quia ex illa posita infertur actus futuritio infallibiliter. Sicut si quis ex alto vertice montis , videat in patenti campo construi ad pugnam , & explicari exercitum , visio ejus est signum infallibile , ex quo consequenter inferri potest apparatus exercitus ad pugnam ; nec tamen idè visio est causa illius exercitûs accincti ad pugnam. Deum compara cum homine speculante exercitum , exercitus verò apparatus cum rebus , quæ fiunt in tempore , reddunturque Deo præsentibus per ideam , & æternitatem.

Instabis 6. Peccatum Adami non est ab æterno : ergo non cognoscitur ab æterno.

Resp. dist. consequ. Non cognoscitur ab æterno , esse pro æterno , concedo : non cognoscitur ab æterno , esse in tempore , nego ; vel non est ab

æterno, in esse reali, concedo : in esse ideali, nego. Videt enim Deus peccatum Adami, ut egrediens actu à voluntate Adami in mundo intelligibili, supponente pro ipsa voluntate Adami in tali temporis differentia peccante.

Objicies 5. Voluntas liberè ponit effectum à Deo præscitum : ergo potest non ponere.

Resp. dist. conseq. Potest non ponere in sensu composito præscientiæ, seu consequenter ad præscientiam, nego : in sensu diviso, seu antecederet ad præscientiam, concedo ; nam compositio præscientiæ divinæ cum peccato præscito supponit voluntatem determinatam, & agentem actu, quæ ex hypothesi, quòd determinata sit, & agat, non potest non agere, quia aliter ageret, & non ageret ; at in sensu diviso præscientiæ voluntas spectatur in primo instanti indifferentiæ, in quo Deus non præscit eam peccaturam.

Instabis 1. Saltem Deus falleretur, quia ille fallitur, qui præscit id quod potest non esse futurum : Deus præsciret peccatum Adami, quod potest non esse futurum : ergo Deus falleretur.

Resp. dist. maj. Fallitur, qui præscit futurum, quod potest non esse futurum, in sensu composito præscientiæ, seu consequenter ad præscientiam, concedo : in sensu diviso, & antecederet ad præscientiam, nego. At peccatum Adami posset non esse futurum, distinguo minorem, in sensu composito præscientiæ, nego. : in sensu diviso, concedo ; licet enim possit antecederet non peccare Adamus, non tamen ideo fallitur Deus ; quia nunquam prævidit non posse peccare antecederet, nam præscientia Dei non cadit supra primum instans, in quo Adami voluntas est in-

determinata, sed supra secundum, in quo voluntas Adami est actu peccans; at ex hypothese, quòd peccet non potest non peccare, aliàs peccaret, & non peccaret.

Instabis 2. Posito possibili in actu, nihil sequitur absurdi. Item valet consecutio ab actu ad potentiam, vt, qui currit, movetur; ergo qui potest currere, potest moveri; ergo à pari valebit consequentia, qui aliter facit, quàm præscit Deus, fallit Deum; ergo qui potest aliter facere, quàm Deus præscivit, potest fallere Deum. Ponamus itaque Adamum non peccaturum, tunc falletur Dei præscientia.

Resp. dist. Posito possibili in actu, quod non destruit aliam hypothese[m] impossibile[m], nihil sequitur absurdi, concedo: quod destruit aliam hypothese[m], nego. At dum supponis Adamum non peccaturum, destruis aliam hypothese[m] jam factam, quâ supposuisti Deum præscire ejus peccatum; nam in sensu composito præscientiæ divinæ, non potest non peccare Adamus, sicut ex hypothese, quòd loquor, non possum non loqui: ergo si ex hypothese, quòd loquor, faceres aliam hypothese[m], quâ supponeres me non loqui, secunda destrueret primam.

Ad confirmationem, nego paritatem. Ratio est, quòd inter cursum, & motum sit connexio prorsus necessaria, quæ præpediri non potest; at inter potentem aliter facere, & potentem fallere, intervenit impedimentum, nempe quòd Deus præviderit, hominem peccaturum, posse tamen non peccare, quæ implicat contradictionem.

Instabis 3. Qui non potest aliter facere, quàm præscit Deus, non potest fallere Deum: ergo

qui potest aliter facere, potest Deum fallere.

Resp. dist. conseq. Qui potest aliter facere consequenter, & in sensu composito præscientiæ divinæ, potest fallere Deum, concedo: qui potest aliter facere antecedenter, & in sensu diviso præscientiæ divinæ, nego; nam cum præscientiâ Dei non cadat supra potestatem antecedentem, quæ est indeterminata ad agendum, vel non agendum, potest utriusque antecedenter homo agere, vel non agere; at non potest consequenter, quia jam voluntas est determinata, & sub actu, videturque à Deo determinata, & sub actu posita.

Instabis 4. Si in nobis est potestas antecedens, erit in nobis potentia ad præteritum.

Resp. dist. Ad præteritum in sensu diviso, esto: in sensu composito, nego.

Objicies 6. Causa dum agit, non est libera.

Resp. nego. Nam primò est libera libertate actûs secundi, quia fruitur exercitio libertatis; deinde est etiam libera libertate actûs primi, quia voluntas se ex plenissimo dominio ad actum determinavit, nihilque fuit antecedenter necessariò determinans voluntatem, & ideo dicitur perfectè libera.

Quæres: si Deus ex hypothesi, quòd præsciat damnationem Petri, eandem revelet Petro, an Petrus debeat sperare, & possit? Ratio dubitandi est; quia si fidem adhibet revelationi, scit certò, & fide divina se peccaturum: ergo non potest sperare se non peccaturum. Confirmatur, quia res, ut purè possibilis, non est objectum spei, sed res futura; at in sensu composito revelationis salus Petri non est futura: ergo non potest ipsam sperare.

Resp. Petrum in illa hypothesi consequenter ad ipsam revelationem, spem amissurum, licet antecedenter ad revelationem, spem non amittat; non debet tamen ideò desperare, quia committeret novum peccatum: sed hæc ad Theologos.

Colliges ex dictis; quid respondendum sit ei, qui ad majorem peccandi impunitatem, sceleribus suis præscientiam Dei præterdit; hoc ratiocinio: vel Deus prævidit me salvandum, vel non; si primum, ergo licet impiè egero, salvus ero; si secundum, frustrà honestè vivo, quia certò damnandus sum.

Hoc enim argumentum nimis probat: ergo nihil probat. Antecedens patet, quia probat abjiciendam prorsus vitæ humanæ curam. Bellum meditaris? quorsum, amabo, tam exquisitus militum delectus, tot tantique commeatus? Objice te hosti vel nudum, & inermem, vinctique, etiam citra pugnam, si Deus prænovit; sin minus, vincere ab hostibus, etiam viribus superior. Iter adornas Romam? de equo, de pecunia noli esse sollicitior; multò antè itineris opportunitates, & incommoda prænovit Deus. Pergo, & rem penitus intro, quorsum tot in urbibus medici, qui ægrotantibus præsto sint; quorsum tam sedula agricolarum in colendis, novandis, repastinandisque agris, ac demetendis frugibus opera? quorsum tam assidua, & pertinax mercatorum in deportandis mercibus opera? Exulent ab urbibus medici, agricultura deseratur, fruges jam maturitatem assecutæ, nec metantur vllibi, nec recondantur in horrea; denique mercatura conquiescat, cesset navigatio. Minimè verò, inquis, vigeat potius medicorum, mercatorum, peræquè & agricolarum vigeat industria Quorsum por-



rò ? nempe vidit Deus ægrotantium sanitatem , anni fertilitatem , mercium copiam non defuturam , dummodo singuli allaborent , nã tu eòdem quò nos , revolveris. Vidit te Deus periturum , si te tua sponte in exitium dabis præcipitem ; vidit salutem constituendam , si eidem , dum oportunitas est , oppidò consulueris. At enim præscit Deus te damnandum , esto , an ideò team tui exitii Dei præscientiam audes contendere , non tuam potiùs voluntatem ? an turpis ipse es , deformisque vultus , quia te talem speculum exhibeat , aut quidquam antecedentibus causis constitutum , definitumque in fortuitis eventibus dixeris , quia Deus antè noverit ? Purum utique à sordibus vultus tui speculum , quas fidelissimè reddit ; purus , innocensque à scelere tuo Dei oculus , qui dum te ultro præcipitantem in scelus videt , revocat sustinetque impulsus : exhibet invitus illitas animo tuo sordes , quas vellet gratiã suã purgatrice deletas. Denique affert necessitatem peccandi consequentem divina præscientia , quia certissimum peccati indicium est , sed liberam sui que juris potestatem antecedentem relinquit , quia nullam vim libertati usquam consciscit. Quid plura ? sicut memoriã tuã , ut verbis Augustini iterum utar , non cogis facta esse , quæ præterierunt ; sic Deus præscientiã suã non cogit facienda , quæ futura sunt : nec ideò peccat homo , quia Deus illum peccaturum præscivit , sed ipsum peccaturum præscivit , quia reipsã peccabit. Ad hæc , nonne dæmon novit apprimè Deum præscium futurorum ? utique , novit cum ex vno æternitatis centro , quasi præsentia cernere omnia , cujus ante oculos nec præterita vlla sunt ,

nec præsentia transeunt, nec veniunt futura; simplicissimâ, & vniuersimodi notitiâ cuncta completum, vno æternitatis puncto omnem temporum immensitatem superare, & quodammodo absorbere non ignorat: an ideo ad scelus quemque hominum arcanis instinctibus sollicitare, ac vehementius impellere desinit? neutiquam, vrget, instat, nec vllum nobis otium facit infensissimus hostis, vt nos eodem secum exitio implicet, & ab æternâ, quâ ipse suâ culpâ excidit, felicitate excludat; vt ergo dæmon salutis nostræ perpetuò insidiari non desinit, licet de præscientia Dei certus sit: ita si sapias, si quid in te bonæ mentis, non desines cultu, & observantiâ divinæ legis salutis tuæ consulere, & eidem ad malum perpetuò instiganti constantissimè obniti.

A R T I C V L V S V L T I M V S.

*De proprietatibus enuntiationum inter se collatarum.*

**P**R O P O S I T I O N V M inter se collatarum à Logicis recensetur duplex affectio; altera consentanea, altera dissentanea; consentanea duplex, Æquipollentia, & Conversio: dissentanea vna duntaxat, nempe Oppositio. Rursus cùm propositio alia sit absoluta, seu de inesse: alia modalis, videndum nobis hîc 1. quomodo Oppositio, Æquipollentia, & Conversio enuntiationibus absolutis conveniant, tum quâ ratione in modalibus reperiantur.

§. I. *De oppositione enuntiationum  
absolutarum.*

I. **O** P P O S I T I O triplex, alia rerum, qualis est inter frigus, & calorem, de qua egimus disp. de postprædicamentis: alia terminorum, de qua etiam disputatum: alia denique propositionum, quæ dicitur complexa, & de qua hîc agendum, quærendûmque 1. quid sit, 2. quotuplex, 3. quæ illius regulæ.

1. Oppositio in propositionibus absolutis, definitur, duarum propositionum eodem subjecto, & prædicato constantium repugnantia secundum quantitatem, aut qualitatem, aut vtramque simul.

Debent itaque propositiones oppositæ constare eodem subjecto, & prædicato, quia eadem est vtriusque substantia; hinc propositiones istæ, *Petrus est calidus, Petrus est frigidus*, licet sensum habeant oppositum, non tamen inter oppositas recensentur, quia non habent idem attributum. 2. debent pugnare vel quantitate, id est, vniuersalitate, & particularitate: vel qualitate, id est, affirmatione, & negatione; vel certè vtraque simul, quæ est maxima oppositio. Ratio est, quia in propositione tria spectantur, substantia, quæ est habitudo terminorum, 2. syncategoremata, quæ est quantitas, 3. copulæ modus, quæ qualitas dicitur: ergo cum in propositionibus oppositis idem subjectum, & prædicatum maneat, quæ substantia est, si semel pugnent inter se, vtrique aut quantitate, aut qualitate, aut vtrâque simul pugnare necesse est.

III. Oppositio propositionum quatuor conditiones requirit. Prima sit : oppositio debet habere τὸ αὐτὸ idem subjectum, & prædicatum, & quidem sine ambiguitate intellecta. Defectu hujus conditionis, non censentur oppositæ, quæ habent subjecta, & prædicata re, & nomine diversa, ut *Socrates legit : Plato non legit : Plato legit : Plato non ambulat* : nec quæ ambigui significatus sunt, licet nomine eadem sint, ut *canis latrat : canis non latrat* ; si in prima propositione canis sumitur pro cane terrestri, & in secunda pro cælesti.

Secunda, oppositio sit κατὰ τὸ αὐτὸ, secundum eandem subjecti partem ; hinc non opponuntur, *Æthiops est albus : Æthiops non est albus*, quia dicitur albus secundum dentes, non albus secundum corpus.

Tertia, fiat πρὸς τὸ αὐτὸ, ad idem ; seu eodem respectu ad extrinseca : unde non opponuntur, *sol obscuratur : sol non obscuratur*, quia limitatur prædicatum per diversos respectus ; obscuratur enim respectu nostri, dum lumen ejus interjectu alterius corporis nobis intercipitur : nec tamen obscuratur respectu sui.

Quarta, fiat ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, καὶ τόπῳ, respectu ejusdem temporis, & loci ; hinc non opponuntur, *Petrus dormit : Petrus non dormit* ; quia dormit noctu, & non dormit diu : nec item oppositæ sunt, *Petrus est Roma : Petrus non est Roma*, quia divinitus potest esse Parisiis, cum Romæ est, & quatenus Parisiis est, non est Romæ.

IV. Quadruplex oppositio, contradictoria, contraria, subcontraria, & subalterna. Ratio partitionis est, quia inter duas propositiones eodem subjecto, & prædicato constantes pugna esse tantum

potest , vel penes quantitatem solam , vel penes unam qualitatem , vel penes utramque. Si penes unam qualitatem pugna sit , id tantum duobus modis fieri potest , primò si ambæ sint universales , secundò si ambæ particulares : unde nascitur oppositio duplex , contraria , & subcontraria ; si penes unam quantitatem , inde subalterna ; denique si penes quantitatem , simul & qualitatem , inde contradictoria oppositio. Porro hæc divisio est analogi in analogata , quia ratio oppositionis magis participatur à contradictoriis propositionibus , quàm à contrariis ; & à contrariis magis , quàm ab aliis , &c.

Dices : Contraria oppositio videtur major , quàm contradictoria , quia in prima prædicatum negatur de omni , de quo affirmatur ; in secunda , negatur de sola parte , licet affirmetur de toto.

Respondeo inde tantum inferri , pugnam inter contrarias propositiones esse majorem extensivè , non autem intensivè , quia in contradictoriis tam veritas , quàm falsitas pugnant ; in contrariis autem falsitas utriusque inesse potest.

v. Contradictoria oppositio est inter propositiones , quæ pugnant tam secundum quantitatem , quàm secundum qualitatem , seu quarum una negat id totum , quod altera affirmat , ut *omnis homo est justus : aliquis homo non est justus. Nullus homo est justus : aliquis homo est justus.* Quanquam contradictoria oppositio duplex ; magis principalis , & minus principalis.

v i. Magis principalis est pugna penes quantitatem , & qualitatem simul , qualis est inter universalem affirmantem , & particularem negantem : aut inter universalem negantem , & particularem affirmantem.

VII. Minus principalis est inter duas singulares propositiones, ut *Petrus est justus : Petrus non est justus*, quæ oppositio ad primam reducitur.

VIII. Contraria est inter duas propositiones uniuersales, quarum vna affirmat, quod altera negat, ideoque pugnant solâ qualitate, ut *omnis homo est justus : nullus homo est justus*.

IX. Subcontraria est inter propositiones, quarum vna particulariter affirmat, altera particulariter negat, ut *aliquis homo est justus : aliquis homo non est justus*. Aristoteles subcontrariarum oppositionem lib. de interp. è numero verarum oppositionum videtur expungere, quia κατὰ λέξιν, verbo tenus, non κατ' ἀλήθειαν, secundum veritatem videntur pugnare. Ratio est, quod eiusmodi oppositio non habeat τὸ αὐτὸ, idem subiectum, sed diversum; sunt enim diversi homines, de quibus dicitur; *aliquis homo est justus : aliquis homo non est justus*.

X. Subalterna oppositio est inter propositiones, quarum vna est uniuersalis, altera particularis, ambæ verò sunt affirmantes, vel negantes. Breuius est oppositio inter propositiones ejusdem qualitatis, sed diversæ quantitatis, ut *omnis homo est justus : aliquis homo est justus ; nullus homo est justus : aliquis homo non est justus*. Quæ uniuersalis est, dicitur subalternans; quæ particularis, subalternata.

Nonnulli docent subalternas non esse oppositas, quòd in veritate, & falsitate non pugnent; immò ex veritate vnus colligatur veritas alterius, & ex falsitate alterius falsitas hujus: vnde definiunt oppositionem propositionum, est pugna duarum propositionum eodem subiecto, & prædicato constantium secundum affirmationem, & negationem.

## §. II. Regula in oppositionibus servanda.

I. **P**RIMA, quæ ad contradictorias propositiones pertinet, hæc est. Contradictoriæ propositiones non possunt esse simul veræ, & simul falsæ; hoc est si vna pars contradictionis vera est, altera debet esse falsa: v. g. si concesseris hanc propositionem, *omnis homo est animal*, istam consequenter negabis, *aliquis homo non est animal*. Nititur hoc principio regula, idem non potest simul esse, & non esse: at si duæ contradictoriæ essent simul veræ, aut simul falsæ, idem simul esset, & non esset. Porro contradictoria oppositio est omnium maxima, caret medio, & cæterarum mensura, denique finis illius est cognitio veri, seu separatio veri à falso.

I r. Tres regulæ de contrariis propositionibus traduntur. Prima sit: contrariæ simul veræ esse non possunt in quacumque materia, sive necessaria, sive contingenti. Ratio est, quia sequeretur contradictorias simul esse veras; si enim hæc duæ, *omnis homo est justus: nullus homo est justus*, simul sint veræ, vera quoque erit ista, *aliquis homo non est justus*, quia ad vniuersalem negantem, *nullus homo est justus*, necessariò sequitur; at particularis pugnat contradictoriè cum ista, *omnis homo est justus*, vnde consequens est duas contradictorias esse simul veras.

Secunda, contrariæ propositiones in materia necessaria simul falsæ esse non possunt: vt *omnis homo est animal: nullus homo est animal*.

Tertia, in materia contingenti contrariæ simul falsæ esse possunt: v. g. si duo homines docti

sunt, falsæ erunt ambæ istæ propositiones, *omnis homo est doctus : nullus homo est doctus* ; nam Socrates potest esse doctus, licet Callias sit indoctus.

III. Quinta spectat subcontrarias : subcontrariæ in materia necessaria non possunt simul esse veræ : in contingente sunt simul veræ, & simul falsæ, ut *aliquis homo est justus : aliquis homo non est justus*.

IV. Sexta denique subalternarum est, in materia necessaria subalternæ simul veræ sunt, simul falsæ, ut *omnis homo est animal : aliquis homo est animal*. *Omnis homo est leo : aliquis homo est leo* ; in materia contingente subalternata potest esse vera, licet subalternans sit falsa, ut *aliquis homo est doctus : omnis homo est doctus*.

V. In Logica oppositionis rum contradictoriæ, rum contrariæ vsus frequentissimus ; subalternæ, & subcontrariæ infrequens.

VI. Ut autem singularum oppositionum nomina, & officia vno quasi aspectu dispicere queas, schema hîc appono, in quo propositiones superiores sunt contrariæ, inferiores subcontrariæ : quæ in angulis è diametro oppositis sibi respondent, contradictoriæ : quæ in angulis ejusdem lateris describuntur, subalternæ.



*Subalternans.*

Omnis homo  
est justus.

CONTRARIÆ

*Subalternans.*

Nullus homo  
est justus.

SVBALTERNÆ

CONTRA

DICTORIÆ

SVBALTERNÆ

CONTRA

DICTORIÆ

Aliquis homo  
est justus.

SVBCONTRARIÆ

Aliquis homo  
non est justus.

*Subalternata.*

*Subalternata.*

§. III. *De æquipollentia enuntiationum  
absolutarum.*

**H**ACTENVS de oppositione propositionum  
absolutarum ; jam quomodo inter se conci-  
liari possint , & fieri æqualis inter se valoris , bre-  
viter videndum.

I. Æquipollentia, Græcis *ισοδυναμία* est duarum enuntiationum eodem subjecto, & prædicato constantium æquivalentia, ex diversis signis proveniens. Clariùs, est duarum propositionum priùs oppositarum eadem vis, & potestas, ex unius, vel plurium negationum additione orta: v. g. si huic propositioni, *omnis homo est justus*, negationem addas, dicásque, *non omnis homo est justus*, æquivalere huic, *aliquis homo non est justus*, cui tamen, ante negationem præfixam, contradictoriè opponebatur. Quomodo autem propositiones fiant æquipollentes, docebit te versiculus sequens.

*Pra* Contradic, *post* Contra, *pra* *post*que subalter.

I I. *Pra contra*, En prima regula, cujus sensus est, contradictoriæ fiunt æquipollentes, si negatio unius subjecto præfigatur: v. g. *omnis homo est justus*: *aliquis homo non est justus*, contradictoriè pugnant; vis ut secunda primæ æquivaleat? præfige illi negationem, & dicito, *non aliquis homo non est justus*: vis è contra, ut prima æqualis sit cum secunda valoris? præmitte negationem primæ propositioni, & dicito, *non omnis homo est justus*, idem prorsus valebit, ac si dicas, *aliquis homo non est justus*.

I I I. *Post contra*, En secunda regula, quæ infervit contrariis propositionibus, & cui subest hic sensus; contrariæ fiunt æquipollentes, si unius subjecto postponatur negatio: sic hæc propositio, *omnis homo est justus*, huic æquivalere, *nullus homo est justus*, si homini, quod est subjectum propositionis, negationem postponas, dicásque *omnis homo non est justus*. Item si dicas, *nullus homo non est justus*, hujus propositionis eadem vis,

& potestas erat , quæ istius , *omnis homo est justus*.

iv. *Pra postque subalter.* Hujus tertiæ regulæ , quæ pro subalternis traditur , sensus est , subalternæ ad æquipollentiam revocantur per duas negationes , quarum vna præfigatur subjecto , altera postponatur : v. g. *omnis homo est justus : aliquis homo est justus* , sunt propositiones subalternæ , quarum prior dicitur subalternans , posterior subalternata : subalternans cum subalternante in amicitiam redibit , si eam sic efferas , *non omnis homo non est justus* , vicissimque subalternata cum subalternante conciliabitur , si dicas , *non aliquis homo non est justus*. Porro hîc advertunt Philosophi hanc reciprocationem habere quidem locum in subalternatis affirmativis , non in negativis ; quamvis enim subalternans negativa duplici negatione additâ subalternatæ negativæ æquivalcat , vt hæc , *nonnullus homo non est justus* , isti , *aliquis homo non est justus* ; non potest hæc subalternata , duplici negatione additâ , æquipollere suæ subalternanti , quia cum negationem habeat subjecto postpositam , duplex adhuc negatio foret illi adjungenda , altera ante subjectum , altera post subjectum ; & ita post subjectum , duæ negationes se immediatè sequerentur : v. g. *non aliquis homo non non est justus* , quod ridiculum est.

v. Non fit hîc mentio subcontrariarum , quia negatio non potest addi nisi ante subjectum , vel post subjectum , vel ante , & post subjectum ; primo modo , conciliat contradictorias , secundo contrarias , tertio subalternas : at nullus ex tribus istis modis potest subcontrarias conciliare ;

non primus, quia cum sint ambæ particulares, si semel alteri præponatur negatio, fiet vniversalis, vt patet in contradictoriis, adeoque alteri subcontrariæ non æquivalet: non secundus, quia si negatio addatur post subjectum propositionis affirmatiuæ, hac ratione, *aliquis homo non est iustus*, vtique ejsdem erit æquivalentiæ cum opposita; sin autem addatur post subjectum propositionis negatiuæ, cum duplici negatione debet efferri hoc modo, *aliquis homo non non est iustus*, quæ propositio Philosopho cavenda imprimis est. Non tertius denique, quia si negatio vna præfigatur, altera postponatur, vt in subalternis, fiet propositio vniversalis, vt patet, quæ non potest esse æqualis valoris cum particulari, vt constat.

VI. Circa æquipollentiam infinitarum duas regulas tradit Aristoteles. Prima est, propositio, cuius subjectum est infinitum, non potest æquipollere vlli propositioni, nisi habenti subjectum infinitum. Secunda, si enuntiatio affirmatiua, & negatiua eodem subjecto constant, quarum altera habeat prædicatum infinitum, altera finitum, sunt æquipollentes, vt *nullus homo est equus: omnis homo est non equus: Petrus non est pius: Petrus est non pius, sed*

Hic adverte totum prædicatum infinitari debere, aliàs ex hac propositione, *Petrus amat non Deum*, colligeres, *ergo non amat Deum*, quod tamen rectè non infertur; qui enim amat beatam Virginem, amat non Deum, & potest simul amare Deum. Vitium est, quòd hujus propositionis, *Petrus amat non Deum*, totum prædicatum, quod est amans Deum, non infinitetur.

VII. Adverte 2. particulam, *non*, esse malignantis naturæ, & terminos, aut propositiones, quibus præfigatur, mutare in oppositum sensum; si enim propositio affirmativa sit vniversalis, reddet negativam simul, & particularem. Quinetiam si particula, *non*, addatur negationi, mutat sensum, ~~nam, si negatiua æquivalent affirmatiua:~~ at duæ affirmatiuæ non æquivalent negatiuæ: ratio est, quòd affirmationes vim habeant constructivam, non destructivam.

VIII. Vt autem scias, quid valeant negationes terminis, aut propositionibus præfixæ, hos versus accipe.

*Non omnis, quidam; non omnis non, quasi nullus.*

*Nonnullus, quidam: sed nullus non, valet omnis.*

*Non aliquis, nullus; non quidam non, valet omnis.*

*Non alter, neuter: neuter non, præstat vterque.*

IX. Distinctiùs adhuc cognosces ex apposito schemate, quænam negationes singulas propositiones oppositas ad æquipollentiam reuocent.

|                              |                                           |
|------------------------------|-------------------------------------------|
| Negatio                      | Non omnis , id est ,<br>aliquis non.      |
| Prefixa signo                | Non nullus , id est ,<br>aliquis.         |
| Prae contradic               | Non aliquis , id est ,<br>nullus.         |
| Negatio                      | Omnis non , id est ,<br>nullus.           |
| Postposita signo             | Nullus non , id est ,<br>omnis.           |
| Post contra                  | Aliquis non , id est ,<br>non omnis.      |
| Negatio signo praefixa,<br>& | Non omnis non , id est ,<br>aliquis.      |
| Postposita                   | Non nullus non , id est ,<br>aliquis non. |
| Prae postque subalter        | Non aliquis non , id est ,<br>omnis.      |

x. Denique circa æquipollentiam sunt hæc pronuntiata , 1. qui ponit vnã æquipollentem , ponit & alteram : qui vnã remouet , alteram quoque remouet ; hinc refutatâ vnâ æquipollentium , aut probatâ , refellitur , aut probatur altera. 2. enuntiatio signi omnis distribuentis in genera singulorum , æquivalet particulari : v. g. omne animal fuit in arca Noë , huic æquivalet , quædam animalia fuerunt in arca Noë. 3. enuntiatio signi omnis collectivi indefinitæ æquipollet , vt *omnia elementa sunt quatuor* , huic æquivalet : *elementa sunt quatuor : non veniet in conspectum omnis hypocrita* , huic æquipollet : *nullus hypocrita veniet*

*in conspectum ejus.* 4. affirmatio privationis, & negatio habitus in subjecto apto, sunt ejusdem potestatis, ut *non est justus : ergo est injustus*, secus si subjectum sit ineptum ad formam : quare non valet, *hic lapis non videt : ergo est cæcus*.

§. IV. De conversione enuntiationum absolutarum.

DE conversione tria hinc quærenda. Primum, quid sit. Secundum, quotuplex. Tertium, quis illius finis.

I. Conversio, Græcis ἀντιστροφή, definitur mutatio extremorum enuntiationis, servatâ eâdem qualitate, quantitate interdum mutatâ. Clariùs describitur, mutatio extremorum propositionis, itaut quod erat prædicatum in vna propositione, fiat subjectum in altera, & vicissim quod erat subjectum, fiat prædicatum, servatâ semper qualitate propositionis, quantitate interdum mutatâ, ut *nullus homo est lapis : ergo nullus lapis est homo : omnis homo est animal : ergo aliquod animal est homo*.

II. Ex hac definitione sex inferuntur. Primum, in qualibet conversione duplex propositio requiritur ; vna, quæ destruat, dicaturque conversa : altera, quæ per conversionem fiat, & dicatur convertens : sic in primo exemplo mox allato, *nullus homo est lapis*, est propositio conversa, quæ per conversionem destruitur : convertens autem, quæ ex primæ ruina exurgit, est, *nullus lapis est homo*.

III. Secundum, iidem debent esse termini, quia debet servari eadem materia ; at termini sunt

materia propositionis : ergo debent semper esse iidem termini.

IV. Tertium , ita termini manent in conversione , vt quod erat subiectum vnius propositionis , fiat prædicatum alterius , & prædicatum fiat illius subiectum.

V. Quartum , termini debent quoque eodem sensu sumi in conversa , & convertente , aliàs vitiosa foret conversio : v. g. *aliquis gladius est in vagina* , non debet hoc modo converti : ergo *vagina est in gladio* ; sed potius , ergo *aliquod existens in vagina est gladius*. Ratio est , quia sensus propositionis conversæ est , *aliquis gladius est existens in vagina* : ergo vt extrema illius eodem sensu accipiantur , conversio sic instituenda est : *aliquod existens in vagina est gladius* ; hinc

Triplex canon circa conversionem. Primus , casus obliqui inter convertendum debent fieri recti.

Secundus , totum subiectum convertendæ fiat prædicatum convertentis , non ex parte mutilum : quare non valet , *quidam cernit cacum* : ergo *cacus cernit cacum* , sed potius : ergo *quidam cernens cernit cacum*.

Tertius , tempus præteritum aut futurum per præsens interdum rectificari debet , vt sit legitima conversio : v. g. *omnis senex fuit puer* , non sic convertitur : ergo *quidam puer fuit senex* , sed hoc modo : ergo *quidam , qui fuit puer , est senex*.

VI. Quintum , manere debet semper qualitas tum essentialis , tum accidentalis ; hoc est affirmans vera in affirmativam , eamque veram , mutari debet , & negans vera in negantem veram , quia eadem est semper connexio terminorum , in qua affirmatio , & negatio , veritas , & falsitas proposi-



tionis consistit ; hinc si quæ sit ambiguitas in conversa aut convertenda , non est legitima conversio : vnde non convertuntur , *Christus* , & *vitis* in hac propositione , *Christus est vitis* , quia non sumitur in proprio sensu.

VII. Sextum , manet aliquando quantitas , aliquando non manet , quia vniversalitas , & particularitas aliquando manent in propositione , aliquando mutantur ; hinc

VIII. Duplex conversio apud Aristotelem ; prima dicitur simplex : secunda per accidens , tertiam addunt Philosophi , quam vocant conversionem per contrapositionem.

IX. Conversio simplex , est mutatio terminorum , manente quantitate , & qualitate eadem ; hoc modo convertuntur vniversales tum negantes , vt *nullus homo est lapis : nullus lapis est homo* : tum particulares affirmantes , vt *aliquis homo est doctus : aliquod doctum est homo* : tum vniversales affirmantes saltem secundariò , si necessariæ , & reciproæ , vt *omne rationale est risibile : omne risibile est rationale*. Dicitur simplex , quia convertens immediatè infertur ex conversa , absque alia intermedia.

X. Conversio per accidens est mutatio extremorum propositionis , servatâ eâdem qualitate , sed quantitate mutatâ , nempe vniversali in particularem , hoc modo convertuntur vniversales affirmantes , quarum prædicatum latius est subjecto , vt *omnis homo est animal . ergo aliquod animal est homo*. Item vniversales negativæ , vt *nullus homo est lapis : ergo quidam lapis non est homo*. Dicitur conversio per accidens , quia convertens ex conversa non immediatè , sed mediante alterâ propo-

sitione , infertur ; ex hac enim propositione con-  
 versa , *omnis homo est animal* , non hæc immédia-  
 tè sequitur , *quoddam animal est homo* , sed hæc ,  
*quidam homo est animal* , sed quoniam simplici  
 conversione ad hanc , *quidam homo est animal* ,  
 sequitur hæc altera , *quoddam animal est homo* .  
 ideò per concomitantiam , sequitur & ad istam ,  
*omnis homo est animal* .

XI. Conversio per contrapositionem est muta-  
 tio terminorum , itaut vterque præfixâ sibi nega-  
 tione de finito fiat infinitus , quare in hac con-  
 versione manet semper quantitas , & qualitas ea-  
 dem : hoc modo convertitur tum vniversalis affir-  
 mans , vt *omnis homo est animal* : ergo *omne non  
 animal est non homo* : tum particularis negans , vt  
*quidam equus non est leo* : ergo *quidam non leo  
 non est non equus* : sed hæc conversionis species  
 nullius ferè in Philosophia vsus , immo ne quidem  
 vera est conversio , vt multis placet , quia non ma-  
 nent iidem termini .

XII. Regulas conversionum dabunt hi versus ,  
 F E C I simpliciter convertitur . E u A per accid.

A S t O per contra , sic fit conversio tota .

XIII. In vtroque versu tres voces notandæ  
 sunt F E C I , E u A , A S t O , quia continent qua-  
 tuor vocales A , E , I , O . A notat propositionem  
 vniversalem affirmantem , E vniversalem negan-  
 tem , I particularem affirmantem , O particula-  
 rem negantem juxta hos versus

*Afferit A , negat E , verùm generaliter ambo .*

*Afferit I , negat O , verùm specialiter ambo .*

XIV. F E C I simpliciter convertitur , id est , E  
 vniversalis negans , & I particularis affirmans con-  
 vertuntur simpliciter , vt *nullus homo est leo* : ergo

*nullus leo est homo : aliquis homo est albus : ergo aliquod album est homo,*

xv. E u A per accid, id est, E vniversalis negans, & A vniversalis affirmans per accidens convertuntur, vt *nullus lapis est leo : ergo quidam lapis non est leo. Omnis homo est animal : ergo aliquod animal est homo.*

xvi. A St O per contra, id est, A, seu vniversalis affirmans, & O, seu particularis negans convertuntur per contrapositionem, vt *omnis homo est animal : ergo omne non animal est non homo.*

xvii. Veritas regularum nititur hoc principio, quod omnis conversio legitima nunquam debeat mutare veritatem propositionum convertentis, & conversæ.

xviii. Finis conversionum duplex; primus, vt veritas quæ in conversa latebat, in convertente eluceat: secundus, syllogismi imperfecti in perfectum mutatio.

## A P P E N D I X

*De oppositione, equipollentia, & conversione enuntiationum modalium.*

**M**ISIS ambagibus, quibus Tyronum mentes solent implicari potius, quàm doceri, certos duntaxat canones circa oppositionem, æquipollentiam, & conversionem modalium breviter præscribo.

I. Oppositio fit vel circa modos diversarum appellationum, vel circa modos ejusdem nominis.

II. Circa primam oppositionis speciem vnicus sit canon, vt quantitas propositionum simplicium per signa, *omnis, nullus, quidam, quidam non*: ita

quantitas modalium per modos diversis illis signis æquivalentes, *necesse*, *impossibile*, *possibile*, *possibile non* seu *contingens*, exprimitur juxta hos versus:

*Omnis necesse valet, impossibile nullus,*

*Possibile quidam, quidam non possibile non.*

II I. Ex hoc canone duo inferuntur. Primum, *necesse* signo *omnis*; *impossibile* signo *nullus*: *possibile*, seu *contingens* signo particulari affirmativo *quidam*; denique *possibile non*, seu *contingens non* æquivalet signo particulari negativo, *quidam non*.

Secundum, ut *omnis*, & *nullus* contrariè pugnant, ita *necesse*, & *impossibile*: ut *omnis*, & *quidam non*; *nullus*, & *quidam* contradictoriè opponuntur: ita *necesse*, & *possibile non*. Item *impossibile*, & *possibile*: ut *omnis*, & *quidam*, *nullus*, & *quidam non* subalternè opponuntur, ita *necesse*, & *possibile*; *impossibile*, & *possibile non*: denique ut opponuntur subcontrariè *quidam*, & *quidam non*, ita *possibile*, & *possibile non*. Patebit clariùs oppositio modalium ex appposito schemate.

Necesse est  
hominem esse  
animal.

CONTRARIÆ

Impossibile  
est hominem  
esse animal.

SVBALTERNÆ

CONTRA

DICTORIÆ

SVBALTERNÆ

CONTRA

DICTORIÆ

Possibile est  
hominem  
esse animal.

SVBCONTRARIÆ

Possibile est  
hominem non  
esse animal.

IV. Circa secundam speciem oppositionis , hoc est , quæ versatur circa modos ejusdem nominis , sunt quatuor canones.

Primus sit : contradictoriæ habentur , quarum vna alterum habet modum affirmativum , altera negativum , vt *necesse est Petrum currere : non necesse est Petrum currere ; necesse est Petrum non currere : non necesse est Petrum non currere*. Certè ex Philosopho lib. de Interpret. c. i. *Possibile , non possibile ; necesse , non necesse ; impossibile , non impossibile ; contingens , non contingens* contradictoriè pugnant.

Secundus , propositiones habentur contrariæ , quarum idem modus vniversalis , & dicta opposita , vt *necesse est Petrum currere , necesse est Petrum non currere.*

Tertius , subcontrariarum idem modus particularis , & dicta contradictoria , vt *possibile est Petrum currere , possibile est Petrum non currere.*

Quartus , subalternarum oppositio est penes modum , & dictum , vt *possibile est Petrum currere , non possibile est Petrum non currere : necesse est Petrum non currere , non necesse est Petrum currere.* Hæc quidem de oppositione modalium.

v. Circa æquipollentiam modalium primariarum, quatuor sunt canones. Primus , propositionum de necessario , & impossibili eadem vis est ac potestas , quoties habent modum ejusdem qualitatis , & dictum diversæ qualitatis , vt *necesse est hominem esse animal rationale : impossibile est hominem non esse animal rationale.*

Secundus , propositionum de necessario , & contingenti idem est valor , cùm qualitas dicti , & modi est diversa ; vt *necesse est Petrum currere : non contingens est Petrum non currere. Non necesse est Petrum currere : contingens est Petrum currere.*

Tertius , propositionum de impossibili , & possibili vis eadem , cùm dicti eadem est qualitas , modi autem diversa , vt *quod possibile est esse , non impossibile est esse : quod non possibile est esse , impossibile est esse.*

Quartus , propositiones de possibili , & contingenti æquipollent , si eodem modo varientur , vt *quod possibile est esse , contingens est esse : quod possibile est non esse , contingens est non esse.*

VI. Circa exclusivam duplex sit canon.

Primus, exclusiva in materia necessaria æquivaleret vniversali, vt *solus homo est animal rationale*: ergo *omnis homo est animal rationale*.

Secundus, exclusiva addita subiecto limitato, æquipollet particulari, vt *tantum homines electi saluantur*, habet hanc æquivalentem, *quidam homines saluantur*.

VII. Circa conversionem modalium sunt sex canones.

Primus, in conversione modalium extrema dicti ita commutantur, vt maneat semper, & qualitas dicti, & modus idem.

Secundus, perinde propositiones modales de necessario convertuntur, ac propositiones simplices, seu de *inesse*; hinc vniversalis negans, & particularis affirmans modalis simpliciter convertuntur, vt *necesse est nullum hominem esse equum*: ergo *necesse est nullum equum esse hominem*. *Necesse est aliquod animal esse album*: ergo *necesse est aliquod album esse animal*; at vniversalis affirmans convertitur per accidens, vt *necesse est hominem esse animal*: ergo *necesse est aliquod animal esse hominem*.

Tertius, particularis negans non convertitur: v. g. si dicas, *necesse est quoddam animal non esse hominem*; vitiosè vtique inferes: ergo *necesse est quemdam hominem non esse animal*.

Quartus, talis est conversio propositionum de possibili, qualis est propositionum de necessario, vt *possibile est nullum hominem esse album*: ergo *possibile est nullum album esse hominem*. *Possibile est aliquod animal esse album*: ergo *possibile est aliquod album esse animal*.

Quintus, quoties contingens propriè sumitur pro eo quod potest esse, & non esse, propositio affirmans de contingenti convertitur, vt propositio affirmans de necessario: vnde vniversalis affirmativa de contingenti convertitur per accidens, vt *contingens est omnem hominem esse album*: ergo *contingens est aliquod album esse hominem*; particularis verò affirmativa simpliciter convertitur, vt *contingens est aliquem hominem esse album*: ergo *contingens est aliquod album esse hominem*. Ad propositiones negantes quod attinet, vniversalis negans non convertitur simpliciter; non enim est legitima conuersio: *contingens est nullum hominem esse album*: ergo *contingens est nullum album esse hominem*. Ratio est, quia multa sunt alba, vt nix, & cygnus, quæ necessariò non sunt homo; particularis verò negans simpliciter convertitur; valet enim, *contingens est aliquem hominem non esse album*: ergo *contingens est aliquod album non esse hominem*; quia aliquod album, quod non est homo, est ita contingenter album, vt ex se possit esse, vel non esse album.

Plura si voles de affectionibus modalium, consule Fonsecam, Instit. Dialect. lib. 3. à cap. II. & Conimbr. c. 3. de conuersione modalium, qui copiosius quidem mysteria modalium, sed fortè non vtilius persequuntur.







# PARS SEXTA LOGICÆ,

DE TERTIA

MENTIS OPERATIONE.

**H**Æc pars totius Logicæ cum dignitate, tum utilitate prima, scopus aliarum, & finis, quæ rationis perfectio potissimum continetur. Hæc enim errorem à veritate secernit, quæ sit ratio consequentiæ, quàm variæ argumentandi formæ, quæ veræ & legitimæ, quæ vitiosæ demum, & errori affines, ostendit: luxuriam argumentorum, quæ plus nimio funduntur, depascit ipsa, dum figurâ modoque illigat, ut quid ipsis falsitatis aut veritatis insit, quò brevius eò clarius aperiat. Ad hæc duplex primæ, & secundæ operationis finis cum sit; alter absolutus, alter ad tertiam respectivus; parant enim illi ambæ materiam; remotiorem illa, hæc propinquam, ex quibus argumentatio, ut ex elementis corpus mixtum, componitur, in hanc partem debuit Logica nostra

desinere. Vt autem ordinem hujus partis habeas, sit

I. Logicæ totius finis est cognitio veritatis ; nemo enim argumentatur , vt erret , aut opinetur , sed vt verè sciat. Scientia vt perfecta sit , veritatem consequentiæ , & veritatem consequentis requirit : veritatem consequentiæ parit recta argumentandi forma : veritatem consequentis materia sufficit : recta argumentandi forma traditur regulis. Materia triplex , perfecta , seu necessaria , imperfecta , seu contingens , quæ ita apparet vera , vt possit esse falsa , denique falsa , seu fallax ; hinc Aristoteles in Analytica priori agit de recta argumentandi forma , seu de syllogismo abstracto. In aliis tribus de syllogismo concreto , seu de triplici materia ; in Analytica quidem posteriori de materia perfecta syllogismi demonstrativi ; in Topicis de materia probabili ; in duobus Elenchorum libris de materia fallaci.

II. Alii ordinem hujus partis sic explicant : sua sunt tria operationis , perinde & aliarum vitia , sui , & domestici morbi , nempe error , & falsitas , fallacia , & pertinacia , denique dubitatio , & quædam argumentandi difficultas. Error , & falsitas ex illegitima argumentandi forma nascitur ; fallacia ex illegitima argumenti materia ; pertinacia , quâ mens tenaciùs plerumque conclusioni probabili , quàm demonstratiuæ adhæret , sive ex imperio voluntatis , sive ex imbecillitate mentis , & ignorantia ortum habeat ; vnde fit vt probabilia pro certis , falsa pro veris accipiat : dubitatio circa conclusionis assensum duplex ; negativa , quæ suspendit assensum , sive id oriatur ex ignorantia bonitatis illationis , sive ex rationum contrariarum

multitudine, quibus ab assensu revocamur, sive ex voluntatis imperio, quæ mentem ab assensu detrahit: positiva, quæ mens conclusioni quidem assentitur, sed minus firmè, & quasi titubanter; quod accidit sæpè, vel ex addubitatione circa bonitatem consequentiæ, vel ex addubitatione de certitudine præmissarum, ex voluntatis imperio rariùs. Denique difficultas argumentandi ex argumentorum penuria, quæ actionem non vitiat, sed impedit, fluit ac manat.

III. Singulis ejusmodi morbis medetur hæc pars Logicæ ultima: errori quidem, & falsitati formæ, Analytica prior, dum rectam argumentandi formam tradit; dubitationem circa bonitatem consequentiæ levat. Posterior Analytica materiam syllogismi demonstrativi sufficit, & scientiæ conditiones demonstrat, & ita dubitationem circa præmissarum necessitatem, & pertinaciam tollit. Topica copiam argumentorum suppeditat, & sagacitatem inveniendi juvat; denique Sophistica argumentorum fallacias detegit. Quòd si confusio in tertia operatione oboriatur, cum plurimæ conclusiones absque ordine congeruntur, præsto est methodus, quæ ratiocinationes componat inter se, & ordinet, ut aliæ ex aliis aptæ sunt, & connectæ, & de qua in quarta parte fusè disseruimus.

IV. Nos hunc ordinem tenebimus, ut Analyticam priorem duabus disputationibus complectamur. Prima erit de recta argumentandi forma, quæ ordine naturæ cæteris partibus præire debet. Secunda, quæstiones subtiliores circa naturam argumentationis, præmissas, & conclusionem, ut ex præmissis illatam enucleabit. Analyticam posteriorem duplici disputatione explicabimus. Pri-


ma erit de syllogismo demonstrativo, secunda de scientia, quæ est illius effectus. Topicam unicâ disputatione absolvemus, quæ erit de syllogismo probabili, & opinione, quæ est illius partus. Denique totum opus concludet disputatio vnica de sophisticò syllogismo, & quâ arte fallaciæ præca- veri possint, edocebit.

## DISPUTATIO PRIMA,

AD LIBROS

### PRIORVM ANALYTICORVM.

*De reâta argumentandi forma, seu  
de discursu.*

I.  I duo libri, & qui proximè duo sequuntur, dicuntur Aristoteli resolutorii, Græcè ἀναλυτικά, ita tamen, vt duo primi de ratiocinatione, duo posteriores de demonstratione 1. poster. cap. 3. Aristoteles vocet: interpretes verò duos priores ἀναλυτικῶν προτέρων, priorum Analyticorum, duos posteriores ἀναλυτικῶν ὑσέρων, posteriorum Analyticorum inscribant.

II. Analysis est alicujus totius in suas partes, seu principia, dissolutio, quæ varia est pro varia ratione totius; totum autem, aliud metaphysicum, aliud physicum, logicum aliud; hinc triplex resolutio. Prima est totius metaphysici in genus, & differentiam, quæ Metaphysica dicitur. Secunda,

totius physici in materiam , & formam , quæ Physica appellatur. Tertia totius logici in sua principia , seu conclusionum in præmissas , & Logica nuncupatur. Primam sibi vindicat Metaphysica ; secundam , Physica : tertiam , Logica.

III. Et quoniam omnis syllogismus constat materiâ , & formâ ; hinc duplex illius analysis , seu resolutio. Prima , in conclusionis principia formalia , nempe in terminos , & propositiones formales , quæ sunt principia consequentiæ , quatenus in figura , & modò ritè dispositæ necessitatem concludendi habent , & dicitur resolutio consequentiæ. Secunda , conclusionis in principia materialia , seu præmissas objectivè sumptas , & dicitur resolutio consequentis. Ratio partitionis est , quia duplex veritas conclusionis legitimæ , altera materiæ , altera formæ.

IV. Resolutionis consequentiæ finis est , ostendere bonitatem consequentiæ , quatenus infertur ex præmissis in figura , & modo aptè collocatis : finis verò resolutionis consequentis , cohærentiam conclusionis cum terminis , & propositionum secundùm materiam probare ; vnde demum iudicium de germanitate conclusionis tum ratione formæ , tum ratione materiæ formatur , ex quo firmitas assensûs conclusioni dati tanquam foetus existit. Norma , ad quam exigitur resolutio consequentiæ , sunt regulæ Logicæ ; norma ad quam dirigitur resolutio consequentis , necessitas materiæ.

V. Agit Aristoteles de utraque quatuor libris , de prima quidem in duobus primis de priori resolutione , in quibus docet rectam argumentandi formam , & artem imperfecti syllogismi ad perfe-

Etum revocandi , & in duobus aliis de posteriori , vbi tradit materiam propriam demonstracionis , & rationem conclusionis ad principia materialia revocandæ.

Porro prius agit de resolutione consequentiæ Aristoteles , quàm consequentis , quia prius constare debet de bonitate consequentiæ , quàm de bonitate consequentis. Item quamvis de compositione syllogismi non minùs agat Philosophus , quàm de resolutione , tamen à resolutione nomen libris suis indidit , quia in resolutione partes , ex quibus syllogismus , & demonstratio coalescunt , patefcunt magis , quàm in compositione , in qua confusæ latent ; deinde qui novit resolvere , novit & idem componere , vt observat Eustratius , non vicissim ; resolvere enim scientis est , non autem componere semper ; manuaris domum componit , artifex vnus resolvit ; quia ille novit , quòd sit ita faciendum ; hic , cur ita faciendum. At

Quæres , quodnam sit subjectum attributionis librorum priorum analyticorum ? Respondent Conimbricenses juxta institutum Aristotelis , esse ratiocinationem , seu syllogismum simplicem secundùm formam spectatum , tum quia lib. i. c. 4. se de ratiocinatione acturum profiteretur , tum quia de syllogismo hypothetico , qui ex conjunctis conficitur , in hoc opere non tractat ; nos tamen hanc disputationem in tres articulos distribuimus , primus erit de argumentatione , & syllogismo simplici. Secundus de syllogismo composito. Tertius de imperfectis speciebus argumentationis.

## ARTICVLVS I.

*De argumentatione, seu illatione.*

**F**INIS hujus partis potissimus est syllogismi simplicis naturam aperire, & formam præscribere. Natura syllogismi cognosci perfectè non potest, nisi cognito illius genere; genus syllogismi est argumentatio: quare prius de argumentatione hîc breviter differendum.

§. I. *Quid sit argumentatio, seu illatio.*

I. **A**RGUMENTATIO est oratio, quâ ex argumento explicato pars altera quæstionis concluditur. Vbi per argumentum Aristoteles medium intelligit. Breviùs vt est in mente, definitur, vnius propositionis per alteram jam notam probatio; vt est in voce, oratio, in qua ex antecedente infertur consequens, vt *virtus est amanda: ergo iustitia est amanda*; hinc

II. In omni argumentatione gemina ad minimum propositio requiritur; altera, quæ vim inferendi habet, & dicitur antecedens: altera, quæ ex prima infertur, & dicitur consequens: v. g. ex hac antecedente propositione, *homo est rationalis*, infertur altera, quæ dicitur consequens: ergo *Petrus est rationalis*. Gemina item veritas, altera nota, quæ in antecedente explicitè continetur: altera ignota, quæ in consequente innotescit, & explicatur.

III. Argumentatio, seu illatio duplex. Prima est, quæ caret argumento, id est, cujus in ante-

cedente nullus est terminus categorematicus, qui non etiam sit in consequente, & imperfecta dicitur, cujus tres modi sunt. Primus, in quo convertens ex sua conversa inferitur, vt *omnis homo est animal*: ergo *quoddam animal est homo*. Secundus, quo subalterna ex sua subalternante, vt *omnis homo est rationalis*: ergo *aliquis homo est rationalis*. Tertius, quo æquipollens ex æquipollente, vt *non omnis homo est Philosophus*: ergo *aliquis homo non est Philosophus*. Secunda, cujus in antecedente argumentum, seu medium ponitur ad conclusionem deducendam, in qua non reperitur, seu cujus in antecedente, & consequente sunt tres termini, quorum vnus duos alios inter se coniungat, & dicitur perfecta argumentatio, vt *equus est sentiens*: ergo *equus est animal*. *Equus*, *sentiens*, & *animal*, sunt tres termini quæstionis; hinc

Cognitio antecedentis, & cognitio consequentis ad argumentationem requiruntur; vt enim motus est inter duos terminos, ita argumentatio, quæ est motus quidam mentis ad cognitionem consequentis per consequentiæ cognitionem tendentis, à nota veritate ad ignotam progreditur; antecedens quippe est causa consequentis.

IV. Tres illi termini sunt instar materiæ in argumentatione: ergo debent disponi inter se, & complicari; disponuntur autem per formam argumentationis, quæ est apta quædam, & idonea trium terminorum connexio ad inferendam conclusionem; hinc

V. Duplex bonitas illationis, seu consequentiæ; altera ratione materiæ: altera ratione formæ; cum bona est illatio ratione materiæ, dicitur conse-



quentia materialis : cùm bona est rat ione formæ, dicitur consequentia formalis.

v i. Consequentia materialis est, in qua, licèt vitiosa sit terminorum dispositio, tamen verum inferitur propter materiæ necessitatem, ideòque dicitur concludere ratione materiæ, vt

*Virtus est habitus :*

*Ergo virtus est laudabilis.*

Virtus enim laudabilis est, sed habitus non est causa cur laudabilis sit, quia dantur habitus vitiosi : vnde consequens hujus argumenti verum est, sed consequentia falsa.

v i i. Formalis verò consequentia est necessitas concludendi consequens propter aptam terminorum dispositionem, seu recta connexio omnium partium argumentationis, in qua nullum præceptum dialecticæ violatur : vnde dicitur argumentatio concludere ratione formæ, cùm ex apta terminorum connexione necessitas concludendi consequens oritur, quia antecedens fuit concessum, licèt vtrumque sit aliquando falsum : v. g. si concedis hominem esse lapidem, debes quoque concedere eundem esse inanimatum, si argumentatio sic informetur :

*Omnis homo est lapis :*

*Ergo omnis homo est inanimatus.*

Hæc argumentatio concludit ratione formæ ; licèt non concludat ratione materiæ ; falsum enim est hominem esse lapidem : vnde consequens vitiosum est, sed legitima consequentia.

v i i i. Porrò bonitatem formæ per se primò spectat Logica. Vt enim vis oculis infita est à natura, quâ lux à tenebris discernitur, & colorum species distinguuntur ; ita Logica est regula judi-

cii de bona consequentia aut mala ; ideóque Aristoteles lib. I. Top. c. 8. monet duo in omni disputatione attendenda , I. inventionem argumenti, quo velis aliquid conficere : concinnam deinde ejusdem cum extremis dispositionem.

I X. Argumentationis multiplex species , syllogismus , enthymema , inductio , exemplum , & dilemma ; syllogismus , utpote nobilissima species argumentationis , primum ordine locum sibi vindicat.

§. II. *Quid sit syllogismus in genere , & quotuplex.*

I. SYLLOGISMVS definitur ab Aristotele lib.

SI. prior. cap. I. λόγος , ἐν ᾧ πρῶτον πινῶν ἔτερον π' τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι : oratio , in qua , quibusdam positis , aliud quiddam diversum ab iis necesse est sequi propter ea , qua posita sunt. Dicitur oratio non simplex , sed composita , quia partes habet , nempe propositiones , quæ separatim significant ut affirmatio , aut negatio. Quibusdam positis , id est , duabus præmissis , quæ sunt major , & minor , concessis , necesse est aliquid diversum sequi , id est , conclusionem concedi , propter ea quæ posita sunt , id est , quia duæ præmissæ concessæ sunt.

II. Clariùs syllogismus est oratio , in qua , duabus præmissis concessis , necesse est concedere conclusionem , quia duæ præmissæ concessæ fuerunt.

III. In syllogismo spectatur constitutio , & divisio. Constitutio duo includit , materiam , eamque duplicem , alteram ex qua , alteram circa quam

quam , & formam ; vt enim composito physico sua inest materia , & forma : ita & composito artificiali , cuiusmodi est syllogismus. Divisio , quæ ex materia , & forma oritur , species syllogismi varias aperit.

I V. Ratione materiæ , ex qua , dividitur in simplicem , & conjunctum. Simplex constat propositionibus simplicibus , vt *homo est animal : Petrus est homo : ergo Petrus est animal.* Conjunctus ex conjunctis , vel omnibus , vel aliquibus conflatur , ideòque simplex syllogismus se habet ad conjunctum , vt elementum ad mixtum , vt *si sol lucet , dies est : sol lucet , ergo dies est.* Rursus simplex , alius categoricus , qui constat propositionibus absolutis : alius modalis , qui modalibus.

V. Ratione materiæ , circa quam , seu objecti significati , dividitur in demonstrativum , topicum , & sophisticum , de quibus suis locis.

V I. In forma duo sunt , figura , & modus ; hinc ratione formæ dividitur in perfectum , & imperfectum. Perfectus est , qui non indiget alio syllogismo , vt necessariò , & clarè concludat , seu qui continet actu explicito dictum de omni , aut dictum de nullo , cuiusmodi sunt quatuor modi directi primæ figuræ. Imperfectus , qui vt manifestè concludat , reduci debet ad perfectum , adeòque dictum de omni , aut de nullo implicitè tantùm , & potentiâ continet.

V I I. Ratione modi , alius affirmativus , alius negativus , alius vniversalis , particularis alius , quia conclusio alia affirmans , alia negans , alia vniversalis , alia particularis.

S. III. *De materia simplicis syllogismi.*

J. **M**A T E R I A syllogismi est id, ex quo componitur syllogismus, vel tanquam subiecto, & prædicato, vel tanquam propositionibus; hinc duplex materia syllogismi, simplex, & complexa.

I I. Simplex, quæ remota dicitur, sunt termini, cum aliqua habitudine ad se invicem: complexa, quæ proxima appellatur, propositiones ex terminis compositæ, quia materia proxima est id, ex quo quodlibet compositum immediatè coalescit, & in quod immediatè resolvitur: remota, ex qua mediatè componitur, & in quam mediatè resolvitur: syllogismus immediatè componitur ex propositionibus, mediatè ex terminis, sicut in propositiones immediatè, in terminos verò mediatè resolvitur: ergo materia remota syllogismi sunt termini, proxima propositiones. Et verò sicut ex lapidibus, calce, & ligno remotè domus coalescit, proximè verò ex parietibus, fundamento, & tecto: ita syllogismus ex tribus terminis remotè, proximè verò ex tribus propositionibus conficitur.

I I I. Tres termini in syllogismo requiruntur, non plures, aut pauciores; quia in omni syllogismo unum de alio quæritur beneficio tertii, cum quo uterque terminus extremus connexionem habeat: ergo tres requiruntur termini in syllogismo; primus, de quo aliquid quæritur, diciturque subiectum problematis, & minus extremum ab Aristotele, quia minus latè patet prædicato, aut certè tantùm æquè, sed nunquam latius. Se-

cundus, qui de alio quæritur, & vocatur prædicatum problematis, & majus extremum, quod latius patet minori extremo, aut æquè latè. Tertius, quo vnum de altero quæritur, nempe prædicatum problematis de subjecto ejusdem, & dicitur medius terminus, quia est quasi arbiter, & sequester inter minus extremum, & majus extremum. Certè pauciores, quàm tres termini, esse non debent, quia nulla foret extremorum connexio, quæ se ipsis neci non possunt: nec plures, quia quartus dispositionem inverteret; medium enim, quæ medium, duo respicit, cum quibus disponi tantum possit. Porrò hæc circa terminos, & propositiones syllogismi diligentius observabis.

I V. Primum: Termini problematis vocantur extrema, Aristoteli *ἄκρα*, quia extra medium ponuntur vel ratione loci, vel ratione connexionis, & absolutè *ἄποι*. Definiuntur, de quibus medium dicitur. Qui autem terminus ad probandum problema, & extrema inter se connectenda assumitur, medium, quia utrique extremo attribuitur, seu extrema inter se connectit. Item argumentum, quia arguit, hoc est, probat majorem inesse minori, vel non inesse; hinc medius terminus est veluti anima totius syllogismi. Ut enim animâ divulsâ, corpus non ampliùs vivit: ita distracto medio à syllogismo, nulla ampliùs connexio majoris, & minoris termini; normæ item non abfimilis, quâ artifex duarum columnarum æqualitatem inter se, & inæqualitatem explorat: si enim norma ambabus congruit, utique æquales sunt; sin minùs, inæquales. Duo sunt illius munerâ, 1. est vinculum extremorum, 2. causa conclusio-

v. Secundum, Extremorum aliud dicitur majus extremum : aliud minus extremum. Illud prædicatur in conclusione naturali ; hoc subjicitur : v. g. quæris , an *Petrus sit visibilis* , & assumis pro medio termino *rationalis* : in propositione *Petrus* , & *visibilis* sunt extrema problematis ; itaut τὸ *visibile* sit majus extremum , τὸ *Petrus* minus extremum , τὸ *rationalis* medius terminus , ex quibus sic informabis syllogismum.

*Omne rationale est visibile :*

*Petrus est rationalis :*

*Ergo Petrus est visibilis.*

v i. Tertium , Majus extremum ponitur in majori propositione , & in conclusione : minus extremum in minori , & in conclusione. Medium in majori propositione cum majori extremo , & in minore , in qua jungitur cum minori extremo ; unde patet quemlibet terminum in syllogismo bis repeti ; majus extremum , & minus extrema semel in præmissis , & semel in conclusione ; medium bis in præmissis , nunquam in conclusione , quam proinde non ingreditur , quia non est id quod concluditur , nec de quo aliud concluditur , sed id , quo extrema concluduntur , sicut norma non est id , quod mensuratur , sed quo mensuramus. Rectè itaque definitur medius terminus ; qui bis usurpatur in præmissis , nec ingreditur conclusionem ; vel argumentum , quod ad probandam quæstionem extrinsecus , id est , extra conclusionem , assumitur.

v i i. Quartum , propositio alia est inferens , alia illata. Interens dicitur Græcis strictè πρότασις à προτείνειν , protendendo , quia instar scuti conclusioni obtenditur ; Latinis præmissa , éstque vel ma-

jor , in qua majus extremum disponitur cum medio , vel minor , in qua minus extremum cum medio disponitur , ideòque subsumptio , & assumptio appellatur. Illata , vt ex præmissis inferitur , & ex dispositione earum colligitur , *συμπέρασμα* , *conclusio* à *πέραις* , *finis* , tum quia est quasi summa ex computatione collecta , tum quia est terminus , in quo agitatio mentis à certis quibusdam anticipatis , & præcognitis ad ignotiora discurrendo , tandem sistit , & quiescit. Complexionem Cicero vocat. Differt à præmissis , vt evoluta atque explicita cogitatio ab involuta , & implicita , parsque syllogismi est , vt est tota illationis compages ; effectus verò ejusdem , vt est dispositio medii cum extremis.

V I I I. Quintum , tres tantum sunt propositiones in syllogismo perfecto , quia ex tribus terminis triplex duntaxat connexio ad inferendam vnam veritatem ex alia opportuna fieri potest. De principiis materialibus syllogismi tantum , jam de formalibus.

#### §. I V. De forma syllogismi.

I. **F** O R M A syllogismi habet principia formalia vel remota , quæ sunt figuræ , vel propinqua , quæ sunt modi ; hinc definitur , medii termini cum extremis apta collocatio in figura , & modo , inferens necessitatem concludendi.

I I. Figura , vt à modo distinguitur , est apta medii termini cum extremis ad inferendum quidpiam dispositio , ratione prædicari , & subjecti. Tunc enim syllogismus in forma legitima censetur esse , cum termini , & propositiones ita apte

illigantur inter se , vt vim concludendi necessariam habeant ; hinc

I I I. Figura triplex est , quia totuplex est figura, quotuplex est collocatio mediæ termini cum extremis , ratione prædicati , & subjecti ad concludendum opportuna ; triplex tantum est mediæ termini cum extremis collocatio , ratione prædicati , & subjecti ad concludendum opportuna : ergo triplex est tantum figura. Probatum minor hoc versu :

*Sub , præ prima : secunda bis præ : tertia bis sub.*

I V. *Sub , præ , prima.* Sensus est , prima figura est , in qua mediæ terminus subicitur majori extremo , & prædicatur de minori extremo , vt

*Omne animal est substantia :*

*Omnis homo est animal :*

*Ergo omnis homo est substantia.*

V. Hic vides medium terminum , *τὸ animal*, subici majori extremo , quod est *substantia* , & prædicari de minori extremo , quod est *homo*.

VI. *Secunda , bis præ.* Sensus est , secunda figura ea est , in qua mediæ terminus de utroque extremo prædicatur , vt

*Omne animal est corpus :*

*Nullus angelus est corpus :*

*Ergo nullus angelus est animal.*

V I I. In hoc syllogismo *corpus* , quod est mediæ terminus , prædicatur in majori de *animali*, quod est majus extremum , & in minori de *angelo* , qui est minus extremum.

V I I I. *Tertia , bis sub.* Id est , tertia figura mediæ terminum subicit utriusque extremo : v. g. sit mediæ terminus , *animal* , majus extremum , *corpus* , minus , *rationale* ; sic syllogismum in tertia figura informabis.



*Omne animal est corpus :*

*Aliquod animal est rationale :*

*Ergo aliquod rationale est corpus.*

IX. Galenus quartam figuram excogitavit, in qua medius terminus fit prædicatum in majori, & subiectum in minori, vt

*Omnis homo est animal :*

*Omne animal est vivens :*

*Ergo aliquod vivens est homo.*

Aut

*Omnis homo est animal :*

*Omne animal sentit :*

*Ergo quoddam, quod sentit, est homo.*

X. Sed hæc figura à prima non differt nisi per accidens, & suo vitio, hoc est transpositione præmissarum, & conclusionis conversione, vt patet in utroque syllogismo; nam primus erit in prima figura, si secunda propositio ponatur loco primæ, & quæ prima est, secundum locum sibi vindicet, & conclusio convertatur, vt

*Omne animal est vivens :*

*Omnis homo est animal :*

*Ergo omnis homo est vivens.*

Item secundus syllogismus in prima figura rectissimus fiet, positâ majore loco minoris, & conclusione conversâ, vt

*Omne animal sentit :*

*Omnis homo est animal :*

*Ergo omnis homo sentit.*

Ad hæc figura Galeni præter naturam est, quippe quæ problemata innaturalia concludat; vnde nemo ea naturaliter vtitur inter ratiocinandum, nisi voce tenus, sed naturâ duce concludimus, illum terminum inesse alteri, quem judicavimus

in antecedente, medio inesse.

Objicies 1. Modi *Cesare*, & *Camestres* differunt essentialiter solâ transpositione præmissarum : ergo figura Galeni vna transpositione præmissarum differt essentialiter à prima, 2. datur modus quidam negativus in figura Galeni, qui non potest revocari ad vnum è modis directis primæ figuræ : v. g.

*Omne rationale est risibile :*

*Nullum risibile est leo :*

*Ergo aliquis leo non est rationalis.*

Resp. ad 1. modos *Cesare*, & *Camestres*, probabilius differre tantum accidentaliter, quia in illis combinatio secundum quantitatem, & qualitatem accidentariò tantum diversa, secus autem se res habet in modis *Barbara*, & *Celarent*, in quibus combinatio penes quantitatem, & qualitatem essentialiter differt.

Resp. ad 2. syllogismum ad *Celarent* reduci posse ; nam ex Aristotele lib. 2. priorum c. 1. syllogismus vnus, & idem virtute, continet plures conclusiones : v. g. *Celarent*, dum continet vniversalem negantem, continet quoque particularem negativam, quæ sub vniversali est pars in toto.

### §. V. De forma proxima, seu de modis figurarum.

1. **M**ODVS syllogisticus est apta mediis termini cum extremis secundum quantitatem, & qualitatem constitutio, in ordine ad inferendam conclusionem certæ quantitatis aut qualitatis, nempe vniversalem aut particularem, affirmativam aut negativam ; hinc discrepat figura à modo,

quòd figura vnam tantùm mediū cum duobus extremis connexionem spectet, modus autem quantitatem, id est, vniuersalitatē, & particularitatem, & qualitatem, id est, affirmationem, & negationem, ideòque tota figura est in præmissis, nec ad conclusionem pertinet, nisi quatenus ex complicatione mediū cum extremis conclusio legitimè sequitur.

I I. Modi alii vtilēs, alii inutiles; vtilēs sunt, qui habent talem terminorum complicationem, vt in iis vi formæ falsa conclusio ex veris præmissis sequi non possit. Inutiles, in quibus vi formæ ex præmissis veris falsum sequi potest. Inutiles non recensuit Aristoteles, quia nulli sunt vsui, vtilēs quatuordecim duntaxat admisit. Quinque indirectos primæ figuræ scholastici addiderunt: quare

I I I. Novemdecim omnino sunt modi vtilēs; quia tot sunt modi vtilēs syllogismorum in singulis figuris, quot modis disponi possunt propositiones secundùm quantitatem, & qualitatem: novemdecim modis disponi possunt propositiones secundùm quantitatem, & qualitatem in ordine ad inferendam conclusionem: ergo novemdecim omninò sunt modi vtilēs.

I V. Novemdecim modos vtilēs totidem vocabulis expressere scholastici, quorum novem prima vocabula novem modos primæ figuræ repræsentant: quatuor prima vocabula tertii versus continent modos secundæ: sex reliqua sex modos tertiæ. versiculos accipe

*Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipson,  
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,  
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,*

*Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

v. Porro circa modorum vtilium affectiones hæc diligentius observabis.

v i. Primum. Modi alii directi, alii indirecti. Directi sunt, in quibus servatur ordo naturalis terminorum, & propositionum, seu vt alii definiunt, in quibus majus extremum de minori extremo concluditur. Indirecti, in quibus non servatur ordo naturalis terminorum, & propositionum, seu vt aliis placet, in quibus minus extremum concluditur de majori extremo. Quatuor sunt modi directi primæ figuræ, quinque indirecti.

v i i. Secundum. Alii item principales: alii minus principales. Magis principales sunt, cum propositiones sunt generales vel indefinitæ, vel particulares: minus principales, cum præmissæ sunt singulares, cujusmodi in qualibet figura informari possunt, maximè autem in tertia, in qua medium subjicitur; at singularibus subjici naturale est. Nititur vis syllogismorum singularium principio, quæ sunt eadem vni tercio, sunt eadem inter se.

v i i i. Tertium. In singulis vocabulis tres tantum primas syllabas spectant Logici, quarum prima majorem, secunda minorem, tertia conclusionem designat; quæ autem syllabæ adduntur, metri tantum gratiâ adjiciuntur.

i x. Quartum. Vocales quatuor A, E, I, O, significant quantitatem, & qualitatem propositionum. A significat propositionem vniuersalem affirmantem. E, propositionem vniuersalem negantem. I, particularem affirmantem. O, particularem negantem juxta versum jam citatum.

x. Quintum. Omnes modi illarum figurarum non sunt æqualis perfectionis, quia non æquè clarè, & perfectè concludunt. Directi perfectiores indirectis, vniversales particularibus, affirmativi negativis.

xi. Sextum. Modus mutari potest 1. cùm diversa est quantitas, 2. cùm diversa qualitas, 3. cùm vtraque figura diversa, 5. transpositione præmissarum, 6. conversione conclusionis.

xii. Exempla modorum cujuslibet figuræ nonnulla subijcio, ad quorum similitudinem in singulis modis formare poteris.

*Typi modorum utilium primæ figuræ.*

i. Primus modus primæ figuræ est, *Barbara*, duabus constans præmissis vniversaliter affirmantibus, & conclusione item vniversaliter affirmante, vt indicat vocalis, A, ter repetita: v. g.

B A R    *Omne vitium est fugiendum:*

B A        *Omnis superbia est vitium:*

B A        *Ergo omnis superbia est fugienda.*

ii. Secundus est, *Celarent*, in quo ex maiore propositione vniversaliter negante, & minore vniversaliter affirmante inferitur conclusio vniversalis negans, vt

C E        *Nulla virtus est vitium:*

L A        *Omnis iustitia est virtus:*

R E N T    *Ergo nulla iustitia est vitium.*

iii. Tertius, *Darii*, in quo ex maiore vniversaliter affirmante, & minore particulari affirmante conclusio particularis affirmans colligitur, vt

D A        *Omnis homo est rationalis.*

R I        *Petrus est homo:*

I         *Ergo Petrus est rationalis.*

I V. Quartus, *Ferio*, qui ex majore vniversali negante, & minore particulari affirmante conclusionem particularem negantem infert.

F E *Nullus spiritus est corpus:*

R I *Aliqua substantia est spiritus:*

O *Ergo aliqua substantia non est corpus.*

v. Haectenus de quatuor modis directis primæ figuræ; jam de indirectis, quorum tres primi à tribus prioribus directis vnâ conversione conclusionum differunt, vt

B A *Omne vitium est fugiendum:*

R A *Omnis superbia est vitium:*

LIP. *Ergo aliquod fugiendum est superbia.*

C E *Nulla virtus est vitium:*

LAN *Omnis justitia est virtus:*

TES *Ergo nullum vitium est justitia.*

D A *Omne bonum est expetendum:*

B I *Quadam virtus est bona:*

TIS *Ergo quoddam expetendum est virtus.*

v I. Reliqui modi à directis dissentiunt etiam vnâ præmissâ; *Fapesmo* enim ex majore vniversali affirmante, & minore vniversali negante colligit indirectè particularem negantem, vt

F A *Omne animal est substantia:*

PES *Nullus lapis est animal:*

MO *Ergo aliqua substantia non est lapis.*

v I I. *Friseso*, ex majore particulari affirmante, & minore vniversim negante colligit indirectè conclusionem particularem negantem, vt

FRI *Quidam homo est animal:*

SE *Nullus lapis est homo:*

SOM. *Ergo quoddam animal non est lapis.*

*Typi modorum utilium secunda figura.*

I. Primus, *Cesare*, ex majore vniversim negante, & minore generatim affirmante, conclusionem vniversim negantem infert, vt

- CE Nullus lapis est animal:  
 SA Omnis homo est animal:  
 RE Ergo nullus homo est lapis.

II. Secundus, *Camestres*, constat majore vniversaliter affirmante; minore, & conclusione vniversaliter negantibus, vt

- CA Omnis prudentia est virtus:  
 MES Nulla calliditas est virtus:  
 TRES Ergo nulla calliditas est prudentia.

III. Tertius, *Festino*, habet majorem vniversalem negantem, minorem particularem affirmantem, & conclusionem particularem negantem, vt

- FES Nullus lapis est animal:  
 TI Aliquis homo est animal:  
 NO Ergo aliquis homo non est lapis.

IV. Quartus, *Baroco*, habet majorem vniversalem affirmantem, minorem, & conclusionem particulariter negantes, vt

- BA Omnis vir prudens prospicit futura:  
 RO Quidam dives non prospicit futura:  
 CO Ergo quidam dives non est prudens.

*Typi modorum utilium tertia figura.*

I. Primus, *Darapti*, est in quo vtraque præmissa vniversaliter, conclusio verò particulariter affirmat, vt

- DA Omnis liberalitas est virtus:  
 RA Omnis liberalitas est accidens:

PTI *Ergo aliquod accidens est virtus.*

I I. Secundus, *Felapton*, ex majore vniuersali negativa, & minore vniuersali affirmante conclusionem particulariter negantem deducit, vt

FE *Nullus lapis est sentiens:*

LAP *Omnis lapis est corpus:*

TON *Ergo aliquod corpus non est sentiens!*

I I I. Tertius, *Disamis*, est, in quo ex majore particulari, & minore vniuersali affirmantibus inferitur conclusio particularis affirmans, vt

DI *Aliquod animal est homo:*

SA *Omne animal est substantia:*

MIS *Ergo aliqua substantia est homo.*

I V. Quartus, *Datisi*, constat majore vniuersaliter affirmante, minore, & conclusione particulariter affirmantibus, vt

DA *Omnis avarus est miser:*

TI *Quidam avarus est dives:*

SI *Ergo quidam dives est miser.*

V. Quintus, *Bocardo*, ex majore particulari negativa, minore vniuersali affirmativa, & conclusione particulari negante conrexitur, vt

BO *Aliquis homo non est lapis:*

CAR *Omnis homo est animal:*

DO *Ergo aliquod animal non est lapis.*

V I. Sextus, *Forison*, denique ex majore vniuersali negante, & minore particulari affirmante conclusionem particulariter negantem elicit, vt

FE *Nullus sapiens est miser:*

RI *Quidam sapiens est pauper:*

SON *Ergo quidam pauper non est miser.*



§. VI. *Principia formæ syllogismorum  
regulativa, & affectiones.*

I. **B**ONITAS formæ cujusque syllogismi suis principiiis innititur, ad quæ sic tanquam ad normam ita exigitur, ut si ipsis consentiat, legitima sit; sin verò dissentiat, planè nulla; hinc diversa syllogismi forma, pro diversa ratione principiorum, quibus regitur dispositio syllogismi, siue simplicis, siue compositi, siue categorici, siue expositorii.

I I. Duo sunt syllogismorum simplicium, & categoricorum principia, *dictum de omni*, & *dictum de nullo*; illud affirmativum, quod servit syllogismis affirmantibus: hoc negativum, quod negativis: utrumque ita naturæ lumine notum, ut mens humana negare non possit.

I I I. - Primi quidem principii sensus est: *prædicatum*, quod dicitur de subjecto universaliter sumpto, dicitur de singulis sub eo contentis: v. g. si de omni homine dicitur, quod sit *animal*, id ipsum quoque dici debet de singulis sub eo contentis; hinc si necesse est hominem esse *animal*, necesse quoque est Petrum esse *animal*: aliter si omnis homo esset *animal*, & Petrus non esset *animal*; cum Petrus sit aliquis homo, duæ contradictoriæ essent simul veræ, nempe *omnis homo est animal*: *aliquis homo non est animal*.

I V. Secundi verò principii sensus genuinus iste quoque est: *Prædicatum*, quod negatur de aliquo subjecto universaliter sumpto, negatur de singulis sub eo contentis: v. g. si negas lapidem de *animali*, negare quoque debes de *homine*, *leone*, & reliquis speciebus animalis.

v. Syllogismi categorici duobus istis principiis innituntur, alii quidem directè, alii autem indirectè duntaxat; hinc opus reductione, ut postea ostendam.

v i. Ad dictum de omni, revocatur aliud principium proportionis, de quo Aristoteles 7. Topic. c. i. *quæ sunt eadem uni tertio universaliter, & adæquatè sumpto, sunt eadem inter se*: v. g. si homo, & substantia sunt idem cum vivente universaliter, & adæquatè sumpto, rectè infertur hominem idem esse cum substantia, ut

*Omne vivens est substantia:*

*Omnis homo est vivens:*

*Ergo omnis homo est substantia.*

v i i. Dixi adæquatè sumpto, quia in divinis tres personæ sunt idem cum natura divina, nec tamen sunt idem inter se, quia non sunt idem singulæ cum natura divina adæquatè sumpta secundùm id omne quod continet. Vnde vitiosus est iste syllogismus:

*Essentia divina est pater:*

*Essentia divina est filius:*

*Ergo filius est pater.*

v i i i. Vitium est, quòd medius terminus, nempe *essentia divina*, sit quidem tertium singulare, sed non incommunicabile; communis enim est tribus personis, ideòque sumitur inadæquatè in majori, ut est idem cum *patre*, seu ut est essentia generans, & inadæquatè in minori, ut est idem cum *filio*, seu ut est essentia genita.

v i x. Hoc porrò principium sic explicatum idem est cum dicto de omni, nititurque hoc principio, quia in majori significatur unum extremum esse idem cum medio; in minori verò aliud extremum

*idem esse cum eodem medio, necesse est ut in conclusione rectè inferatur illa duo extrema esse idem inter se, eo quòd idem sint cum medio.*

x. Ad dictum de nullo, revocatur aliud principium pro negativis syllogismis: *quæ sunt eadem inter se, si alterum eorum non est idem uni tertio; nec quod reliquum est, erit quoque idem cum illo tertio*: v. g. quia homo est idem cum animali, & animal non est idem cum lapide, rectè inferitur hominem non esse idem cum lapide.

x i. Paritatem habes in norma, quæ ab architecto duabus columnis applicetur, in qua si videat duas columnas congruere, æqualitatem utriusque inter se concludit; sin verò vni columnæ convenire normam deprehenderit, alteri non item, utriusque inæqualitatem inter se colligit.

x i i. Ex conformatione syllogismorum artificialium cum his duobus principiis nascitur partitio eorumdem in perfectos, & imperfectos.

x i i i. Perfectus syllogismus est, qui non eger reductione ad alium, ut manifestam concludendæ necessitatem habeat, seu qui continet actum dictum de omni aut de nullo; tunc autem continet actum dictum de omni, & de nullo, cum syllogismo naturali, id est, quem naturâ duce informamus, expressè similis est.

x i v. Imperfectus, qui ad alium reduci debet, ut manifestè, & necessariò concludat, seu qui dictum de omni aut de nullo potentiâ tantum continet, adeoque implicite duntaxat syllogismo naturali similis est.

x v. Proprietates syllogismorum aliæ generales sunt: aliæ speciales. Generales omnibus figuris conveniunt, speciales certæ tantum figuræ, sin-

gulæ ex regulis tum communibus singulis figuris, tum cujusque propriis faciliè innotescunt.

§. VII. *Regulæ, & affectiones communes omnibus figuris.*

I. **C**OMMUNES sex numerantur regulæ à Lo-  
gicis, quarum prima sit. In vno syllogismo  
sint tantum tres termini sive explicitè, sive impli-  
citè; medium enim refertur tantum ad duo, ideò-  
que cum duobus disponi tantum potest; hinc ter-  
minus æquivocus reddit syllogismum vitiosum, vt

*Omnis canis latrat:*

*Cæleste sidus est canis:*

*Ergo cæleste sidus latrat.*

II. Secunda, medius terminus debet distribui in  
præmissis, id est in majore, & minore vniversali-  
ter sumi. Porro distributio fit duobus modis, 1.  
per appositionem signi vniversalis, putà *omnis*,  
*nullus*, cum subjectum propositionis distribuitur,  
vt *omnis homo est animal: nullus homo est lapis;*  
2. per appositionem negationis, cum prædicatum  
distribuitur, vt *aliquod animal non est equus.* Sic  
enim equus distribuitur, vt sensus sit, aliquod  
animal neque esse hunc equum, nec istum, nec  
vllum alium. Ratio regulæ est, quia ex vero seque-  
retur falsum, vt

*Aliquod animal est leo:*

*Equus est animal:*

*Ergo equus est leo.*

III. Tertia, ex puris particularibus nihil vi  
formæ concluditur. Ratio est, quia medius termi-  
nus in aliqua saltem præmissa debet sumi distribu-  
tivè pro omnibus suis significatis; at non potest

sumi distributivè , nisi aliqua propositio sit universalis ; hinc non valet :

*Aliqua substantia est homo :*

*Aliquis equus est substantia :*

*Ergo aliquis equus est homo.*

IV. Quarta , ex puris negativis nihil sequitur vi formæ ; nam per præmissas negativas declaratur tantùm neutrum extremorum conclusionis habere connexionem cum medio termino , ex quo non sequitur nullam esse extremorum inter se connexionem , quia aliunde habere possunt , quod tamen ex duabus negativis concludendum foret , si quid effici posset. Deinde medius terminus ad minimum vni extremo attribui debet ; at in puris negativis nulli extremorum attribuitur ; hinc non valet ,

*Nullus homo est irrationalis :*

*Nullus equus est homo :*

*Ergo nullus equus est irrationalis.*

V. Quinta , nihil sit in consequente , quod non fuerit in antecedente , id est , extrema , quæ cum medio fuerunt in præmissis disposita , nudè etiam in conclusione ponantur ; ideo enim termini junguntur in conclusione , quia juncti sunt in antecedente cum medio : ergo qui terminus non fuerit junctus cum medio in antecedente , non potest jungi in conclusione , quam medium nunquam ingreditur. Quare non valet ,

*Omne depositum est reddendum :*

*Arma sunt depositum :*

*Ergo arma sunt reddenda furioso.*

VI. Hinc termini non debent aliud significare in consequente , quàm in antecedente : vnde vitio laborat iste syllogismus :

*Omnis volucris habet alas :*

*Gallus est volucris :*

*Ergo gallus ( nempe Francus ) habet alas.*

V I I. Termini non debent sumi vniversalius in consequente, quàm in antecedente, aliàs aliquid esset in consequente, quod non esset in antecedente; vnde nullus est hic syllogismus :

*Omne animal est sensus capax :*

*Omne animal est substantia :*

*Ergo omnis substantia est sensus capax.*

V I I I. Sexta, conclusio debiliorem partem sequitur. Ratio canonis est, quia præmissæ sunt causæ conclusionis, quatenus cum medio termino connectuntur: ergo non possunt arctius connecti extrema in conclusione, quàm in antecedente cum medio conjuncta fuere; causa enim non agit supra virtutem suam: quare cum medius terminus ab altero extremorum removeretur, etiã duo illa extrema ab se invicem removentur, & cum alteri extremorum convenit particulariter, etiã extrema inter se particulariter conveniunt; ideo non valet:

*Quidam fideles salvantur :*

*Omnis fidelis est vocatus :*

*Ergo omnis vocatus salvatur.*

De aliis syllogismi affectionibus agetur fusiùs disputatione sequenti.

### §. VIII. Regula, & affectiones cuiusque figura propria.

I. **P**R I M A figura duas habet regulas hoc versu expressas :

*Sit minor affirmans, nec major particularis.*

11. Hinc ex minore negante nihil concluditur, quia proceditur à majori extremo non distributo ad idem in conclusione distributum, vt

*Omnis equus est substantia:*

*Nullus homo est equus:*

*Ergo nullus homo est substantia.*

111. Item ex majori propositione particulari, vel singulari nihil vi formæ sequitur, quia medium non distribuitur; itaque non valet:

*Aliquod animal est equus:*

*Omnis leo est animal:*

*Ergo omnis leo est equus.*

1v. Hæ regulæ valent potissimum pro modis directis, quia *Fapesmo*, qui est modus indirectus, constat minori propositione negativa, & *Friseso*, qui est quoque indirectus, majorem habet particularem, & minorem negantem.

v. Proprietates hujus figuræ sunt. Prima, omnium figurarum est perfectissima 1. ratione universalitatis; nullum quippe problema est, quod non possit per hanc figuram demonstrari; omne enim problema vel universaliter affirmat, vel universaliter negat, vel particulariter affirmat, vel particulariter negat. Si primum, concluditur in *Barbara*; si secundum, in *Celarent*; si tertium, in *Darii*; si quartum, in *Ferio*. 2. ratione evidentis, quam habet in concludendo, necessitatis; ideas enim syllogismorum naturalium quam proximè imitatur, continetque dictum de omni actu explicito in syllogismis affirmativis, & dictum de nullo in negativis. 3. ratione situs medii termini, qui positione medius est; est enim prædicato conclusionis inferius, quia subjicitur ei in majore, & subjecto ejusdem conclusionis superius, cui in

minore attribuitur ; hinc dicitur ab Aristotele *1. post.* ad scientiam gignendam omnium figurarum aptissima , solentque eam Mathematici vsurpare , quia procedunt à primis principiis , & maximè communibus.

VI. Secunda , quatuor modos directos habet A A. A I. E A. E O , id est , *Barbara* , *Darii* , *Celarent* , *Ferio* : reliquos quinque indirectos , qui à directis vnâ conversione conclusionis , aut præmissarum differunt.

VII. Tertia , procedit à genere ad speciem , seu ab vniversalibus ad particularia ; hinc major debet esse vniversalis , & minor affirmans , quia in subiecto maioris debet includi species , tanquam speciale in generali ; negativa autem propositio non includit , sed excludit , & remouet. Quarta , ad docendum aptissima.

VIII. Secunda figura duas quoque habet regulas hoc versu contentas :

*Premissa vna negat , nec maior particularis.*

IX. Hinc ex duabus affirmativis nihil sequitur vi formæ , quia cùm ambæ præmissæ sint affirmativæ , medium non distribuitur , eò quòd in vtraque præmissa sit prædicatum : quare non valet

*Omnis homo est animal :*

*Omnis equus est animal :*

*Ergo omnis equus est homo.*

X. Item ex maiore particulari nihil colligitur , quia à maiori extremo non distributo ad idem in conclusione distributum proceditur.

*Aliquod animal est homo :*

*Nullus equus est homo :*

*Ergo aliquis equus non est animal.*

XI. Hæc figura habet tantùm quatuor modos



EA, AE, EI, AO, nempe *Cesare*, *Camestres*, *Festino*, *Baroco*.

XII. Concludit tantùm problema negativum, univèrsale quidem in *Cesare*, & *Camestres*, particulare verò in *Festino*, & *Baroco*. Ratio est, quia in ea est antithesis duarum specierum, quas distrahit, nominato genere alterius, vèl proprietate, unde per contrapositionem sequitur negativa.

XIII. Hinc ad refutandum maximè valet secunda figura, quia duas res diversas disjungit, quòd in vno tertio non conveniant.

XIV. Potest tamen concludi in hac figura affirmans conclusio ratione materix ex duabus præmissis affirmantibus, cùm major constat terminis convertentibus; tunc enim id quod prædicatur, potest subjici, & sic fieri syllogismus in prima figura:

*Omne rationale est homo:*

*Omne risibile est homo:*

*Ergo omne risibile est rationale.*

*Omnis homo est rationalis:*

*Omne risibile est homo:*

*Ergo omne risibile est rationale.*

XV. Continet dictum de omni, & dictum de nullo potestate, non actu, ideòque per conversionem syllogismus 2. figuræ mutandus est in syllogismum primæ, vt perfectus sit.

XVI. Hinc secunda figura imperfectior primâ, 1. quia concludit tantùm problema negativum, 2. quia non habet evidentem consequentiam.

XVII. Tertia figura duas quoque habet regulas hoc versu illigatas.

*Sit minor affirmans, conclusio particularis.*

XVIII. Hinc ex minore negante nihil sequitur,

quia à prædicato majoris propositionis non distributo ad ipsum in conclusione distributum fit progressus, vt

*Omnis homo est substantia:*

*Nullus homo est lapis:*

*Ergo aliquis lapis non est substantia.*

XXIX. Conclusio item semper particularis, licet præmissa vtraque fuerit vniversalis, quia aliàs ex vero sequeretur falsum, & à minori extremo non distributo ad distributum progressio fieret, seu vt alii volunt, quia in tertia figura proceditur à specie ad genus; at conclusio à specie ad genus est particularis, quia positâ specie, necesse est poni quidem genus, sed particulariter duntaxat; hinc non valet:

*Omne animal est sensus capax:*

*Omne animal est substantia:*

*Ergo omnis substantia est sensus capax.*

XXX. In 3. figura processus fit ab angustiore ad latius: v. g. à specie ad genus; hinc processus primæ figuræ est κατὰ σύνθεσιν, tertiæ verò κατ' ἀνάλυσιν.

XXXI. Sex tantùm modi in hac figura concludunt, AA, AI, EA, EI, IA, OA, nempe *Darapti*, *Datifi*, *Felapton*, *Ferison*, *Disamis*, & *Bocardo*; nam AE, AO, IE violant primam regulam, quæ minorem affirmantem esse præcipit.

XXXII. Tertia figura omnium imperfectissima, tum quia particulare tantùm problema concludit, ideòque ad scientiam minùs valet: tum quia continet dictum de omni potestate, non actu; bis enim subijcit medium terminum, quem semel prædicat syllogismus naturalis.

XXXIII. Hæc cautio à nonnullis præscribitur.

Quoties

Quoties prædicatum minoris multis vocibus constat, integrum in conclusione loco subjecti poni debet, non ex parte mutilum: quare non rectè inferitur:

*Totus homo ridet:*

*Totus homo constat etiam ex manibus:*

*Ergo manus rident;*

sed ita inferri debuit:

*Ergo id quod constat ex manibus, ridet.*

### §. IX. Principia syllogismorum perfectiva.

I. **P**RINCIPIA syllogismorum perfectiva voco, quibus imperfectus in perfectum mutatur, ut quæ necessitas concludendi in syllogismo imperfecto latebat, in perfecto evidens fiat.

¶ I. Duplex est ejusmodi principium, reductio, & expositio. Reductio est syllogismi imperfecti in perfectum, hoc est, in syllogismum primæ figuræ transformatio: ut enim perfectum est mensura imperfecti aliis in rebus; ita in doctrina syllogistica syllogismus primæ figuræ est mensura syllogismorum 2. & 3. figuræ, ad quem proinde commensurari per reductionem debent.

¶ I I. Reductio iterum duplex, altera ostensiva, seu indirecta: altera ad impossibile, quæ indirecta dicitur.

¶ I V. Reductio ostensiva est mutatio syllogismi imperfecti in perfectum, factâ solâ conversione, vel conversione simul, & transpositione præmissarum; itaut eadem conclusio inferatur ad ostendam concludendi necessitatem.

¶ V. Finis itaque reductionis ostensivæ est evidentia consequentiæ, quæ antea latebat; modus, quo

fit, conversio, & transpositio præmissarum; principia, quibus vis illius nititur, duo. Primum, per legitimam conversionem non mutatur veritas propositionis. Secundum, non sequitur falsum ex vero, quandiu forma est legitima.

V I. *Baroco*, & *Bocardo*, reduci ostensivè non possunt, cæteri modi imperfecti possunt. Probatur prima pars: reductio ostensiva fit tantùm per conversionem sive simplicem, sive per accidens, aut per transpositionem propositionum: *Baroco*, & *Bocardo*, neutro ex his modo converti possunt; nulla enim conversio in illis fieri potest, quia vocalis O, quæ in utroque reperitur, non potest converti in E, quod tamen fieri deberet, ut major universalis in prima figura haberetur. Aliunde vocalis A, per accidens tantùm converti potest, ex quo fieret, ut quæ propositio ex conversione resultaret, particularis foret: ergo totus syllogismus ex puris particularibus constaret, fieretque *Biroco*, & *Bocirido*: at ex puris particularibus nihil in prima figura sequitur. Iam quòd nulla transpositio propositionum idonea excogitari possit, patet; nam *Baroco* v. g. habet minorem negantem, transpositione autem factâ, habet majorem negantem particularem, & minorem affirmantem universalem: at in prima figura ex majori particulari negante vi formæ nihil efficitur. Pars secunda probatur factâ triplici observatione.

V I I. Prima sit, syllogismi imperfecti ad perfectum reduci debent, cum quo habent communem primam consonantem; hinc omnes modi, qui inîtialem litteram B habent, reducuntur ad *Barbara*; qui C, ad *Celarent*; qui D, ad *Darii*; qui F, ad *Ferio*: itaque *Baralipton*, ad *Barbara* reduci-

tur, *Celantes*, *Cesare*, *Camestres* ad *Celarent*, & ita de reliquis.

VIII. Secunda obser. quatuor litteræ in duobus sequentibus versibus attendendæ, quæ quatuor regulas conficiendæ in singulis modis reductioni oppidò idoneas continent.

*S* vult simpliciter verti, *P* verò per accid.

*M* vult transponi, *C* per impossibile duci.

IX. *S* vult simpliciter verti, id est, propositio syllogismi imperfecti designata per vocalem, quam sequitur *S*, convertenda est simpliciter: v. g. sit argumentum in *Celantes*,

CE Nullum animal est lapis:

LAN Omnis homo est animal:

TES Ergo nullus lapis est homo.

X. Quia incipit per *C*, facilè ad *Celarent*, factâ conversione simplici conclusionis, prout designat litera *S* in fine dictionis *Celantes*, sic reduci poterit,

CE Nullum animal est lapis:

LA Omnis homo est animal:

RENT Ergo nullus homo est lapis.

XI. *P* verò per accid. id est, propositio designata per vocalem, quam sequitur *P*, per accidens converti debet: vnde *Baralipton* nullo negotio ad *Barbara* reducitur, conversâ conclusionis, quæ particularis erat, in vniuersalem,

BA Omne vitium est fugiendum:

RA Omnis superbia est vitium:

LIPT. Ergo aliquod fugiendum est superbia.

XII. Sic revocabitur hic syllogismus ad *Barbara*, conversâ per accidens conclusionis.

BAR Omne vitium est fugiendum:

BA Omnis superbia est vitium:

R A Ergo omnis superbia est fugienda.

XIII. M vult transponi, id est, propositio designata per vocalem, quam sequitur M, debet ita transponi, ut quæ major erat propositio in syllogismo imperfecto, fiat minor in perfecto, exemplum sit in *Camestres*,

C A Omnis homo est animal:

M E Nullum marmor est animal:

STRES Ergo nullum marmor est homo.

XIV. Sic reformabitur in *Celarent*, transmissis præmissis, & minoris juxta, & conclusionis factâ conversione simplici propter S.

C E Nullum animal est marmor:

L A Omnis homo est animal:

RENT Ergo nullus homo est marmor.

XV. C per impossibile duci, id est modus, in quo reperitur C, non potest reduci ostensivè, sed tantùm per deductionem ad impossibile, cujusmodi sunt *Baroco*, & *Bocardo*.

### §. X. *Deductio ad impossibile, seu reductio indirecta.*

I. SYLLOGISMVS deducens ad impossibile, Aristoteli *συλλογισμὸς εἰς τὸ ἀδυνάτου*, frequentius *δι' ἀδυνάτου* dicitur, quia in incommodo non acquiescit, sed in illo, & per illud ad principem conclusionem properat: item hypotheticus appellatur. Ratio est, quia progressio illius argumentationis nititur duabus hypothesibus, quas ab adversario concedi antè oportet, prima est, *contradictoria non possunt esse simul vera aut falsa*. Secunda, *ex propositionibus veris falsa conclusio non potest sequi*: ex quibus istud consequens est,

quoties conclusio falsa est, toties vel ambas præmissas falsas esse, vel alterutram; hinc

I I. Deductio ad impossibile tum fit, cum negatâ conclusione alicujus modi imperfecti, assumitur illius contradictoria, & altera ex præmissis concessis, unde concluditur contradictoria alterius præmissæ, quæ concessa fuerat, vel contraria.

I I I. Syllogismus deducens ad impossibile semper fit in prima figura, quia ideo argumentans ad impossibile deducit, quod consequentia ex aliarum figurarum regulis deducta ab adversario negata sit: ergo frustrâ argumentatio in ea figura confieret, cujus iterum consequentia negari posset; hinc vides hanc reductionis methodum omnibus modis imperfectis in perfectos commutandis vtilem esse, sed maximè modis *Baroco*, & *Bocardo*, qui aliter reduci non possunt.

I V. Ad quem modum primæ figuræ revocandi sint singuli modi aliarum figurarum, hic versus indicat:

*Phœbifer axis obit terras, a thrámque quot annis.*

V. In hoc enim versu duæ primæ voces *Phœbifer*, & *axis* pertinent ad modos primæ figuræ; duæ sequentes, *obit terras*, ad secundam: duæ denique postremæ, *quot annis* ad tertiam.

V I. In singulis vocibus observandæ quatuor vocales, A, E, I, O; A significat syllogismum deducendum esse ad impossibile per *Barbara*, E per *Celarent*, I per *Darii*, O per *Ferio*.

V I I. Observandus quoque vocalium ordo; nam E, quæ prima vocalis est in *Phœbifer*, designat *Baralipton* reduci ad impossibile per *Celarent*. I, quæ est secunda, indicat *Celantes* reduci per *Da-*

rii. A, *Fapesmo*, reduci per *Barbara*, atque ita deinceps, itaut singulæ vocales singulos modos designent.

V I I I. Ut autem certam in eas rationem formandæ argumentationis; hos quatuor versus accipe:

*Major fit minor, & fit contradictio major:*

*Dempto Celantes, in quo pervertitur ordo.*

*Servat majorem, variatque secunda minorem.*

*Tertia majorem variat, servatque secundam.*

I X. Duo primi versus pertinent ad modos indirectos primæ figuræ, quorum hic sensus est; si quis neget consequentiam modorum indirectorum primæ figuræ, sumenda est contradictio conclusionis quasi concessa pro majore; major verò argumenti, cujus negata est conclusio, sumenda pro minore: v. g. sit iste syllogismus:

B A *Omnis homo est rationalis:*

R A *Omne risibile est homo:*

L I *Ergo aliquod rationale est risibile.*

Si quis, inquam, consequentiam neget, quia argumentum est in *Baralipson*, reduces ad impossibile per *Celarent* hac arte: 1. accipies pro majore conclusionis negatæ contradictoriam, 2. pro minore majorem argumentationis, cujus negata est conclusio, & ita syllogismum informabis:

C E *Nullum rationale est risibile:*

L A *Omnis homo est rationalis:*

R E N T *Ergo nullus homo est risibilis.*

Ex quo denique sequetur contradictoria concessæ minoris: *omne risibile est homo*, excipiunt *Celantes* à communi regula, in quo contradictio conclusionis ponitur pro minore, & concluditur oppositum majoris.

X. In secunda figura quid servandum sit, tertius



versus indicat , *servat majorem* , &c. id est , si quis consequentiam tibi neget syllogismi in secunda figura , servabis majorem imperfecti syllogismi , & contradictionem conclusionis pones loco minoris , & ita conclusio erit contradictio minoris , vt

BA *Omnis homo est rationalis :*

RO *Aliquod animal non est rationale :*

CO *Ergo aliquod animal non est homo.*

Hunc syllogismum in *Baroco* sic reduces in *Barbara* :

*Omnis homo est rationalis :* major imperfecti syllogismi.

*Omne animal est homo :* contradictio conclusionis.

*Ergo omne animal est rationale :* contradictio minoris.

X I. Quartus denique versus , nempe *tertia majorem* , &c. docet , quâ arte tertia figura reduci debeat : v. g. si negetur consequentia syllogismi in tertia figura , contradictio conclusionis usurpanda est loco majoris , & minor retinenda , sicque conclusio erit contradictio majoris

DA *Omnis homo est mortalis :*

RA *Omnis homo est animal :*

PTI *Ergo aliquod animal est mortale.*

Quia hic syllogismus est in *Darapti* , sic reduces per *Celarent* :

CE *Nullum animal est mortale :* contradictio conclusionis.

LA *Omnis homo est animal :* major imperfecti syllogismi.

RENT *Ergo nullus homo est mortalis :* contradictio majoris.

X II. Vfus syllogismi deducentis ad impossibile

est potissimum in ostendenda veritate principiorum, & conclusionum, quæ principiis sunt vicinæ, cùm ostensivè probari minùs commodè possunt.

X I I I. Duo illius vitia ; primum, cùm major infirma : secundum, cùm ipsa conclusio aut veræ conclusioni non est opposita, aut non absurda.

### §. XI. *Expositio, seu syllogismus expositivus.*

I. **E**XPOSITIO, Aristoteli ἐκθεσις, tum fit, cùm medio singulari in locum medii communis suscepto, infertur eadem conclusio, quæ in syllogismo ex medio communi inferebatur.

I I. Dicitur syllogismus expositivus, quia veritatem consequentis in tertia figura per propositiones singulares quasi sensibus exponit, & inculcat, singularia enim notiora nobis sunt ; hinc pronuntiata apud Logicos : *Syllogismus generaliter affirmans ad confirmandum efficacissimus ; negans ad refutandum : particularis, qualis est expositivus, ad exponendum.*

I I I. Vis illius duobus principiis nititur ; primum est, cùm verum est universale, verum quoque singulare sit oportet : secundum, particulare differt à singulari, ut indeterminatum à determinato.

I V. Valet potissimum ad evidentiam consequentiæ syllogismorum tertiæ figuræ : v. g. si quis neget conclusionem hujus syllogismi in Darapti, concessis præmissis.

*Omnis homo est risibilis :*

*Omnis homo est animal :*

*Ergo aliquod animal est risibile.*

Fiat expositivus hac ratione, demonstrato Ioanne ; y. g.

*Hic homo est risibilis: per 1. princip.*

*Hic homo est animal:*

*Ergo aliquod animal est risibile. per 2. principium.*

v. Ut consequentia hujus syllogismi bona sit, duo observanda sunt; primum, termini ita sint singulares, & ad vnum determinati, vt sint pluribus incommunicabiles; hinc iste syllogismus non valet,

*Hac essentia divina est pater:*

*Hac essentia divina est filius:*

*Ergo filius est pater;*

Nec iste,

*Hic Deus non generat:*

*Hic Deus est pater:*

*Ergo pater non generat.*

Ratio est, quòd medius terminus in vtroque syllogismo non distribuatur; cùm enim essentia divina ab aliis terminis in hoc maximè discrepet, quòd singularis in se sit, & communis tribus personis, nunquam propriè distribuitur sive per signum vniversale, vt *omnis essentia*, quod dici nequit, quia est terminus singularis, aut per pronomen demonstrativum, vt *hac essentia est pater*, quia personis distinctis est communis: itaque in primo syllogismo sunt quatuor termini, perinde ac in secundo. Vt autem medius terminus distribueretur, prima propositio sic efferri deberet, *quidquid est essentia divina, est pater*: & secunda, *nihil quod est Deus, generat*, & ita ad categoricos syllogismos ambo reducerentur, sed tunc vtriusque major esset falsa.

Secundum, vt nulla sit in propositionibus fallacia, pronomen *hic*, *hac*, *hoc*, singulis præfigi

debet, alioquin vitiosa erit consequentia, vt

*Hic homo incipit esse:*

*Sed hic homo est Deus:*

*Ergo Deus incipit esse.*

## A R T I C V L V S I I.

### *De syllogismo composito.*

**A** simplici syllogismo initium duximus, naturã duce; quæ à simplicioribus corporibus ad composita progreditur. Superest jam, vt de composito, seu conjuncto agamus; quid sit, quotuplex, & quæ regulæ in qualibet specie seruandæ, breuiter explicemus.

*S. I. Quid sit, & quotuplex sit syllogismus compositus.*

**I. C O M P O S I T V S** syllogismus est, qui constat propositionibus conjunctis, vel vnâ, vel duabus. Porro compositus syllogismus se habet ad simplicem, vt propositio composita ad simplicem: propositio autem simplex perfectior compositâ: ergo & syllogismus simplex composito.

**II.** Quatuor sunt syllogismi compositi species, quia quatuor sunt propositionum compositarum genera, nempe conditionalis, causalis, copulativus, & disjunctivus.

*S. II. De syllogismo conditionali, & causali.*

**I. C O N D I T I O N A L I S** seu hypotheticus syllogismus aliter sumitur apud Aristotelem **I.**

*prior.* aliter hoc loco. Nam *i. prior.* idem est ac syllogismus ad absurdum deducens, de quo antè. Hoc loco dicitur, qui constat propositionibus hypotheticis, aut duabus, aut alterâ, vt

*Si sol lucet, dies est:*

*Sol lucet:*

*Ergo dies est.*

**II.** Quatuor in hoc syllogismo regulæ servandæ sunt. Prima, tota vis hypothetici syllogismi sita est in cohærentia, quæ est inter antecedens, & consequens majoris, quâ datâ, ex hypothetico potest fieri categoricus, vt

*Si homo est animal, sentit:*

*Homo est animal:*

*Ergo homo sentit.*

**III.** Hic syllogismus hypotheticus valet, quia potest dari ratio consequentiæ in majore per propositionem categoricam veram, quâ positâ loco majoris, iste categoricus ritè informatur:

*Omne animal sentit:*

*Homo est animal:*

*Ergo homo sentit.*

**IV.** Contrà non valet, si Turca bellum gerit, cras pluet, quia nulla potest dari ratio consequentiæ in antecedente, ex qua categoricus extrui possit.

**V.** Secunda, à positione antecedentis ad positionem consequentis valet consequentia affirmativè, vt

*Si homo est, est animal:*

*Sed homo est:*

*Ergo est animal.*

**VI.** At non valet à positione consequentis ad positionem antecedentis vi formæ, quia syllogismus fieret in 2. figura ex meris affirmantibus, vt

*Si Chineses sunt Mahumetani, infideles habentur:*

*At habentur infideles:*

*Ergo sunt Mahumetani.*

Dixi vi formæ ; nam per accidens in reciprocis ratione materiæ nonnunquam valet illatio : v. g.

*Si est equus, hinnit:*

*Sed hinnit:*

*Ergo equus est.*

VII. Tertia, à remotione consequentis ad remotionem antecedentis valet illatio :

*Si homo est, est animal:*

*Animal non est:*

*Ergo homo non est.*

VIII. Nulla autem est consequentia vi formæ ab everfione antecedentis ad everfionem consequentis, quia fieret syllogismus in 1. figura ex minore negante, vt

*Si Chineses, Mahumetani sunt, infideles sunt:*

*Chineses non sunt Mahumetani:*

*Ergo non sunt infideles.*

Dixi vi formæ, quia in reciprocis ratione materiæ interdum rectè proceditur : v. g.

*Si homo est, admirativus est:*

*Non est homo:*

*Ergo nec admirativus.*

IX. Syllogismus categoricus mensura est hypothetici, quia perfectum mensura imperfecti; hinc hypotheticus legitimus censetur, qui ad categoricum reduci potest; facilis autem ad categoricum reductio, quoties prima propositio tres duntaxat terminos continet; difficilis, si quatuor, nisi duo termini ad vnum redigi queant. Porro conclusio syllogismi hypothetici affirmans plerumque ad *Barbara*, aut *Darii* reducitur, negans verò ad *Camestres*, aut *Baroco*.

x. Causalis syllogismus habet propositionem causalem, cujus eadem ratio atque conditionalis; causa enim est antecedens, effectus verò consequens. Exemplum illius sit:

*Ideo quidpiam crescit, quia vivit;*

*Atqui arbores crescunt:*

*Ergo arbores vivunt.*

x i. Causalis alius affirmativus, alius negativus Illius duplex principium, 1. *positâ causâ necessariâ, & integrâ, vel saltem ultimâ, ponitur effectus*; 2. *posito effectu, ponitur causa, si unica sit*: hujus quoque duplex principium, 1. *sublatâ causâ, si unica sit, tollitur effectus*; 2. *sublato effectu tollitur causa, si necessaria sit, non libera, quæ sine effectu stare potest: integra, vel saltem ultima*; nam causa communis plurium effectuum, vno sublato, adhuc manet.

### §. III. De syllogismo conjunctivo, & disjunctivo.

I. SYLLOGISMVS conjunctivus, seu copulativus duplex; alter, qui differt à categorico, ratione propositionum, quarum duæ saltem, vna nempe ex præmissis, & conclusio conjunctivæ sunt: alter terminorum dispositione, & argumenti structurâ, cujus major duorum oppositorum repugnantiam continet, quorum vnum in minori astruitur, vt alterum in conclusione de subjecto negatur.

i i. Prioris eadem sunt principia, quæ categorici, ideòque illius bonitas resolutione in duos simplices probatur; si enim ambo rectè concludant, tum conjunctivus valet, sin minùs, vitiosus; hinc valet

*Omnis vir justus laudandus est :*

*Petrus , & Paulus sunt justus :*

*Ergo Petrus , & Paulus sunt laudandi.*

III. Posterioris verò vis tota hoc principio nititur ; si oppositorum alicui subiecto vnum insit , alterum inesse non potest : v.g.

*Non & Paulus est justus , & injustus :*

*At Paulus est justus :*

*Ergo Paulus non est injustus :*

IV. Disjunctivus syllogismus est , cujus major disjunctiva est : v.g.

*Aut dies est , aut nox est :*

*Nox non est :*

*Ergo dies est.*

V. Duplex est ; alter affirmativus : alter negativus. Affirmativus est , cujus conclusio est affirmans : negativus , cujus conclusio negans ; primus frequentior apud Logicos : secundus infrequentior.

VI. Duplex quoque illius figura , prior ponit alteram partem , vt alteram tollat : v.g.

*Aut dies est , aut nox est :*

*At est dies , vel at est nox :*

*Ergo nox non est , ergo non est dies.*

VII. Posterior tollit alteram partem , vt alteram ponat : v.g.

*Aut dies est , aut nox est :*

*Sed non est dies , vel sed nox non est :*

*Ergo nox est : Ergo dies est.*

VIII. Nonnunquam omnia membra planè enumerata tolluntur , vt subiecta tollantur : v.g.

*Omne bellum justum aut est defensio justa , aut pœna legitima , aut recuperatio amissorum :*

*Bellum à Turcis illatum , nec est defensio , nec pœna legitima , nec recuperatio amissorum :*

*Ergo nec bellum.*



ix. Vis consequentiæ syllogismi disjunctivi pendet ex membrorum tum oppositione, & disjunctione, tum plena enumeratione; hinc non valet iste syllogismus, quia disjungit, quæ subordinata sunt:

*Socrates aut animal est, aut homo:*

*Sed Socrates est homo:*

*Ergo non est animal.*

x. Item ex defectu plenæ enumerationis non valet.

*Omnis color est vel niger, vel albus:*

*In hac veste est color:*

*Ergo vel niger, vel albus.*

xi. Sunt enim intermedii colores, vt ruber, & viridis, quos disjunctiva enumeratio non continet.

xii. Cavenda in hujusmodi syllogismis fallacia, quæ tunc committitur, cum in minore neganda est pars negativa majoris, nisi enim addatur particula negans, non, ad aliam, quæ jam est, tunc sophisma committitur, in quo fit transitus à sensu diviso ad compositum, vt

*Vel Petrus amat Deum, vel non amat:*

*Non amat, Amat:*

*Ergo amat, Ergo non amat.*

xiii. Ad species syllogismi compositi revocantur syllogismi modales, exclusivi, exceptivi, restrictivi, &c. de quibus hæ regulæ sunt.

xiv. In syllogismo modali cavendum diligenter, ne mutetur suppositio copulatiæ propositionis in distributivam; hinc non valet:

*Vitare omne peccatum veniale, est impossibile:*

*Mendacium jocosum, est peccatum veniale:*

*Ergo vitare mendacium jocosum, est impossibile.*

Ratio est, quia suppositio copulata seu collectiva majoris mutatur in distributivam in conclusione; cuilibet enim particulari idem prædicatum applicatur, quod antea applicabatur omnibus collectim sumptis.

xv. Syllogismi modalis eadem sunt principia; quæ categorici, nititur enim *dicto de omni*, & *dicto de nullo*, dum mentionem modi facias; hinc principium pro affirmativo, *quod dicitur de prædicato, eodem modo dicitur de subjecto*. Pro negativo autem, *quod negatur de prædicato, eodem modo servatâ proportione, negabitur de subjecto*. Exemplum sit syllogismi modalis in Barbara:

*Quidquid necessariò est animal, necessariò est vivens:*

*Omnis homo necessariò est animal:*

*Ergo omnis homo necessariò est vivens.*

xvi. Syllogismus exclusivus, qui utramque præmissam, vel alteram habet exclusivam, ut

*Solus actus purus est immutabilis:*

*Solus Deus est actus purus:*

*Ergo solus Deus est immutabilis.*

xvii. Syllogismus exclusivus affirmans gemitivo principio innititur; primo quidem, *quod dicitur solum de aliquo prædicato, quod soli convenit subjecto, de subjecto solum dicitur*: secundo verò hoc fundatur, *quod negatur de aliquo solo, de eo omni affirmatur, cui illud omni repugnat*: negans duplici quoque, altero, *quod convenit alicui soli, de eo omni negari debet, cui illud repugnat*: altero, *quod alicui soli repugnat, soli quoque ei repugnat, quod solum sub ipso continetur*. Quicunque syllogismi ad hæc principia exiguntur, germani sunt, & veri, secus adulterini, & falsi; hinc non valet:

*Solum animal est sensitivum :*

*Omnis homo est animal :*

*Ergo solus homo est sensitivus.*

XVIII. Quod enim convenit soli, non ideo convenit omni. Porro exclusiva propositio potest universaliter converti, ut *solus homo est risibilis* : ergo *omne risibile est homo*.

XIX. Syllogismus exceptivus est, qui præmissam habet exceptivam.

*Omnis justus est laudabilis :*

*Omnes homines præter Paulum sunt justi :*

*Ergo omnes homines præter Paulum sunt laudabiles.*

XX. Circa syllogismos exceptivos hæc observa, 1. particula excipiens perinde ac reduplicans eidem termino jungenda, 2. semper ex parte termini syncategorematici universalis se tenet exceptio. 3. iisdem regulis syllogismi exceptivi, quibus categorici diriguntur.

XXI. Syllogismus reduplicativus est, qui unam præmissam habet reduplicativam, aut duas, ut *Omne album, quia album est disgregativum visus* : *Paries iste est albus* :

*Ergo paries iste, quia albus est, est disgregativus visus.*

Aut

*Homo quatenus animal, est vivens :*

*Homo, quatenus vivens, est corpus :*

*Ergo homo, quatenus animal, est corpus.*

XXII. Syllogismus reduplicativus, qui unam duntaxat præmissam reduplicativam habet, perinde conficitur ac categoricus; non tamen eadem omnis propositionum conversio, quæ in simplicibus, valet in reduplicativis; nam valet ista con-

versio : *omnis homo est animal : ergo aliquod animal est homo* ; at non valet , *omnis homo , quatenus animal , est vivens : ergo aliquod animal , quatenus vivens , est homo* : qui verò duas præmissas reduplicativas habet , vel reduplicat in sensu causali , vel in sensu formali , quod ex conclusione dignoscitur. Cùm reduplicat in sensu formali , utraque præmissa debet esse vera in sensu formali reduplicativo. Cùm reduplicat in sensu causali , nititur nonnunquam hoc principio , si affirmativus sit , *quod est causa causa , est causa causati* ; cùm reduplicat unam præmissam in sensu formali , alteram in sensu causali , in hoc fundatur principio , si affirmet ; *cujus definitum est ratio , sub qua aliquid alicui tribuitur , & definitio erit eodem modo causa : aut isto , cujus definitio est ratio , sub qua aliquid alicui tribuitur , definitum erit etiam ratio*. Sin verò neget , duplici quoque in principio fundatur : altero , *sub qua ratione de aliquo negatur tota causa per se necessaria peculiaris effectus , sub ea ratione negari debet effectus* : altero ; *cui non competit esse causam per se , necessariam , & peculiarem effectus , non potest esse ratio , sub qua tribuatur effectus*.

XXIII. Reduplicatio se tenet ex parte prædicati.

### A R T I C U L U S III.

#### *De imperfectis argumentationis speciebus.*

QUI naturam perfectæ argumentationis probe novit , quid sit argumentatio imperfecta , nullo negotio intelliget , quia imperfectum ex per-

fecto perinde cognoscitur, atque ex recto curvum. Perfecta argumentatio tribus propositionibus categoricis constat, & iis quidem in aliqua ex tribus figuris ritè dispositis: itaque imperfecta erit argumentatio, quæ vel pauciores habebit propositiones, quàm tres, vel certè plures. Quinque sunt illius species, Enthymema, Inductio, Exemplum, Dilemma, & Sorites.

§. I. *Enthymema, Inductio, & Exemplum.*

I. **E**NTHYMEMA sumitur latè, & strictè. Strictè est syllogismus ex verisimilibus præmissis, seu signis constans. Ita Aristoteles 2. prior. cap. 27. Propositio verisimilis ea dicitur, quæ ut plurimum est vera; signum verò, quod rei connexum, aliquatenus ejusdem signum est, sic pallor est signum metus.

I. Signum aliud necessarium, aliud contingens. Necessarium Græcis τεκμήριον dicitur: contingens σημεῖον; illud univocum, hoc æquivocum; primum non fallit utpote unius significatus: secundum fallit identidem; quia significatus ambigui.

II. Enthymema latè sumptum, cujus usus in scholis frequentior, est argumentatio duabus duntaxat propositionibus constans, quarum prior dicitur antecedens, posterior consequens, ideòque truncatus syllogismus appellatur, ut

*Temperantia est virtus:*

*Ergo in mediocritate consistit.*

IV. Dicitur εὐθύμημα Græcis, quasi ἐν δόμῳ, quòd alterutra propositio animo retineatur, vel ut alii volunt ἀπὸ τῆ ἐνδομαῖν, quod animo ver-

fare, seu tacitâ cogitatione colligere sonat, quia præmissarum altera, quæ animo argumentantis retinetur, tacitæ, & celeri audientis cogitationi supplenda relinquitur.

v. Duplex illius species, altera, quæ ad syllogismum reduci potest, addendo propositionem quæ animo retenta est; semper enim in mente altera ex propositionibus retinetur, quam subinde, si consequentia negetur, statim expromas; hinc dicitur syllogismus imperfectus non respectu mentis, quæ utramque antecedentis partem conspicit, sed respectu orationis, quæ alteram ex propositionibus supprimit: altera, quæ ad syllogismum reduci commodè non potest, sæpiusque quatuor terminis constat: v. g.

*Omnis albedo est color:*

*Ergo omne album est coloratum.*

v i. Vtra ex duabus præmissis in antecedente desit, major ne, an minor, ex conclusionis extremis dispicitur; si enim prædicatum conclusionis in antecedente non apparet, tum deest major propositio; sin autem subjectum conclusionis, seu minus extremum in antecedente desideratur, tum minor deest: v. g. in hoc enthymemate:

*Petrus est homo:*

*Ergo Petrus est animal.*

v i i. Major deest; quia majus extremum conclusionis, *animal* non reperitur in antecedente, ideóque major supplenda, vt perfecta sit argumentatio.

*Omnis homo est animal:*

*Petrus est homo:*

*Ergo Petrus est animal.*

v i i i. Vsurpatur Enthymema, i. cum vna ex

propositionibus per se nota est. 2. cùm vna imbecilla, quam proinde occultare è re argumentantis sit; naturâ enim duce partes infirmas obtegimus, subducimûsque intuentium oculis: quare cavendum ab argumentante, qui enthymematis agit, quia pronum est in antecedente decipi. 3. brevitaris causâ, quia sæpè contingit syllogismum esse justo prolixiorum. 4. cùm fit comparatio aut conjugatorum illatio. Verbo dicam, docti inter disputandum, enthymematis vtuntur, vt brevitati studeant; oratores, vt artificium tegant; sophistæ, vt fallant.

I x. Inductio, ἐπαγωγή, est argumentatio, in qua ex sufficienti enumeratione singularium aliquid universale inesse, aut non inesse concluditur; hinc dicitur inductio, quia plura subinde singularia commonstrans, inducit atque invitat animum, vt universali conclusioni non dissentiat: v. g. *Paulus, Ioannes, Franciscus ratiocinatur: ergo omnis homo ratiocinatur.*

x. Duplex inductionis species, imperfecta, quæ ex particularibus tantùm aliquibus colligit: perfecta, quæ ex omnibus, eâque duplex, Physica, & Moralis: Physica ex omnibus omnino singularibus; Moralis ex pluribus, quæ satis sint ad construendam propositionem universalem. Physica ad scientiam non requiritur, Moralis sufficit in materia necessaria, quia ratiocinio mentis suppletur, quod deest inductioni ex parte singularium, dum principium convenientiæ detegit, in quo omnia vniuntur, & quasi consentiunt.

x i. Duobus modis fit 1. cùm colligitur genus ex specie. 2. cùm species ex individuis.

x i i. Perfecta reducitur vtrunque ad 1. figuram hac methodo.

*Homo, equus, leo, &c. sentit:*

*Omne animal est homo, equus, leo, &c.*

*Ergo omnis homo sentit.*

XIII. Triplex principium est, quo vis inductionis nititur, 1. vniuersale nihil est præter singularia, id est, non latius patet genus, quàm omnes species: nec latius species, quàm omnia individua, & vicissim; hinc æquipollentia generis, & omnium specierum, itémque æquipollentia specierum, & individuorum omnium inductionis fundamentum. 2. si quid vnum commune est multis; illis convenit, quatenus vnum sunt. 3. cum illud vnum, in quo multa conveniunt, repereris, tum poteris facere propositionem vniuersalem, multis in vnum collectis.

XIV. Vfus inductionis est duplex, 1. apta est ad constituendum principium generale, dum veritatem in vniuersali involutam detegit in singularibus, sensimque per singularia ad notitiam vniuersalium deducit; hinc illud Aristotelis pronuntiatum 6. Ethic. c. 3. *Inductio est principium ipsius vniuersalis*, & 8. Topic. c. 1. *Inductio ad inquirendum vniuersale utilis est*. Denique 1. Topic. c. 10. *Inductio est à singularibus ad vniuersalia accessio*; immo verisimilior, & clarior, & secundum sensum notior, & pluribus communior, quàm syllogismus ex eodem cap. 2. Valet ad probanda principia immediata, id est, quæ carent medio, quia prima sunt. Cum enim nullum sit argumentum, quo prædicatum inesse, aut non inesse subjecto proberetur, assumuntur individua, & ponuntur loco medii ad confectionem propositionis immediatæ, vt in singularibus veritas se ostendat, quæ in vniuersali latebat. Denique vtendum in-



ductione apud imperitam multitudinem, syllogismo apud Dialecticos ex 8. Topic. c. 2.

xv. Fallacia inductionis tunc est, cum antecedenti opponi potest membrum repugnans.

xvi. Exemplum, quod syllogismum rhetorum vocat Aristoteles, inductioni utcumque affine. Definatur argumentatio, in qua ex vno simili aliud simile inferitur, vel ex vno aut pluribus conclusio particularis, vt

*D. Paulus ad calum laborando pervenit :*

*Ergo mihi ad calum enitenti laborandum est.*

xvii. Differt ab inductione perfecta, 1. quod inductio ex particulari, hoc est, ex singularibus univrsale concludat, exemplum ex singulari singulare. 2. quod inductio in necessaria cum omnibus suis singularibus univrsalis connexionem fundetur, exemplum in paritate rationis; hinc inductionis vis major in probando, quam exempli.

xviii. Duo requirit Aristoteles, vt valeat ad probandum. Primum, vt antecedens sit notum; hinc exempla longius arcessita vix roboris quidquam habent ad probandum. Secundum, vt subjectum consequentis sit simile subjecto antecedentis, quia probabile est eadem ex iisdem principiis sequi: *Exemplum est*, inquit Aristoteles 2. prior. c. 24. *quando extremum ostenditur inesse medio, per id quod est simile tertio.*

xix. Quare in exemplo antecedens se habet ad consequens, non sicut pars ad totum, nec sicut totum ad partem, sed sicut pars ad partem, simile ad simile, 2. prior. cap. 24.

xx. Vis exempli æstimanda est ex veritate propositionis univrsalis, quia in argumentatione ab exemplo ducta antecedens sufficitur loco propo-

sitionis vniversalis , cuius veritas manifestior fiat in particulari adducta , sub qua vniversali tanquam subalternante , conclusio quasi subalternata sumatur.

xxi. Hinc vt reducatur ad syllogismum , reduci debet ad inductionem , quia ex particulari vno , vel pluribus colligitur propositio communis ; deinde sumptâ pro maiori propositione illa communi , ipsius exempli conclusio infertur : v. g. ex eo quòd bellum Thebanum contra Phocenses noxium fuit , colligitur omne bellum contra finitimos esse noxium , & tunc assumitur vniversalis illa propositio , vt extruatur syllogismus.

*Omne bellum contra finitimos est noxium :*

*Bellum Atheniense contra Thebanos est contra finitimos :*

*Ergo bellum Atheniense contra Thebanos est noxium.*

xxii. Exemplum plus momenti habet ad persuadendum , quàm necessitatis ad concludendum , quia vulgus exemplis maximè capitur , & mollissimè suaderetur. Meritò itaque Aristoteles pronuntiat lib. 8. Topic. c. 2. συλλογισμὸς βασικώτερος , παρ᾽δειγμα πιθανώτερον.

xxiii. Fallacia exempli fit duobus modis , 1. cùm est dissimilis ratio exemplorum , quia antecedens se habet ad consequens , vt simile ad simile. 2. cùm exemplum falsum est.

xxiv. Exemplum spectari potest vel ratione consequentiæ formalis , quæ inter duo singularia reperitur , vel vt est sedes argumentorum ; primo sensu ad formam syllogismi pertinet , quæ ex vno simili infert aliud : secundo ad materiam.

## §. VI. De dilemmate, &amp; sorite.

I. **DILEMMA**, est argumentatio, cujus antecedens est propositio disjunctiva, consequens geminum, quo tamen idem concluditur ex utraque parte disjunctivæ. Brevius, syllogismus, qui factâ disjunctioe membrorum, vtrumvis concedatur, constringit adversarium; ideòque dicitur Gellio *syllogismus cornutus*, quia vtrinque velut cornibus adversarium ferit: v. g.

*Aut à potente laesus es, aut ab imbecilli:*

*Si à potente, parce tibi: si ab imbecilli, parce illi:*

II. Finis itaque dilemmatis est constringere adversarium, & quasi in angustum adducere, deinde terrere.

III. Revocari potest ad duplicem syllogismum, qui in quolibet dilemmate latet inclusus.

IV. Fallacia dilemmatis duobus modis contingit, 1. cum non est immediatum: v. g. *si Deus pater gignit verum Deum, aut gignit se ipsum, aut alium Deum*; hoc dilemma nullum est, quia datur tertium, nempe persona; tota autem vis dilemmatis petitur à gemino. 2. cum hypothesis, quâ dilemma nititur, est falsa, cujusmodi fuit istud dilemma Scribarum, & Phariseorum Ioannis 8. *Aut absolvet adulteram, aut condemnabit; si primum, eum ut Moysi repugnantem accusabimus: si secundum, eum ut sibi minus constantem reprehendemus, qui peccatores aliàs in gratiam receperit; at Christus neutrum fecit.*

V. Sorites est multarum propositionum coacervatio, in qua prædicatum primæ propositionis fit secundæ subjectum, & ita deinceps, donec tan-

dem concludatur prædicatum ultimæ propositionis de subiecto primæ, vt

*Homo est animal:*

*Animal est vivens:*

*Vivens est substantia:*

*Ergo homo est substantia.*

VI. Soritis fons duplex, primus, series generum, & specierum in eodem prædicamento, vt patet in exemplo superiori; secundus, connexio causarum per se cum effectis, vt

*Nimia cibi copia coctionem impedit:*

*Coctione impeditâ, fit sanguis impurus:*

*Dum sanguis impurus est, crudi humores in corpus sparguntur:*

*Crudi humores sparsi hydropem faciunt:*

*Ergo nimia cibi copia est causa hydropis.*

VII. Duplex est, prima, in qua præmissæ coacervantur, vt

*Omnis homo est mortalis:*

*Omne mortale est corpus mixtum:*

*Omne mixtum est compositum ex contrariis:*

*Omne compositum ex contrariis non potest esse æternum:*

*Ergo homo non potest esse æternus.*

VIII. Secunda fit tantum ex conclusionibus coacervatis: v. g.

*Homo est mortalis:*

*Ergo est mixtum corpus:*

*Ergo componitur ex contrariis:*

*Ergo non potest esse æternus.*

IX. Quatuor in sorite diligentius observanda; vt valeat.

Primum, in sorite subiectum conclusionis est minus extremum, prædicatum conclusionis majus

extremum ; reliqui termini , qui soritem ingrediuntur , sunt medii , & ii quidem totidem syllogismi , quibus nullum tum formæ , tum materiæ vitium inesse debet , aliàs vel vnus terminus vitiosus , in soritem vitiositatem refunderet ; hinc

Secundum , termini debent subordinari per se , non per accidens , subordinatione tum prædicali , quâ species generibus , individua speciebus subjiciuntur : tum causali , quâ causæ proximæ per se à remotis dependent ; hinc non valet ,

*Homo est species :*

*Species est subjicibilis :*

*Subjicibile est notio secunda :*

*Ergo homo est notio secunda.*

Item non valet ,

*Qui bene bibit , benè dormit :*

*Qui bene dormit , non peccat :*

*Qui non peccat , est beatus :*

*Ergo qui bene bibit , est beatus.*

Tertium , nunquam propositio particularis in sorite secundo , & tertio loco ponitur , sed ultimo duntaxat loco ; aliàs vitiosus erit sorites , quia syllogismus fiet in prima figura ex majori particulari ; secunda enim propositio soritis est major in syllogismo.

Quartum , particularis negans quocunque loco posita , soritem vitiat , quia tunc fit syllogismus in prima figura ex minori negante , aur ex majore particulari.



## DISPUTATIO SECVNDA.

*Questiones subtiliores de naturâ argumentationis, & syllogismi examinantur.*

**P**RIMA hujus partis disputatione, leges, & præcepta argumentationis ritè formandæ præscriptimus; supersunt quæstiones quædam de naturâ tum argumentationis, tum syllogismi subtiliùs disquirendæ; quare sit

## ARTICVLVS I.

*Natura argumentationis examinatur.*

**T**RIA hîc quæri possunt de naturâ argumentationis, seu discursûs in genere. Primum, an discursus plures cognitiones includat. Secundum, an ex hypothesi, quòd plures requirantur, vna pendeat ex altera, & quidem cum successione aliqua. Tertia, an in iudicio consequentis exerceatur iudicium consequentiæ.



§. I. *An plures cognitiones , & quidem cum dependentia , & successione , in discursu formali requirantur.*

I. OBSERVATIO. **N**ON hîc discursus vocalis , sed mentalis essentiam , & affectiones inquirimus.

II. OBSERVATIO. Discursus mentalis duplex ; formalis , & virtualis ; virtualis est actus intellectus , & is quidem realiter indivisibilis , quo vna veritas objectiva ex alia cognoscitur : talis est actus , quo Deus creaturas in sua essentia , vt in medio , cognoscit , aut quo Angelus cognoscit ignem , & in igne calorem : formalis est complexio multarum cognitionum , quarum vna inferitur ex alia. De formali hîc quæstio est.

I. ASSERTIO. Ad rationem formalis discursus requiruntur plures cognitiones realiter distinctæ ; hæc assertio est contra Scotum q. 4. proloq. , vbi docet ad rationem discursus formalis , sufficere ex parte objecti , vt cognoscatur vnum per aliud,

Probatur 1. ex Aristotele 1. poster. tex. 1. *πασε διδασκαλία , καὶ πᾶσα μάθησις ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως.* *Omnia doctrina , omnisque disciplina , qua mente perficitur , ex præexistente cognitione paritur :* at præexistens cognitio distinguitur realiter à subsequenti : ergo in discursu formali duplex saltem cognitio realiter distincta requiritur.

Probatur 2. ratione , positis duobus principiis. Primum sit : In omni motu datur duplex termi-

nus realiter distinctus ; terminus à quo , & terminus ad quem. Secundum , discursus est motus, seu discursus quidam mentis ab vno ad aliud , seu à nota veritate tanquam à termino à quo , ad veritatem ignotam tanquam ad terminum ad quem ; vt enim corpora in motu locali à loco ad locum moventur : ita in discursu formali mens à nota veritate mouetur ad ignotam ; hinc sic arguo : in omni motu datur terminus à quo distinctus realiter à termino à quo ex i. principio : discursus formalis est motus quidam mentis à nota veritate , quæ est antecedens , & terminus à quo , ad ignotam veritatem , quæ est consequens , & terminus ad quem ex secundo principio : ergo in omni discursu formali plures cognitiones realiter distinctæ requiruntur ; vna , quæ sit terminus à quo , & antecedens : altera , quæ sit terminus ad quem , & consequens.

Confirmatur : tum quia veritas nota continetur in iudicio antecedentis , ignota in iudicio consequentis : ergo duo saltem iudicia discursus formalis includit ; tum quia debet dari discrimen inter discursum formalem hominis , & virtualem Dei aut Angeli , quo cognoscunt effectum per causam : v. g. risibile per rationale : hoc vnum assignari potest , quòd in discursu virtuali Dei , & Angeli vna realiter cognitio , virtute tamen duplex sufficiat ; in formali autem duplex realiter cognitio requiratur : ergo multiplex realiter cognitio in discursu formali includitur.

II. A S S E R T I O. Ad essentiam discursus vna cognitio ex altera inferri debet , cum quadam dependentia posterioris à priori.

Probatnr i. Discurrere , est cognoscere vnum per



aliud, seu ex cognitione vnius veritatis in cognitionem alterius, quæ antea latebat, venire: hoc non potest fieri sine dependentia cognitionis vnius illatæ ab altera in ratione cognoscendi inferente; illatio enim est productio vnius cognitionis virtute alterius, quatenus antecedens continet rationem cognoscendi consequens, adeoque mentem determinat ad productionem cognitionis alterius ob connexionem, quam habet cum illa.

2. In hoc distinguitur tertia operatio à secunda, quòd hæc non supponat iudicium ex quo inferatur, ideòque dicitur iudicium primum, & immediatum; illa verò sit iudicium secundum, seu mediatum, & illatum.

3. Essentia tertiæ operationis posita est vel in iudiciis simul sumptis, vel in iudicio antecedentis tantum, vel in iudicio consequentiæ, vel in deductione consequentis ex antecedente: non in iudiciis simul sumptis, quia tertia operatio esset ens per accidens; coalesceret enim ex multis entibus completis: at non minus est simplex qualitas, quam secunda operatio. Non in iudicio antecedentis, aut iudicio consequentiæ, quia vtrumque iudicium potest esse immediatum, adeoque secunda operatio. Paret de iudicio antecedentis; de iudicio consequentiæ probatur; iudicium enim consequentiæ est, quo mens iudicat consequens rectè inferri ex antecedente, quod iudicium non est tertia operatio ex natura sua; nam v. g. *si sol lucet, dies est*, en iudicium consequentiæ, quæ enuntiatio hypothetica pertinet ad secundam mentis operationem. Deinde Deus iudicat conclusionem, quam infero, rectè sequi ex antecedente,

nec tamen discurrit : ergo superest , vt tertia mentis operatio posita sit in iudicio consequentis , vt illati ex antecedente , adeoque cognitio illata pendet ex inferente ; non enim cognitio vna ab altera pendet ; quòd vna producat aliam , sed quòd vna cognitio mentem determinet ad alteram producendam ob connexionem , quam cum illa habet ; habet autem connexionem , quia continet in se rationem alterius cognoscendæ ; hinc

Quinque deducuntur. Primum , discursus non est tantum plurium propositionum congeries , vt *Petrus est homo : Paulus est doctus* ; sed est illativus vnus propositionis ex altera , ideoque vna in virtute alterius debet aliquomodo contineri.

Secundum , discursus cum sit iudicium illativum , & deductivum vnus ex alio : est simplex qualitas ; vt enim iudicium immediatum , & primum directè fertur in vnionem prædicati cum subjecto , adeoque est simplex : ita iudicium mediatum , & secundum fertur in conclusionem ; vt illatam ex antecedente , habetque pro formali motivo sui assensus antecedens cognitum , quare est simplex qualitas , dicens antecedens , vt partem in obliquo ; ratiocinium enim est cognitio vnus deducta ex cognitione alterius , seu cognitio distincta ex confusa , vnde conclusio est evolutio , & explicatio antecedentis. Quòd si tamen antecedens instar materiæ sumere placet , cui iudicium illativum ; tanquam forma , accedit , tum discursus ens per accidens , & quid compositum dici nihil vetat : sic enim dicit plura iudicia.

Tertium , differunt inter se , cognoscere vnum in alio , & cognoscere vnum ex alio : dum enim cognoscitur vnum ex alio , multa interveniunt ju-

dicia , quæ componunt discursum formalem , cum dependentia consequentis ab antecedente ; at dum cognoscitur vnum in alio , fit tantum vnum realiter iudicium , quo attingitur effectus in causa , vel objectum in actu , hoc modo , hæc visio est visio albedinis : quale iudicium Deo convenit ; non enim ex cognitione causæ progreditur ad cognitionem effectûs , sed effectum , & ipsius causam simplici cognitione in essentia sua tanquam in speculo omniformi attingit.

Quartum , ratiocinari non est tantum multas ratiocinationes evolvere , aut earum conclusionibus assentiri ; sed vnum ex alio , advertendo consequentiam , deducere : itaque in qualibet argumentatione continetur iudicium antecedentis ; deinde iudicium consequentis , quo mens assentitur conclusioni objectivè sumptæ , quia assensum dedit antecedenti objectivè sumpto. Denique iudicium consequentiæ , quo quis iudicat conclusionem rectè deduci ex antecedente , quia ex eo infertur juxta regulas Logicæ.

Quintum , in Angelis circa res obscuras , & inevidentes datur formalis discursus ; circa res evidentes virtualis tantum. Patet prima pars , quia lumen Angeli circa obscura , & supernaturalia imperfectum , & incertum est , nec certius lumine humano : ergo perinde discurrere potest Angelus formaliter circa supernaturalia , ac ipse homo : sic dæmones ex signis inferebant Christum esse filium Dei. Item ex signis secreta cordis humani probabiliter conjiciunt : ex situ positumque siderum , serenitatem aëris , fertilitatem agrorum , &c.

Secunda pars patet , quia circa objecta naturaliter evidētia , debetur Angelo perfectior cognoscendi modus , itaque simplicior debetur , quam

homini : ergo potest vno intuitu attingere , quod mens humana per plures actus assequitur ; multò magis in Deo datur discursus virtualis , vt dum ex vi omnipotentix attingit creaturas ; cognitio enim divina , prout tendit in omnipotentiam , potest esse ratio sui ipsius , prout tendit in creaturas , potestque Deus cognoscere creaturas esse possibles , quia se omnia posse cognoscit.

Nec dicas , discursus ex D. Thoma , 1. p. q. 14. a. 7. procedit à noto ad ignotum. *Manifestum est , quòd quando cognoscitur primum , ignoretur secundum :* at Deo nihil ignotum esse potest : ergo &c. Nam respondeo ibi D. Thomam loqui de discursu formali , non virtuali : aut si in virtuali discursu aliquid ignotum est , in signo tantùm rationis ignotum est , in quo non est formaliter intelligibile , non autem in signo reali : vnde non sequitur ignorantia propria , seu positiva , sed impropria , & negativa , quæ est non cognitio rei , quæ nondum est cognoscibilis.

III. **A S S E R T I O.** Discursus fit sæpè successivè , itaut vna cognitio sit post alteram : absolute tamen non requirit successionem.

Probatur prima pars , quia sæpè ob nostrum imperfectum cognoscendi modum , priùs insistimus , & immoramur in cognitione antecedentis , ipsum penetrando , tum conclusionem ex eo eliciendo : at illa mora tempus requirit : ergo &c.

Probatur secunda ; nam si antecedens proponatur clarè intellectui , potest eodem instanti inferre consequens , adeoque eodem momento assentiri præmissis ; & conclusioni. Ratio à priori est , quia intellectus , dum producit cognitionem , agit vt potentia naturalis : at causa naturalis eo-

dem instanti, quo habet omnia requisita ad agendum, potest agere, immo, & necessariò agit: sic sol eodem instanti reali, quo creatus est, lumen suum produxit. Priùs tamen naturâ est assensus præmissarum, quàm conclusionis, sicut sol est priùs naturâ lumine suo.

Objicies 1. in 2. partem assertionis: Non possunt esse simul in mente duo judicia: ergo cùm in discursu plura sint judicia, nempe antecedentis, & consequentis, debet esse vnum post aliud, adeoque cum successione. 2. discursus est motus: at in motu est successio, quia mobile non potest esse eodem instanti in termino à quo, & in termino ad quem.

Respondeo ad 1. nego antecedens; intellectus enim est potentia sufficiens ad plures cognitiones, licet cùm plures sunt, minùs ad singulas attendat, quia virtus dispersa in plura, fit minor: sic idem oculus potest multas simul visiones elicere, cùm à pluribus speciebus movetur: eadem auris plures sonos percipere.

Ad 2. distinguo: Motus instantaneus, qualis est operatio mentis, nego: successivus, concedo. Certè in mutationibus instantaneis potest fieri transitus eodem instanti reali à termino à quo, ad terminum ad quem: ergo & eodem momento potest esse assensus antecedentis cum assensu consequentis.

Quæres 1. an in argumentatione mentali, vnicam tantùm possit esse præmissam.

Respondeo probabilius requiri semper duas saltem virtualiter; vt enim concludam duo identificari inter se, quia identificantur cum vno tertio, debui priùs cognoscere, illud identificari cum

illis duobus, quod fieri non potest, nisi per duas præmissas vel realiter vel virtualiter distinctas : unde nullum est enthymema mentale.

Quæres 2. cur malè interdum ratiocinemur?

Respondeo id oriri vel ex eo, quod antecedenti falso propter probabilitatem, & veritatis colorem, quam præsefert, assentiamur : vel quod deducamus conclusionem, quæ non sequitur ; mens tamen, dum assentimur, probabilem connexionem semper agnoscit : vel quòd non attendamus ad leges, & præcepta, quæ non servantur.

§. II. *An ad conclusionem eliciendam requiratur iudicium de bonitate consequentiæ.*

V N I C A O B - I U D I C I V M consequentiæ potest SERVATIO. Exerceri duplici modo, vel expressè, & formaliter : vel implicitè, & virtualiter. Tunc exercetur expressè ; & virtualiter, cùm per actum expressum iudicamus bonam esse consequentiam, seu conclusionem rectè inferri ex antecedente. Tunc virtualiter, & implicitè exercetur, cùm iudicium consequentis ita perfectum est, ut cùm unicum sit realiter, duobus tamen æquivalet, quorum alterum esset solius consequentis, alterum solius consequentiæ.

I. A S S E R T I O. Aliquando exercetur iudicium consequentiæ explicitum distinctum à iudicio consequentis. Pater experientiâ ; nam sæpè iudicamus per actum reflexum de bonitate illationis ; præsertim cùm ob malam dispositionem præmissarum, non statim apparet menti identitas extremorum cum aliquo tertio, quo in casu vel præmissæ in clariori figura ponuntur, vel certè datur iudicium

reflexum de recta illarum dispositione.

**I I. ASSERTIO.** Non semper bonitas consequentiæ explicitè cognoscitur iudicio distincto à iudicio consequentis. Experimentiâ quoque id patet, dum enim ratiocinamur, experimur nos vnicò iudicio assentiri consequenti, & consequentiæ. Et verò tale iudicium inter præmissas, & conclusionem non requiritur, quia cum semel in præmissis agnovimus terminos conclusionis esse idem cum vno tertio, per se evidens est esse idem inter se: ergo hoc statim infertur, absque iudicio expresso, & reflexo supra connexionem illationis cum præmissis, à quo mens prædetermine-  
tur.

Confirmatur, quia non vnum, sed multa iudicia reflexa requirerentur; vnum, quo iudicaretur præmissas esse tales, quales esse deberent, puta vniversales, vel vniversalem vnam, & alteram particularem, esse in tali modo, & tali figura; alterum, quo iudicaretur medium terminum adæquatè distribui in altera ex præmissis, non sumi æquivocè, &c. At experientia constat eiusmodi iudicia reflexa non fieri, saltem in actu signato, & explicitè; licèt in actu exercito, & implicitè fiant.

Confirmatur 2. Intellectus absque vlla alia determinatione reflexa assentitur præmissis: ergo potiori jure potest assentiri conclusioni, modò à præmissis determinetur; quibus assentiendo, præbet virtualiter assensum conclusioni.

**I I I. ASSERTIO.** In omni perfecto iudicio consequentis, saltem exercetur virtualiter iudicium consequentiæ. Probatur 1. perfectum iudicium consequentis continet virtualiter iudicium consequentiæ: ergo cum exercetur iudicium perfectum con-

sequentis , exercetur virtualiter iudicium consequentis . Probatur antecedens , iudicium consequentis perfectum est assensus datus conclusioni , vt illata ex antecedente : at non potest rectè inferri consequens ex antecedente , nisi bona sit consequentia : ergo &c. Deinde omnis sciens debet resolvere conclusionem in principia tam formalia , quàm materialia : idipsum præstare non potest , nisi exercent iudicium saltem virtuale de bonitate consequentis : ergo sciens in iudicio perfecto consequentis , exercet iudicium consequentis saltem virtuale ; hinc

Particula *ergo* in discursu est signum formale , & explicitum illationis , & dependentiæ consequentis à iudicio antecedentis ; virtuale autem , & implicitum signum consequentis .

Obijcies 1. in 2. assertionem , actus conclusionis hoc dicit ita esse , quia aliud est , putà Petrum esse animal , quia omnis homo est animal , & Petrus est homo : ergo debet mens reflexè iudicare vnum contineri in alio. Confirmatur ex Aristotele 1. poster. c. 2. vbi docet *scientiam esse cognitionem rei per causam , & quòd illius sit causa , & quòd aliter se habere non possit.*

Respondeo , dist. antecedens , hoc dicit esse , quia aliud est , in actu signato , formaliter , & iudicio explicito semper , nego : in actu exercito , virtualiter , & iudicio implicito , concedo : ergo debet mens reflexè iudicare vnum contineri in alio. Dist. consequens ad sensum antecedentis , in actu exercito , implicitè , & virtualiter , concedo : in actu signato , explicitè , & formaliter , nego : vnde patet responsio ad auctoritatem Aristotelis. Deinde ibi Aristoteles definit scientiam à priori ,



vt observat Comptonus , ad quam habendam , causa in præmissis continetur , in conclusione effectus : illæ autem voces , *quòd illius sit causa* , evidentiam innuunt , quia cognitio effectûs deducitur ex cognitione causæ in præmissis habitâ. Reliquæ voces certitudinem denotant , quia intellectus ita determinatur à præmissis ad assensum conclusionis , vt illi constantissimè adhæreat.

Instabis : Sæpè datis præmissis , mens de bonitate conclusionis subdubitat : ergo in illo casu opus est iudicio reflexo , eoque formali , & explicito de bonitate consequentiæ.

Respondeo , transeat totum , nihil inde contra doctrinam meam inferri potest , vt patet ex prima assertione.

### §. III. *An assensus conclusionis includat assensum antecedentis.*

STATVS quæstionis est , an per assensum conclusionis attingatur objectum præmissarum , quod proinde sit ratio formalis intrinseca assensus conclusionis ; an verò per actum conclusionis proprium tantùm objectum cognoscatur , perinde ac si nihil fuisset quidpiam aliud præcognitum ; & ita præmissæ solùm determinent extrinsecè ad eiusmodi assensum.

VNICA ASSERTIO. Intellectus , dum assentitur conclusioni , attingit etiam præmissarum objectum , vt rationem formalem intrinsecam assensus conclusionis : scè quod idem est , assensus præmissarum inuoluitur in assensu consequentiæ vt quo , & in obliquo. Ita D. Thomas 1. 2. q.

3. a. 2. & 3. Soncinas, Arriaga, & alii. Probatur: quia potentia quælibet fertur in objectum, & rationem formalem, propter quam assentitur objecto: v. g. dum intellectus exercet actum fidei, fertur in objectum fidei, hoc est, in rem revelatam, vt *quod*, & in rationem formalem assentiendi, vt *quo*, quæ est autoritas divina. Item visio fertur in lucem, & colorem, itaut utrumque attingat intrinsecè: medicus dum exercet aliquem actum medicinæ, fertur in corpus, vt *quod*, & in rationem sanabilis, vt *quo*: ergo dum intellectus, fertur in conclusionem, vt *quod*, fertur in præmissarum assensum, vt rationem formalem, propter quam assentitur conclusioni. Ratio à priori est, quia intellectus non fertur in conclusionem, vt absolutè veram, sed vt veram relativè ad præmissas; assentitur enim conclusioni propter præmissas: ergo assensus conclusionis includit saltem implicite, & vt *quo*, assensum præmissarum, adeoque ad objectum præmissarum aliquatenus intrinsecè terminatur.

Confirmatur amplius 1. dum voluntas fertur efficaciter in finem, fertur etiam ad ea, quæ sunt ad finem, saltem implicite: ergo à pari dum intellectus fertur in conclusionem, fertur etiam implicite in præmissas, 2. assentiri conclusioni propter se, & assentiri propter assensum præmissarum, sunt duo assensus specie distincti: ergo assensus conclusionis pendet in sua essentia ab assensu antecedentis: 3. dum intellectus discurrit, nititur hoc principio; *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: ergo dum assentitur conclusioni, debet illud principium aliquatenus cognoscere, aliàs non in eo niteretur, quomodo enim

in eo niti potest , de quo ne implicite quidem cogitat ? ergo debet assentiri identitati extremorum conclusionis , eò quòd sint idem vni tertio.

Dices dependentiam cognitionis , quæ est in illatione , satis intelligi per ordinem ad antecedens , vt est causa assentiendi extrinseca , absque vlla positione rei intrinsecæ , sed contra : dum infertur conclusio , per particulam , *ergo* , aliquid cognosci specialiter denotatur ; quid autem illud est nisi objecta præmissarum ? ergo conclusio attingit intrinsecè objecta præmissarum , non tantùm extrinsecè : vnde dicere , *ergo* hoc illud est , idem est ac dicere , infertur ex hac connexione cum vno tertio , hæc mutuò esse idem inter se , putà Petrum esse animal , quia homo est animal , & Petrus est homo : at hoc est cognoscere per assensum conclusionis eam connexionem cum tertio.

Objicies 1. Si intellectus , dum assentitur conclusioni , fertur in objectum præmissarum , vt rationem formalem assensûs conclusionis intrinsecam : medius terminus ingreditur conclusionem , & ipsæ præmissæ ; at medius terminus non ingreditur conclusionem , nec experimur præmissas in conclusione à nobis inter ratiocinandum reperi : ergo intellectus , dum assentitur conclusioni , non fertur in objectum præmissarum.

Respondeo 1. distinguo majoris primam partem , medius terminus ingrederetur conclusionem directè , & vt *quod* , nego : indirectè , & vt *quo* , hoc est , vt ratio formalis assentiendi intrinseca , concedo : at dum aiunt Philosophi medium terminum non ingredi conclusionem , volunt tan-

tum non ingredi conclusionem directè, & vt *quod*. Ad secundam partem, distinguo, præmissæ repetentur exteriùs, nego, interiùs, & mentaliter, concedo: at experientia docet ipsas præmissas repeti saltem, vt quo, quod vel inde patet, quod interroganti, quare concedas: v. g. *Petrum esse animal*, statim reponas, quia *Petrus est homo, & omnis homo est animal*. Deinde licèt experientiâ non constaret præmissas in conclusione aliquatenùs repeti, non ideò tamen inferri deberet eas non repeti, vt observat Arriaga, quia difficilis est experientia actuum intellectus, qui in hac vita cognoscit dependenter à phantasmatis.

Objicies 2. Præmissæ cognoscuntur ante conclusionem explicitè, & quidem priùs naturâ, & aliquando tempore: ergo non cognoscuntur in conclusione.

Resp. dist. conseq. Non cognoscuntur in conclusione explicitè, & vt *quod*, transeat: implicitè, & vt *quo*, nego, quod sufficit.

Objicies 3. Ex falso aliquando sequitur verum, vt in isto syllogismo:

*Omnis arbor est animal:*

*Omnis homo est arbor:*

*Ergo omnis homo est animal.*

In isto, inquam, syllogismo præmissæ sunt falsæ, consequens verum, adeòque bonum: ergo actus, quo assentimur conclusioni, non fertur in præmissas, aliàs simul esset verus, & falsus.

Respondeo non semper dari assensum conclusioni ob veritatem præmissarum objectivè sumptarum, sed ob assensum datum præmissis formalibus; licèt enim objectum non sit tale à parte rei, quia tamen tale est in intellectu, & vt tale

movet intellectum ad assensum, ideò est causa, seu formale motivum conclusionis. Deinde respondet Arriaga ex falso nunquam sequi verum in mente, ideòque hoc pronuntiatum, *ex falso sequitur verum*, valere tantum in argumentatione vocali, & externa.

Objicies 4. Positis præmissis, intellectus licet assensu suo attingat tantum conclusionis objectum, non præmissarum, eliciet conclusionem, quia ex præexistenti cognitione eliciet.

Respondeo, nego in illa hypothese intellectum eliciturum conclusionem ex illis præmissis, quin assentiatur objecto ipsarum. Ratio est, quia per præmissas, ut inferunt conclusionem, extrema conclusionis unita cum medio clarè proponuntur: ergo cum sit potentia necessaria, non potest illi non assentiri.

Instabis: Deus subtrahat concursum ad tertium assensum, quo objecta præmissarum attinguntur, & ejus loco sufficiat alterum, quo præcisè cognoscam Petrum esse animal, nonne adhuc, *Petrus est animal*, erit vera conclusio?

Respondeo non fore, quia non darem assensum objecto conclusionis evidenter cognito ob præmissas.

Objicies 5. Si assensus conclusionis objecta præmissarum attingeret, species, quam in mente relinqueret, non tantum objectum conclusionis, sed ipsa etiam objecta præmissarum repræsenteret; & ita non possemus deinceps meminisse objecti conclusionis, quin statim objecta præmissarum menti obversarentur: at consequens experientiæ repugnat; nam v. g. postquam per discursum cognovi Petrum esse animal, quia est homo, quo-

ties recordor objecti hujus conclusionis, non totum discursum, quem aliàs habui, informo, & retexo: ergo &c.

Respondeo, nego sequelam majoris, quia species memoriæ concredita, quæ multorum objectorum est repræsentativa, vnum tantum objectum sæpè repræsentat; excitatur enim tantum in ordine ad illud objectum, non in ordine ad aliud. Ratio est, quia species illa, vt excitetur ad efficiendum actum, requirit aliquam apprehensionem de suo objecto, aut aliam conditionem physicam; hinc fit, vt hæc species v. g. quam animo meo inculpsit hæc propositio causalis, *Petrus est animal, quia est homo, & omnis homo est animal*, cum quis mihi postea dicit, *Petrus est animal*, aut ex sensatione actuali, quæ prodit à Petro, cognosco esse animal, tunc, excitatur ad eliciendum actum, *Petrus est animal*; non autem ad dicendum, *quia est homo, & omnis homo est animal*, nisi fortè aliquis totam causalem propositionem mihi inculcasset; tunc enim species objecti tum conclusionis, tum præmissarum memoriam refricaret.

## A R T I C V L V S II.

### *De syllogismo.*

**C**IRCA syllogismum quatuor quærenda sunt. Primum, quæ sit natura illius. Secundum, quomodo præmissæ concurrant ad conclusionem. Tertium, an assensus præmissarum necessitet ad assensum conclusionis. Quartum, an conclusio sequatur debiliorem partem.

§. I *Natura syllogismi explicatur.*

VNICA AS. SYLLOGISMVS est oratio , in  
SERTIO. S qua , quibusdam positis , necesse  
est aliud à positis contingere , eo quòd hæc sint.  
Ita Aristoteles I. prior. c. 1. In hac definitione I.  
oratio est instar generis remoti ; oratio enim non  
est genus proximum , sed modus sciendi ; qui pro-  
ximè per definitionem , divisionem ; & argumen-  
tationem contrahitur. 2. quibusdam positis , id est,  
præmissis certo modo dispositis ad inferendam  
conclusionem , vel vt aliis placet , duabus præmis-  
sis concessis , & admissis , vt veris. 3. necesse est a-  
liud ab iis sequi , id est , necesse est conclusionem  
concedere , quia si syllogismus sit in forma , ma-  
jori , & minori concessis , consequentia negari  
non potest. Porrò conclusio dicitur aliud quid à  
præmissis , quia idem ex eodem inferri non po-  
test , sed aliud ex alio ; vt enim idem non potest  
esse sui ipsius causa : ita idem non potest ex se  
ipso inferri , quatenus idem est ; hinc si quis di-  
cat : *homo est rationalis : ergo homo est rationa-  
lis* ; non est vera illatio , quia notitia consequen-  
tis non nascitur ex notitia antecedentis , est enim  
notitia eadem bis repetita.

Quatuor ex hac definitione inferuntur. Primum,  
in quolibet syllogismo duæ præmissæ esse debent,  
vnde deductio , & vis consequentiæ meliùs patet  
in syllogismo , quàm in qualibet alia specie argu-  
mentationis : v. g. in hoc syllogismo , *omne ani-  
mal est corpus : omnis homo est animal : ergo omnis  
homo est corpus* : in prima quidem propositione  
confusè cognosco *omnem hominem esse corpus* ;

omne enim animal continet implicite omnem hominem , & in secunda confuse cognosco *omnem hominem esse corpus* , quia animal includit corpus implicite ; vnde in conclusione cognosco explicitè , & distinctè omnem hominem esse corpus , ex duplici connexionè.

Secundum , conclusio est actus distinctus realiter à præmissis ; est enim aliud quid à positis ex Philosopho.

Tertium , syllogismus si adæquatè sumitur , est ens per accidens ; est enim complexio multarum propositionum inter se ordinarum ; itaut vna ex aliis præcedentibus inferatur , & colligatur : vnde syllogismus relativè ad tertiam mentis operationem , se habet vt includens ad inclusum ; syllogismus enim adæquatè sumptus , præter tertiam mentis operationem , includit iudicia antecedentis : nec tamen sequitur idem se ipsum generare , cum discursus generat scientiam , sed pars syllogismi generat partem , hoc est , antecedens consequens : at in aggregatis per accidens , quæ constant multis partibus , pars vna producit aliam ; ita diximus partem vnam Logicæ producere alteram. Deinde syllogismus parit scientiam habitualem , quam in mente , vt semen relinquit.

Quartum , præmissæ semel concessæ , habent aliquam concludendi necessitatem , quæcunque illa sit , sive specificationis , sive exercitii , patet ex definitione ; hæc porrò est necessitas consequentiæ , quæ fundatur in forma syllogistica , seu in tali dispositione terminorum , ex qua conclusio necessariò sequatur , sicut necessitas consequentis fundatur in connexionè terminorum inter se ; prima necessitas dicitur necessitas ex suppositione ,



secunda necessitas ex natura rei.

Quintum, conclusio est essentialiter cognitio mediata, utpote ex præmissis deducta, & necessariò dependens.

Quæres, an syllogismus ex præmissis aperte falsis ratione materiæ confectus, sed in forma ritè dispositis, sit bonus syllogismus?

Respondeo esse logicè bonum, quia ad præcepta Logicæ exactus est, habétque verum formæ, potèstque esse idea syllogismi. Non tamen usquequaque perfectus est, quia finis Logicæ est cognitio veritatis, & quidem perfectæ: perfecta porrò veritas includit veritatem tum consequentiæ, tum consequentis; hinc nullus perfectus est simpliciter syllogismus, quin idem probativus sit, quia illatio est iudicium in actu exercito de conclusione, propter præmissas: at inferre conclusionem ex præmissis, est probare illam per præmissas.

§. II. *Quomodo præmissæ concurrant ad conclusionem.*

I. OBSERVATIO. **H**ic quæstio instituitur de præmissis formalibus, seu de assensu dato præmissis formalibus, & de conclusione formali, seu de assensu dato conclusioni formali: status itaque præsentis quæstionis est, an præmissæ formales sint causæ physicæ, vel morales, & directivæ conclusionis formalis: seu quod idem est, an assensus datus præmissis causet efficienter, & physicè assensum conclusionis, an verò tantùm moraliter, seu directivè, illuminando intellectum.

II. OBSERVATIO. Causa physica est, quæ

positivo influxu rem producit, ut dum sol lumen producit, intellectus intellectionem, voluntas volitionem. Causa moralis est, quæ causam physicam movet ad producendum effectum, sive imperando, sive consulendo, &c. & ita est causa rei per aliud physicè productæ: sic imperator movet milites ad pugnam, exhortando, & imperando: præceptor Logicæ, docendo discipulos, concurrir dirigendo eorum intellectum, & impellendo ad producendas physicè demonstrationes.

I. ASSERTIO. Præmissæ formales non concurrunt physicè ad actum conclusionis. Ita Arriaga disp. 15. Logicæ, sect. 5. Comptonus disp. 47. Logicæ in libros priorum, sect. 7. aliique recentiores plurimi. Probatur 1. causa tum concurrir physicè, cum positivo influxu producit effectum à se realiter distinctum ex 2. observatione: assensus datus præmissis non producit positivo influxu conclusionem à se realiter distinctam: ergo assensus datus præmissis non concurrir physicè ad assensum conclusionis. Probatur minor, nullus actus vitalis unius potentix producit positivo influxu actum alterum ejusdem potentix: visio oculi v. g. non producit positivo influxu alteram visionem, nec auditio alteram auditionem: assensus datus præmissis est actus vitalis ejusdem potentix intelligentis cum assensu conclusionis: ergo assensus datus præmissis non producit positivo influxu assensum conclusionis.

2. Non magis conclusio pendet physicè à præmissis, quam actus voluntatis ab actu intellectûs: actus voluntatis non producitur physicè ab actu intellectûs: ergo nec conclusio producitur physicè à præmissis. Minor patet; nam actus cognitionis,

tionis, quo voluntati ostenditur bonitas objecti, in amorem illius physicè non influit, sed tantùm proponit voluntati, illuminando, séque habet tantùm instar consultoris.

3. Nulla est necessitas admittendi concursus effectivi præmissarum formalium, respectu conclusionis: ergo non debet admitti. Probatur antecedens, intellectus præmissarum lumine perfusus, est principium physicum sufficiens ex sese, ad elicendam conclusionem ex præmissis; nam ex objecto, & potentiâ paritur notitia, adeoque intellectus instructus specie objecti, per se sufficit ad deducendam ex præmissis conclusionem: ergo nulla est necessitas admittendi ejusmodi concursus effectui præmissarum formalium, respectu conclusionis.

II. ASSERTIO. Præmissæ formales concurrunt moraliter ad actum conclusionis. Probatur: concurrere moraliter, ut hîc sumitur, est impellere, & movere, dirigendo ad assensum conclusionis: præmissæ formales impellunt, & movent intellectum ad assensum conclusionis dirigendo: ergo concurrunt moraliter ad assensum conclusionis. Minor patet; nam præmissæ illuminant intellectum, & ostendunt clarè intellectui utriusque extremi connexionem cum medio, & ita extrinsecè juvant, & determinant intellectum ad assensum conclusionis, quo judicat extrema inter se esse vnita, eò quòd videt esse vnita cum medio.

Confirmatur: quia omne motivum movet, & determinat ad id ad quod est motivum: assensus præmissarum est motivum ad assensum conclusionis: ergo movet, & determinat ad illum.

Objicies I. Ex Aristotele, & D. Thoma præmis-

sæ sunt causæ effectrices conclusionis : ergo concurrunt physicè ad assensum conclusionis.

Resp. dist. antecedens : præmissæ sunt causæ effectrices conclusionis moraliter , hoc est , dirigendo , & illuminando , concedo : physicè influendo , nego antecedens , & consequentiam. Deinde dicuntur causæ effectrices conclusionis reductivè , quomodo consultor dicitur ab Aristotele causa efficiens executionis operis , ad quod consiliis suis concurrat.

Objicies 2. Assensus præmissarum constituit intellectum in actu primo ad assensum conclusionis : ergo concurrat physicè.

Resp. disting. antecedens : constituit in actu primo , moraliter , concedo : physicè , nego. Nempe intellectus constituitur in actu primo ad assensum conclusionis per assensum præmissarum ea ratione , quâ voluntas constituitur in actu primo ad amorem per cognitionem objecti.

Objicies 3. Præmissæ producant speciem sui in intellectu , & quidem physicè : ergo & conclusionem.

Resp. nego consequentiam , quia intellectus imbutus lumine præmissarum , & specie informatus , se solo conclusionem valet elicere. Deinde nego paritatem : dispar ratio est , quia quæ facultas potest minus , non idè plus potest : at minus est producere speciem , quàm conclusionem , siquidem actus quilibet intellectûs aut voluntatis relinquit sui speciem in memoria , nec tamen alium actum producere physicè potest.

Objicies 4. In conclusione tres sunt æquivalentiæ , nempe intellectiõnis , imaginis , & illationis ; at primæ principium physicum est intellectus ; se-

cundæ , species : ergo principium tertiæ effectivum assignari debet , non aliud , quàm præmissæ formales : ergo præmissæ formales sunt principium effectivum illationis.

Resp. nego præmissas assignari debere pro principio effectivo illationis , sed intellectum ipsum , ut habet vim discurrendi , & inferendi vnum ex alio. Ut enim est principium effectivum intellectiois , quatenus vi quadam intelligendi pollet , ita quatenus pollet vi quadam ratiocinatrice , per se vnum ex alio inferre potest , modò præmissarum lumine perfundatur ; formalitas autem imaginis habet principium sui effectivum ab intellectu distinctum , nempe objectum , & speciem , quia intellectio , ut imago , respicit objectum , juxta illud placitum , *ex objecto , & potentia paritur notitia.*

Objicies 5. Dum assentior conclusioni , non est amplius assensus præmissarum : ergo ne quidem potest movere moraliter ; quod enim non est , non magis movet , quàm si nunquam fuisset.

Respondeo 1. negari consequentiam à multis ; quia præsentia causæ moralis , non requirit præsentiam actualem subjecti physicam , ut dicatur agere : sic rex absens movet moraliter subditos ad obedientiam. 2. distinguo antecedens , non est amplius assensus in se , seu entitativè , concedo : per aliquid sui vicarium , hoc est , per actualem sui recordationem , nego. Certè cum moralis influxus præmissarum in conclusionem , in eo potissimum consistat , quòd intellectum illuminent , & illuminando dirigant ; sicut lux , quæ jam non est , sed mox fuit , aërem non illuminat : ita cognitio , quæ extitit , nec existit amplius , non po-

test per se illuminare mentem : quare requiritur actualis memoria præmissarum , quâ intellectus sufficienter illuminatur , quia cùm intellectus recordatur dati assensûs , certus redditur de identitate terminorum cum vno tertio , hoc est , cum medio : ergo potest inferendo conclusionem , pronuntiare eisdem terminos inter se identificari.

Instabis : D. Thomas 1. parte , q. 10. art. 3. docet discursum fieri cum successione vnius iudicii post aliud : at si præmissæ debent adesse , & coëxistere conclusioni , nulla erit successio.

Resp. 1. debere coëxistere conclusioni hoc sensu ; quòd eodem instanti attingi debeant , quo attingitur conclusio , vel in se , vel in sui memoria. At quamvis effluxerint , per memoriam attingi possunt , quatenus recordamur nos illis dedisse assensum , vt habebant rationem inferendæ conclusionis.

§. III. *Anposito assensupræmissarum , intellectus necessitetur ad assensum conclusionis.*

I. OBSERVATIO. **D**VPLEX necessitas hîc distinguenda , altera specificationis , altera exercitii ; prima est , quæ determinat potentiam ad certam speciem actûs : v. g. intellectum ad assensum vel dissensum , voluntatem ad amorem , vel odium , cui opponitur libertas contrarietatis , seu specificationis , quæ est potestas ad actus oppositos : v. g. assensus , & dissensus , amoris , & odii. Secunda est , quæ potentiam ita determinat necessario ad actum , vt non possit non illum exercere : sic potentia visiva , positis omnibus ad videndum requisitis , non potest non

videre. Beati in cælo ita rapiuntur in amorem Dei clarè visi, vt non modò odisse non possint, sed etiam necessariò amare debeant: huic necessitati opponitur libertas exercitii, seu contradictio- nis, quæ potest ponere actum, vel non ponere.

II. OBSERVATIO. Intellectus spectari potest, vel secundùm se, vt est potentia naturalis, & necessaria, vel relativè ad voluntatem, cuius imperio quasi civili subjacet, adeòque potest aliò ex nutu voluntatis avocari, & ita indirectè ab ob- jectò, cui incumbit, ad aliud abduci. His obser- vatis,

I. ASSERTIO. Intellectus, posito assensu præ- missarum, necessitatur ad assensum conclusionis, necessitate specificationis, itaut non possit dissen- tire. Probat 1. ex Aristotele jam citato, dum de- finit syllogisimum, *orationem, in qua, quibus- dam positis, aliud à positis necesse est sequi, ex eo, quòd hæc sint*: ergo assensus præmissarum infert saltem necessitatem specificationis, seu non dissen- tiendi.

Probat 2. Intellectus perinde se habet circa verum clarè propositum, atque voluntas circa bonum evidentè cognitum: voluntas necessita- tur necessitate specificationis circa bonum eviden- ter cognitum, sibi que propositum, itaut illud odisse non possit, vt ostendimus in Morali: ergo etiam intellectus necessitatur necessitate specifica- tionis circa verum clarè sibi repræsentedatum; a- liunde per præmissas verum clarè intellectui pro- ponitur, quatenùs clarè proponunt ipsi connexi- onem extremorum cum medio termino, vnde evidentè patet extrema esse in conclusione inter se vnita.

Probatur 3. Dum intellectus concedit præmissas, concedit virtualiter conclusionem; qui enim fatetur expressè duo esse vnita vni tertio, virtualiter concedit esse vnita inter se: ergo non potest dissentire conclusioni, cui virtualiter in præmissis assensus est; aliàs improbaret in conclusione, quod probavit in præmissis, & ita iudicaret quidpiam simul esse, & non esse.

II. A S S E R T I O. Posito assensu præmissarum, & bonitate consequentiæ cognitâ, modò intellectus extrinsecùs non impediatur, etiam necessitatur ad exercitium actûs. Probatur 1. intellectus est potentia necessaria, quæ, positis omnibus requisitis, necessariò agit: posito assensu præmissarum, & cognitâ bonitate consequentiæ, omnia sunt requisita ad dandum assensum conclusioni: ergo intellectus non potest non assentiri conclusioni.

Confirmatur: vt oculus necessariò videt objectum sibi debitè propositum: ita mens objecto sibi evidentè proposito necessariò assentitur. 2. si quæ facultas posset suspendere assensum intellectûs, maximè voluntas ob imperium, quod habet in intellectum: at voluntas non potest suspendere assensum intellectûs, saltem directè; quia licèt imperet intellectui, ipsûmque aliquatenùs determinet in rebus obscuris, tamen in evidentibus non imperat, adeoque non determinat. Ratio à priori est, quia voluntas rapitur evidentiâ objecti ad assensum. Deinde si voluntas posset intellectum ab agendo directè abducere, cum objectum clarè, & evidentè ipsi proponitur. Quidni à pari posset oculum apertum à videndo colore, quem sibi habet objectum, avocare?



III. ASSERTIO. Intellectus potest impediri ab assensu conclusionis, saltem indirectè, & negativè; indirectè quidem 1. quatenus voluntas potest minuere attentionem intellectûs ad evidentiam objecti, alteri objecto applicando; cum enim sit potentia finita, finitam utriusque habet attentionem, adeoque non potest pluribus simul perfectè attendere. 2. ob paritatem rationis, vi cuius mens suspensa hæret. Negativè, si Deus, etiam concessis præmissis, concursum intellectûi deneget ad eliciendum assensum conclusionis.

§. IV. *Diluuntur objecta.*

OBJICIES 1. Voluntas imperat intellectui, ut potentia motrici: ergo potest directè illius assensum cohibere.

Respondeo, nego antecedens; voluntas enim imperat potentia motrici despoticè, intellectui verò civiliter, & quasi maritali imperio. Deinde distinguo antecedens, in rebus obscuris, transeat: in rebus per se evidentibus; nego antecedens, & consequentiam. Ratio est, quòd intellectus habeat objectum determinatum, nempe evidentiam objecti, quâ semel cognitâ ad actum necessariò determinatur; potentia verò motrix non est determinata ad actum suum ullo genere determinationis, subestque plenissimo voluntatis imperio tanquam illius administra, & quasi pedissequa.

Objicies 2. Admissis, & concessis semel duabus hisce præmissis, *omnis homo est risibilis: Petrus est homo*, potis est intellectus inferre conclusionem directam, dicendo, ergo Petrus est risibilis,

aut indirectam, dicendo, ergo aliquod risibile est Petrus : ergo assensus præmissarum non necessitat ad conclusionem, cum possit pro nutu suo vel directam, vel indirectam deducere.

Respondeo, dato antecedente, nego consequentiam ; vel enim intellectus ad utramque attendit, vel ad vnicam tantum ; si primum contingit, ad utramque necessitabitur : si secundum, ad illam necessariò determinabitur ; ita tamen vt sæpiùs directam conclusionem eliciat, utpote magis naturalem.

Objicies 3. Si intellectus necessariò determinatur ad assensum conclusionis per assensum præmissarum, necessitate specificationis, & exercitii : superfluous est habitus inclinans ad assensum conclusionis

Resp. distingo : Esset superfluous ad necessitandum intellectum, concedo : ad modum operandi, nego. Iuvabit enim intellectum aut aliis distractum cogitationibus aut nimia contentione exhaustum, vt minori cum advertentia, & debiliori concursu actum conclusionis eliciat. Deinde dantur multæ conclusiones probabiles, ad quarum assensum difficulter intellectus adigitur, quo in casu habitus non erit inutilis. Denique docuimus in Morali, habitus mentis probabiliùs non distingui à speciebus.

Objicies 4. Saltem intellectus nunquam erraret in conclusione. Distinguo, ex hypothesi quòd non erravit in præmissis, concedo : secùs, nego ; nam consequenter errabit.

Objicies 5. Vt se habet voluntas ad bonum : ita intellectus ad verum ; voluntas non necessitatur ad exercitium amoris circa bonum particu-

lare : ergo nec intellectus necessitari potest ad exercitium assensûs circa verum particulare , cuiusmodi est verum conclusionis.

Respondeo 1. nego paritatem , quia voluntas est facultas libera , sui que juris , non intellectûs.

Resp. 2. distinguo minorem : voluntas non necessitatur absolutè ad exercitium amoris circa bonum particulare , concedo : non necessitatur ex hypothesi , nego ; ex hypothesi enim quòd voluntas velit efficaciter finem : v. g. doctrinæ acquisitionem , necessitatur ad studium : ita intellectus ex hypothesi assensûs dati præmissis , non potest non assentiri conclusioni.

Objicies 6. Intellectus non assentitur necessariò primis principiis : ergo nec conclusioni.

Respondeo , falsum esse antecedens ex D. Thoma , modò evidenter proponantur , altiùsque penetrentur ; deinde falsa consequentia. Dispar ratio est , quòd non assentiamur principiis evidentiibus , vi alterius assensûs jam dati ; at dum assentimur explicitè conclusioni , illi utique assentimur , cui jam virtualiter , & implicitè assensum in præmissis dedimus.

Objicies 7. Saltem eùm præmissæ sunt probabiles , non assentimur necessariò conclusioni , quia intellectus non rapitur ab evidentia objecti.

Respondeo 1. nihil inde contra meam doctrinam inferri , quia suppono omnia esse requisita.

Resp. 2. distinguo , ex hypothesi quòd assensum dedimus præmissis , nego : secùs , concedo : unde non assentimur absolutè conclusioni probabili , sed ex hypothesi quòd præmissis assensum dedimus.

Instabis ; Determinatur tantùm intellectus ne-

cessariò ad assensum, cum veritas est evidens : ex præmissis probabilibus non apparet evidens : ergo intellectus non assentitur necessariò.

Respondeo, dist. majorem : Si non jam assensus sit conclusioni virtualiter in præmissis, concedo : si assensus sit virtualiter, nego : at dum intellectus dedit assensum præmissis probabilibus formaliter, & explicitè, dedit & assensum conclusioni virtualiter, & implicitè. Sicut licèt voluntas sit libera, vt moveri velit ; tamen ex hypothesi, quòd velit in scholam venire, non est amplius libera, vt velit moveri ; quisquis enim vult explicitè in scholam venire, vult haud dubiè moveri implicitè, & quidem necessariò. Deinde quaestionem hïc potissimùm instituo de præmissis evidentibus.

Instabis 2. Aliter syllogismus demonstrativus est necessarius, aliter probabilis : at par foret vtriusque necessitas.

Respondeo, concedo majorem, quia primus necessarius est ex suppositione præmissarum necessariarum, adeòque absolutè necessarius ; secundus autem est tantùm necessarius ex suppositione præmissarum contingentium, adeòque illius connectio non est necessaria absolutè, quia pendet ex præmissis non necessariis absolutè.

Instabis 3. Saltem intellectus posset simul assentiri duobus judiciis contradictoriis, quia possent fieri duo syllogismi, quorum conclusiones contradictoriè pugnarent : v. g. vtraque hæc propositio, *virtus est utilis : virtus non est utilis*, posset sic probari per præmissas probabiles.

*Qualitas, quæ perficit rationem, est utilis :  
Virtus est qualitas perficiens rationem :*

*Ergo virtus est utilis.*

Contra verò,

*Qualitas, qua appetitum sentientem destruit,  
non est utilis:*

*Virtus est qualitas, qua destruit appetitum sen-  
tientem:*

*Ergo virtus non est utilis.*

Respondeo 1. ejusmodi conclusiones non esse contradictorias, quia ex diversis motivis oriuntur, & ita diversus respectus ad extrinseca, putà ad rationem, & appetitum sentientem, salvat contradictionem, quæ debet esse *απορροια* ad idem.

Respondeo 2. Sicut intellectus non potest assentiri præmissis contradictoriè pugnantibus, quia judicaret idem simul esse, & non esse, ita nec conclusionibus contradictoriè pugnantibus: quare abduceretur ab assensu conclusionum ob illud impedimentum extrinsecum, nempe ob contradictionem in præmissis deprehensam; immò licèt utrique præmissæ incogitanter assensus sit, quòd utramque non deprehenderit sibi virtualiter contradicere, ubi adverteret in conclusionibus sibi contradicere, assensum revocabit, quem utrique dederat.

Objicies 8. Voluntas, positâ intentione efficaci finis, non potest non velle medium necessarium ad finem, nec ab eo etiam indirectè avocari: ergo intellectus, datis, & concessis præmissis, non potest non inferre conclusionem, nec ab ea etiam indirectè revocari.

Respondeo 1. nego antec. potest enim extrinsecè voluntas impediri ab executione medii, adeòque à consecutione finis. Resp. 2. nego consequentiam; dispar ratio est, quòd voluntas positâ effi-

cace finis intentione , non solum velit finem secundum se , sed & consecutionem ejus : ergo vult etiam medium necessarium , sine quo finis non est parabilis : at intellectus per assensum præmissarum constituitur tantum potens in actu primo ad inferendam conclusionem , adeoque potest impediri à Deo per subtractionem concursus , aut aliâ ratione.

§. V. *An conclusio sequatur debiliorem partem.*

I. OBSERVATIO. **M**ODVS conjunctionis medii tertii cum extremis duplex est , alter perfectus , alter imperfectus. Perfectus est simpliciter , cum conjunctio est vera , necessaria , evidens , vniversalis , & affirmativa , ex quo sequitur conclusio simpliciter perfecta. Imperfectus , cum conjunctio aut falsa est , aut impossibilis , aut inevidens , aut particularis , aut negativa , aut simul particularis , & negativa ; hinc

Duplex quaestio nascitur. Prima , an cum vna præmissa est debilior , ratione quantitatis aut qualitatis , aut ratione vtriusque , conclusio sit particularis , aut negativa , aut simul particularis , & negativa , sed quoniam debilitas conclusionis spectari potest , non tantum ratione quantitatis , & qualitatis , sed etiam ratione veritatis , certitudinis , evidentiae , & necessitatis ; hinc

Secunda quaestio est , an cum altera præmissarum falsa est , aut impossibilis , aut incerta , aut obscura , aut contingens , conclusio præmissam debiliorem semper sequatur. Ratio dubitandi est , quia ex falso nonnunquam inferitur verum , & ex impossibili necessarium.

I. A S S E R T I O. Conclusio sequitur debiliorem partem præmissarum tam secundùm quantitatem, quàm secundùm qualitatem ; itaut si vna præmissa sit particularis , aut negativa , conclusio sit particularis , aut negativa. In hac conclusione conveniunt omnes.

Probatur 1. argumento logico : ideò extrema junguntur in conclusione , quia juncta sunt cum medio termino in præmissis : sed aliquando ista extrema junguntur cum medio termino in præmissis , vt alterum jungatur perfectè , alterum imperfectè , & infirmè : ergo necesse est in conclusione extrema conjungi inter se imperfectè , & infirmè ; conjunctio enim extremorum cum medio est causa adæquata conjunctionis extremorum in conclusione : vnde medium duobus terminis nititur , sicut machina duabus trabibus mutuò innexis , quarum si altera deficiat , tota machina necessariò corruit.

Probatur 2. argumento physico : nullus effectus superat perfectionem suæ causæ adæquatæ , quia effectus , vt talis , omnem perfectionem suam à causa adæquata accipit : præmissæ sunt causa adæquata , conclusio effectus ipsarum : ergo non potest conclusio superare perfectionem præmissarum , adeòque si vna præmissa debilior , vitium suum conclusioni communicare debet.

Vtrumque argumentum nititur hoc pronuntiato , *propter quod unumquodque tale , & illud magis* , ad cuius veritatem tria opus sunt. Primum , forma denominans effectum , debet esse ejusdem rationis in causa , & in effectu ; hinc sol non dicitur calidior , nec vinum magis ebrium , licèt sol sit causa caloris , & vinum ebrietatis , quia illi

calor non formaliter convenit, nec huic ebrietas. Secundum, effectus adæquatus debet comparari cum causa totali, & adæquata, à qua necessariò pendet; hinc non valet, Petrus accepit esse à patre: ergo pater habet magis esse: at bene inferitur, creaturæ acceperunt esse à Deo: ergo Deus magis est. Tertium, forma denominans debet esse capax intentionis, & remissionis: quare non valet, *Petrus est risibilis, quia rationalis: ergo rationale est magis risibile.*

Atqui tres ejusmodi conditiones conveniunt præmissis: ergo si ob præmissas conclusio est talis, id est, universalis, vel particularis, affirmativa, vel negativa, præmissæ quoque sunt magis tales, id est, vel universales, vel particulares, vel affirmativæ, vel negativæ. Confirmatur inductione factâ per omnes figurarum modos.

**II. ASSERTIO.** Conclusio nunquam est perfectior per se præmissis, etiam ratione veritatis, evidentix, certitudinis, & necessitatis. Paret ex dictis I. assertionem; nunquam enim major potest esse perfectio in effectu, quàm sit in causa.

Dixi per se; quia per accidens fieri potest, ut conclusio sit perfectior præmissis: v. g. ratione materiæ, aut ex aliqua suppositione, sicut in Phisicis effectus nonnunquam perfectior est suâ causâ, si ab alia causa perfectiori dependeat: v. g. si fax accensa illuminet aërem de die, lumen aëris erit multò perfectius, quàm lumen facis, sed illam perfectionem à sole mutuabitur, non à candela.

**III. ASSERTIO.** Licet conclusio sequatur semper debilem præmissam, probabiliter non semper est æquè debilis ac præmissa. Probat, quia conclusio non tantùm est effectus præmissæ debi-



lis, & infirmæ, sed etiam præmissæ robustioris: ergo potest à præmissa robustiore roboris quidpiam accipere, quo debilitatem alterius præmissæ vincat; dicitur tamen conclusio sequi debiliorem partem hoc sensu, quòd deficiente vna præmissâ, ipsa quoque deficiat; cum enim conjunctio vnius extremi cum medio sit imbecillis, imbecillem debet gignere conclusionem; à causa enim deficiente non potest prodire effectus vsquequaque perfectus; non potest visio perfecta prodire ab oculo infirmo, nec recta ambulatio à tibia claudâ; hinc

Inferantur tria; primum, præmissæ communicant perfectionem, & imperfectionem suam conclusioni, sed dissimili ratione; vt enim communicent perfectionem absque vllò defectu, conjunctio cum medio in præmissis debet esse perfecta ex parte vtriusque extremi; vt autem imperfectionem communicent, satis est, si vel ex parte vnius extremi conjunctio imperfecta sit, quia *bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu*. Secundum, nulla est perfectio in conclusione, vt talis est, quæ non fuerit in præmissis: vnde si conclusio est necessaria, vera, evidens, præmissæ debent esse necessaria, veræ, & evidentes. Tertium, conclusio deducta ex vna scientifica, & altera probabili, vel falsa, vel inevidenti, est tantum probabilis, vel falsa, vel inevidens.

### §. VI. *Diluuntur objecta.*

**O**BIICIENS I. Ex falso potest inferri verum: ergo conclusio non sequitur debiliorem partem. Probatur antecedens: in isto syllogismo v. g.

*omnis homo est lapis : omnis lapis est substantia : ergo omnis homo est substantia , verum ex falso inferitur.*

Respondeo : distinguo antecedens , ex falso potest inferri verum , materialiter , & per accidens , concedo : per se , & formaliter , nego ; nec enim inter falsum formaliter , & verum potest esse vlla connexio , vnde se mutuò inferant. Ad exemplum , conclusio syllogismi est vera quidem , & necessaria , non quòd ex talibus præmissis inferatur , sed quòd talis sit ex suis principiis veris.

Instabis : Si altera præmissa sit vera , altera falsa : conclusio erit simul vera , & falsa ; participabit enim veritatem ab vna præmissa , & falsitatem ab altera ; siquidem conclusio potest ex nobis participare perfectionem vtriusque præmissæ.

Respondeo : nego antecedens , sed erit simpliciter falsa , quia bonum ex integra causa , malum ex quolibet defectu : verum autem est quoddam bonum , falsum quoddam malum : ergo cum vna tantum præmissa sit vera , conclusio simpliciter erit falsa , veritatem enim vnica præmissa non communicat conclusioni , quia perfectio conclusionis oritur ex connexione perfecta vtriusque extremi cum medio. Deinde veritas posita est in indivisibili , & fundatur in esse , sicut falsitas in non esse : at non datur medium inter esse , & non esse : ergo nec inter verum , & falsum.

Quæres , an ex falso possit sequi verum , saltem ex suppositione medii termini ?

Respondeo , vt conclusio sit vera , veritate conse-

quentis, vel utramque præmissam esse veram absolute, vel ad minimum majorem esse veram absolute, & minorem ex suppositione. Ex utraque præmissa absolute vera, conclusio sequitur vera absolute; si major sit vera absolute, & minor tantum ex suppositione, conclusio erit vera ex suppositione, veritate consequentis, & ex natura rei, secundum quid, quia habet majorem veram absolute, quæ, suppositâ minori, habet vim realem ad veritatem inferendam: si major sit falsa, & minor sit, aut supponatur vera, conclusio non erit vera, veritate consequentis, nec absolute, nec ex suppositione, quia deberet esse vera ex majori, quæ est falsa; poterit tamen esse vera veritate consequentiæ ex suppositione, quia supponitur dispositio quidem legitima, sed nullum antecedens verum, quod possit causare veritatem consequentis, & ex natura rei: unde patet ex suppositione falsa sequi aliquando verum ex natura rei, aliquando non sequi, sed tantum ex pura suppositione ob necessitatem consequentiæ: v. g. in isto syllogismo, *omnis lapis est sensitivus: Angelus est lapis: ergo Angelus est sensitivus*, nulla est veritas consequentis, sed solius consequentiæ; in isto autem, *omne animal est sensitivum, lapis est animal: ergo lapis est sensitivus*, conclusio est vera secundum quid, veritate consequentis ex suppositione. Ita Smiglecius.

Objicies 2. Ex impossibili potest inferri necessarium: v. g. valet hæc conclusio: *si per impossibile homo esset equus, esset animal hinnibile: ergo ens potest inferri ex non ente, seu necessarium ex impossibili*. Ut respondeam, sit

I. Propositio. Ex impossibili potest inferri ne-

cessarium, necessitate consequentiæ, quia ex suppositione impossibili potest fieri syllogismus in forma legitima, sed quia hîc agitur de necessitate consequentis, fit

I I. Propositio. Ex impossibili non potest inferri conclusio necessaria, necessitate consequentis per se; per accidens tamen potest inferri, & quidem duplici ratione, sicut ex falso verum. Primò quidem simpliciter, vt *si homo est equus*, sequitur, quòd *homo sit animal*. secundò ex suppositione medii, vt *si homo est equus*, sequitur, quòd *homo sit hinnibilis*; sed hoc discrimen est inter utramque conclusionem, quòd prima non inferatur ex impossibili formaliter, & per se, sed materialiter, & per accidens, seu ex aliis principiis; nec enim ideo homo est necessariò animal, quòd ex eiusmodi præmissa impossibili inferatur, sed quòd talis sit ex essentia sua; secunda verò, quæ necessaria est ratione medii, non deducitur immediatè ab altera præmissa impossibili, sed ab altera possibili necessaria, ideòque conclusio est tantùm necessaria secundùm quid, & simpliciter impossibilis, vt *omnis equus est hinnibilis: omnis homo est equus: ergo omnis homo est hinnibilis*. hominem esse hinnibilem absolutè quidem impossibile, sed ex hypothesi quòd sit equus, necessarium est secundùm quid, quòd homo sit hinnibilis, virtute hujus majoris, *omnis equus est hinnibilis*, quæ absolutè necessaria est, & suam necessitatem conclusioni ex suppositione minoris applicat, sed in utroque exemplo conclusio sequitur debiliorem partem; in primo quidem, quia licèt conclusio sit simpliciter necessaria, non id habet vi præmissarum, sed aliunde, & ita est per acci-

dens isti syllogismo impossibili, quòd conclusio sit necessaria, cùm potiùs ex vi syllogismi impossibilis debeat esse impossibilis; in secundo verò habet ex virtute majoris, quòd sit necessaria secundùm quid, & ita deficit à perfectione majoris, quæ est simpliciter necessaria.

III. Propositio. Argumentatio ab impossibili potest esse utilis, & quidem ad triplicem finem. Primus est, vt detegatur vera causa effectûs, aut prædicati; sublatis enim, & remotis per impossibile à tali subjecto aliis omnibus tum essentialibus, tum accidentalibus, adhuc superesset causa genuina talis effectûs: v. g. si per impossibile homo non esset animal, adhuc distingueretur à bruto per rationale, aut esset risibilis: ergo rationalitas est principium distinctivum hominis à bruto, & causa risibilitatis. Secundus, vt sciatur quænam impossibilia sequantur ex quolibet impossibili; nec enim quodlibet impossibile sequitur ex quolibet impossibili, sed ex tali impossibili tale impossibile; nam si per impossibile homo non esset animal, non sequitur, quòd non esset planta, aut lapis, sed tantùm quòd non conveniret univocè cum bruto, quia principium ejusmodi convenientiæ est animal; hinc pronuntiatum, *impossibile quodlibet suam quasi habet essentiam, & proprietates*. Tertius, redargutio Sophistæ, qui, admissio aliquo impossibili, convinci potest, quòd admittat contradictoria, quia ex impossibili sequitur esse, & non esse, quæ est redargutio. Porrò hîc adverte ex impossibili diverso respectu affirmationem, & negationem æquè inferri posse: v. g. si per impossibile homo non esset animal, sequitur diverso respectu, quòd homo esset ex suppositione,

quia esset rationalis , & quòd non esset homo , ablato scilicet animali , quod est illi essentialis : at non inferuntur eodem respectu , adeòque ex impossibili aliquid inferri aliquando potest.

Objicies 3. Aristoteles lib. 1. prior. docet ex vna de necessario , & altera de inesse , id est , contingente , conclusionem sequi de necessario , vt *omnis currens necessario movetur : Petrus est currens : ergo Petrus necessario movetur* : ergo conclusio partem debiliorem non sequitur.

Resp. nego consequentiam ; conclusio enim ex eo debilior est , quòd sit simpliciter contingens , & secundùm quid necessaria , & ex suppositione antecedenti ; major enim necessaria per minorem debitè applicata confert conclusioni aliquam necessitatem ; quare cùm minor sit simpliciter contingens , & majorem applicet tantùm contingenter , major confert tantùm conclusioni necessitatem secundùm quid , & ex suppositione medii. Quòd si per minorem absolutè necessariam applicaretur ; tunc conclusio esset simpliciter necessaria.

Dixi illam conclusionem necessariam esse secundùm quid , & ex suppositione antecedenti , non consequenti tantùm , quia necessaria est ex suppositione medii , quod cùm sit causa prædicati , affert utique necessitatem antecedentem ; cursus enim est causa quædam motûs ; duplex enim necessarium , alterum ex suppositione antecedenti , sic effectus dicitur esse necessarius ex suppositione suæ causæ , vt *si sol ortus est , dies est* : alterum ex suppositione consequenti , seu rei consequentis , necessario connexæ : v. g. si videam Paulum disputantem , necessarium est consequenter ad visio-

nem meam Paulum disputare.

Instabis : conclusio est necessaria duplici necessitate , nempe ex suppositione antecedenti , quam habet à majori , & ex suppositione consequenti , quam habet à minori : ergo major est necessitas conclusionis , quàm minoris , adeoque non sequitur debilitatem minoris.

Prima responsio est , conclusionis necessitatem non esse majorem intensivè minoris necessitate , sed tantùm extensivè , quia in utraque est tantùm necessitas ex suppositione. Secunda responsio est , dum conclusio dicitur sequi debiliorem partem , etiam perfectionem à majori participare aliquam , quæ est necessitas ex suppositione antecedenti in exemplo allato.

Objicies 4. Ex propositione certa , & evidente , & altera probabili , adeoque incerta conclusio certa infertur , vt *omnis homo est rationalis : Faunus est homo : ergo Faunus est rationalis.*

Respondeo , fundamentum , quòd Faunus dicatur rationalis , esse , quòd sit homo : at illud fundamentum incertum est : ergo incertum quoque an sit rationalis ; fundamento enim ruinoso , & malè materiato , paries firmus niti non potest.

Instabis : Ex necessario , & contingenti potest sequi necessarium secundùm quid ex concessis : ergo ex certo , & probabili certum secundùm quid.

Resp. nego consequentiam ; dispar ratio est , quia in primo suppositio est firma , in qua proinde necessitas aliqua fundari potest : in secundo , suppositio incerta , quæ proinde certitudinem etiam secundùm quid fundare non potest. Porro probabile distinguitur à contingenti , quòd con-

tingens possit omninò esse certum , vt *Petrum currere* , probabile autem non est omninò certum : v. g. quòd *omnes matres diligant filios*.

Objicies 4. Ex duplici præmissa naturali , potest inferri conclusio supernaturalis , si nempe lumen supernaturale concurrat ad conclusionem. 2. ex vna præmissa de fide , & altera scientifica potest inferri conclusio supernaturalis : ergo conclusio non sequitur præmissam imbecilliozem.

Respondeo ad 1. negari antecedens à multis , præsertim ab iis , qui non admittunt lumen supernaturale formaliter discursivum , item ad 2. respondeo negari quoque à multis ; nam si conclusio deducta ex vtraque præmissa supernaturali , non est supernaturalis , multò minùs ex præmissis quarum altera sit de fide , altera naturalis scientifica. Deinde etiamsi consequentia admitteretur , negant alii conclusionem fore ideò robustiorem , quia robur conclusionis petitur ex evidentia majoris : at conclusio supernaturalis est obscura.

### §. VLT. De potestatibus , seu de affectionibus syllogismi.

**H**A CTENVS de syllogismi constitutione , & resolutione differuimus ; superest vt de adjunctis , seu potestatibus illius breviter agamus. Sex numerantur ab Aristotele , nempe conclusio plurium ex vno syllogismo , conclusio veri ex falsis , circulus , conversio syllogismorum , deductio ad impossibile ; denique conclusio ex oppositis.

Prima potestas syllogismi est , plures conclusiones potentiâ continere. Porrò plura concludit syllogismus 1. conversione conclusionis juxta istud



pronuntiatum, *præmissa inferentes conversam, inferunt convertentem, & contra*; cùm enim conclusio possit converti, idem syllogismus, qui infert conversam, infert & convertentem, & vicissim: v. g. ex eodem syllogismo, ex quo colligitur, *omnem hominem esse animal*; colligitur etiam, *aliquod animal esse hominem*, & quo syllogismo infertur, *nullum avarum esse justum*: infertur, *nullum justum esse avarum*.

2. Per inclusionem propositionis in propositione; cùm enim sub vniuersali contineatur particularis, syllogismus idem, qui colligit vniuersalem, colligit & particularem: v. g. qui colligit *omne animal sentire*, colligit, & *omnem hominem sentire* per dictum de omni: qui probat *nullum lapidem esse animatum*, probat etiam *nullum marmor esse animatum*, per dictum de nullo.

3. Per subsumptionem minoris extremi sub medio, vt *omne animal est substantia: omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia*. Item *omnis equus est animal: ergo omnis equus est substantia*. Sed tunc syllogismus dicitur improprie plura concludere, quia semper minor mutatur: vel per subsumptionem sub subjecto conclusionis: vt *omne animal est substantia: omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia*, & *Petrus est homo: ergo Petrus est substantia*.

Secunda potestas: aliquando vera conclusio ex duabus præmissis falsis, aliquando ex altera vera, & altera falsa in omni figura deducitur; ita tamen vt fiat ratione solius consequentiæ, non consequentis, vt *omne ens corruptibile est figura spherica: calum est ens corruptibile: ergo calum est figura spherica*. Excipe modos vniuersales primæ

figuræ , in quibus cùm major est tota falsa , & minor vera , conclusio semper tota falsa sequitur. Porrò tota falsa dicitur propositio , cujus contraria est vera , vt *nullus equus est animal* , cujus contraria , *omnis equus est animal* ; falsa autem ex parte dicitur vniversalis , cujus contradictoria est vera , id est , quæ vniversè quidem falsa est , sed in particularem mutata , fit vera , vt *omne cerasum est dulce* , *nullum cerasum est dulce* , vtraque enim falsa est , non tamen vniversaliter , quia earum contradictoria , & subalternæ sunt veræ : *quoddam cerasum est dulce* , *quoddam cerasum non est dulce*.

Tertia potestas est ratiocinatio in circulum ; fit autem , cùm ex conclusione alicujus syllogismi , & altera præmissa simpliciter conversa , reliquæ syllogismi præmissa concluditur.

Circulus veræ conclusionis effector , fit per eodem terminos , sed aliter dispositos , & eos quidem convertibiles ; aliàs non valeret conversio vniversalis affirmativæ in vniversalem affirmantem , quia ejusmodi conversio non valet , nisi ratione materiæ in terminis reciprocis.

Circulus alter perfectus , alter imperfectus. Perfectus est , cùm vtraque præmissa per eodem terminos probari potest , fitque in *Barbara* , vt *omne sentiens loco se movet* : *omne animal sentit* : ergo *omne animal loco se movet*. Pone conclusionem loco majoris , & minorem simpliciter converte , concludes propositionem , quæ erat major , vt *omne animal se loco movet* : *omne sentiens est animal* : ergo *omne sentiens se loco movet* , aut majorem converte simpliciter , & conclusionem substitue loco minoris , tum quæ priùs fuerat minor , concludes ,

vt

*vt omne movens se loco, sentit : omne animal loco se movet : ergo omne animal sentit.*

Imperfectus est, in quo, altera præmissarum per eosdem terminos duntaxat convertitur. Exemplum habes in *Celarent* : *Nihil corruptibile est æternum : omne quod generatum est, idem & corruptibile : ergo nullum generatum est æternum.* Probatio majoris sic fit : *nihil generatum est æternum : omne corruptibile est generatum : ergo nihil corruptibile est æternum.*

Quarta potestas est conversio seu obversio, cum ex opposita conclusionis, & altera præmissarum, alteram præmissam evertimus; opposita autem conclusioni hinc, vel est opposita contrariè, vel subcontrariè, vel contradictoriè; hinc duplex syllogismus conversivus, primus ex contraria conclusionis, & altera præmissa contrariam, vel contradictoriam alterius præmissæ concludit, vt *quidquid est expetendum, est bonum : omnis virtus est expetenda : ergo omnis virtus est bona*; factâ conversione majoris, concludes in *Felapton* : *nulla virtus est bona : omnis virtus est expetenda : ergo quoddam expetendum non est bonum*; factâ autem conversione minoris, concludes in *Camestres* : *quidquid est expetendum est bonum : nulla virtus est bona : ergo nulla virtus est expetenda.*

Secundus syllogismus conversivus ex contradictoria conclusionis, & altera præmissa alterius præmissæ contradictoriam concludit, vt *omne expetendum est bonum : omnis virtus est expetenda : ergo omnis virtus est bona*; conversâ majore in *Bocardo*, concludes : *quodam virtus non est bona : omnis virtus est expetenda : ergo quoddam expetendum non est bonum*; conversâ item minore in

*Baroco* : quidquid est expetendum , est bonum :  
quadam virtus non est bona : ergo quadam virtus  
non est expetenda.

Finis syllogismi conversivi est deductio ad impossibile.

Quinta potestas est deductio ad incommodum, seu impossibile, de qua jam fusè egimus.

Sexta potestas est ratiocinatio ex oppositis, quæ tunc accidit, cùm ex præmissis vel contradictoriis, vel contrariis, negatio alicujus de se ipso concluditur. Differt à syllogismo ex falsis præmissis syllogismus ex oppositis, quòd in illo verum interdum concludatur : in isto semper falsum; idem fit in 2. & 3. figura.

Oppositio duplex, altera manifesta, altera occulta. Prima est, in qua idem de eodem tam quoad sensum, quam quoad vocem affirmatur, & negatur, vt *omnis virtus est bona : non omnis virtus est bona*. Secunda, in qua idem de eodem quoad sensum, non quoad vocem affirmatur, & negatur, vt *corpus est finitum : corpus est ubique*.

Exemplum sit ex oppositis contradictoriè in *Festino*.

*Nulla scientia est opinio :*

*Quadam medicina est opinio :*

*Ergo quadam scientia non est scientia.*


Finis hujus ratiocinationis est, contradictionis adversarium convincere, quippe qui neget idem de se ipso. Vt si quis fateatur *corpus omne esse finitum*, & tamen pugnet *aliquod corpus ubique locorum existere*, syllogismo ex oppositis demonstrabis, eum corpus admittere, quod sit corpus, & non corpus, hac methodo.

*Omne corpus est finitum*, fatente adversario :

*Quoddam corpus est ubique locorum, ex ejusdem  
assertione :*

*Ergo aliquod corpus non est corpus.*

Porro circa syllogismos, eorumque potestates, multa vitia oriri solent. Sex recenset Aristoteles, cujusmodi est petitio principii, conclusio falsi ex falsa ratione, Elenchus, fallacia secundum opinionem, &c. sed de his agemus in libris Elenchorum.



## A D L I B R O S

## P O S T E R I O R . A N A L Y T I C O R V M .

**S**YLLOGISMVM à materia abstractum hæcenus explicuimus ; jam ut materiæ applicatur, examinare juvat.

Materia syllogismi triplex, necessaria, probabilis, & falsa ; hinc ratione materiæ triplex syllogismus, Demonstrativus, Topicus, & Sophisticus, qui tum materiâ, tum modo concludendi differunt ; materiâ quidem, quia Demonstrativus versatur in materia necessaria, Topicus in materia probabili, Sophisticus in materia falsa : modo autem concludendi, quia Demonstrativus concludit necessariò, Topicus probabiliter, Sophisticus falsò, & deceptoricè. De Demonstrativo agit Aristoteles duobus libris posteriorum Analyticorum ; de Topico octo libris Topicorum : de Sophistico duobus libris Elenchorum. Porro quem finem libris posteriorum Ana-

lyricorum præscripserit Aristoteles, ex sequentibus pronuntiatis faciliè intelliges.

Primum, finis argumentationis est cognitio rerum, ut sunt, ideòque intellectus rei cognitæ ratiocinando adæquari debet, quia res est mensura cognitionis in investigatione veri: itaque probabilibus probabiliter, certis certò assentiri, & falsis, quatenùs falsa sunt, eatenùs dissentire debet.

Secundum, ignoratio materiæ sæpè in causa est, cur incertis tanquam certis, necessariis, & certis tanquam contingentibus, & dubiis, falsis denique tanquam veris, intellectus assentiatur: unde pertinacia, vacillatio, & error sæpè oriuntur.

Tertium, permagni itaque ad veri cognitionem interest, materiæ cujuslibet naturam, & indolem probè nosse, ut necessariam à contingenti, certam à probabili, veram à falsa ritè discernere mens queat.

Quartum, finis partis Analyticæ posterioris est, materiam necessariam aperire, modumque tradere; quo syllogismus in materiam necessariam resolvi, & retexi commodè possit; hinc

Quintum, patet, quæ sit hujus partis supra reliquas; ratione materiæ subjectæ, dignitas, & præstantia: doctrinæ enim excellentia materiæ præstantiâ, & certitudine potissimum æstimatur ex mente Philosophi initio librorum de anima: utrumque sibi hæc pars vindicat, quia inter modos differendi princeps est syllogismus; inter syllogismos demonstratio, quia in materia certa, stabilique versatur.

Sextum, & quoniam syllogismus demonstrativus spectatur vel secundum se, vel ratione effe-

ctus, qui est scientia, geminâ ideò disputatione hæc pars constabit. Prima erit de demonstratione. Secunda de scientia.

## DISPUTATIO PRIMA.

*De syllogismo demonstrativo, seu demonstratione secundùm se.*



RIA in demonstratione examinari possunt, essentia demonstrationis: materia tum remota, tum proxima: variaz demonstrationis species, de quibus ordine nobis agendum.

## ARTICVLVS I.

*De materia remota demonstrationis, seu de præcognitis.*

MATERIA demonstrationis remota, sunt tres termini, ex quibus contexti potest, quorum duo continentur problemate, nempe subiectum, Græcis ὑποκείμενον, & prædicatum, quod est affectio, seu proprietas, Græcis πᾶθος; tertius est medius terminus, seu causa, Græcis αἰτιον seu ἀρχή. Ratio appellationis à potissima demonstratione petitur, quæ affectionem de subiecto per causam probat, vt vim risivam de homine per vim ratiocinandi. Circa tres illos terminos multæ quæstiones fieri possunt; vnam duntaxat hoc articulo discutio, quæ est de præcognitis, vbi naturam demonstrationis paucis explicuero.

§. I. *Quid sit demonstratio.*

I. **D**EMONSTRATIO, Græcis ἀπόδειξις, sumitur latè, & strictè; latè sumpta, idem est ac probatio in genere, sive evidens sit, sive obscura. Strictè accepta, est syllogismus necessarius, qui conclusionem evidentem per medium ex loco causarum vel effectuum, necessariâ quadam consecutione infert, hoc est, tam apertè veritatem ex præmissis elicit, ut quasi eam menti clarè intuendam, & sentiendam proponat, & ut aiunt, ad oculum demonstrat: quo sensu hîc à nobis accipitur.

II. Demonstratio posteriori sensu accepta, definitur à nonnullis, syllogismus, in quo ex præmissis evidentibus rectè dispositis sequitur evidenter conclusio. Syllogismus est instar generis, quia in eo convenit cum syllogismo probabili, & sophistico; reliquæ voces instar differentiæ obtinent, sed ut accuratior illius definitio ex principiis Philosophi erui possit, sit

III. In demonstratione tria sunt; materia, ex qua componitur; forma, per quam constituitur; finis, propter quem construitur; hinc

IV. Ratione materiæ, definitur syllogismus ex veris, primis, immediatis, & notioribus, & prioribus, causisque conclusionis. Ita Aristoteles lib. I. poster. Analyt. c. 2. ἀνάγκη καὶ τῆν ἀποδεικτικὴν ἐπισήμην, ἐξ ἀληθῶν τεῖναι, καὶ πρώτῳ, καὶ ἀμέσῳ, καὶ γνωριμωτέρῳ, καὶ προτέρῳ, καὶ αἰτίῳ τῶ συμπεράσματος.

V. Ratione formæ, definitur syllogismus perfectus.



VI. Ratione finis, seu effectûs, syllogismus patiens scientiam: ἀπόδειξις δὲ λέγεται συλλογισμὸν ἐπισημονικόν; ἐπισημονικόν δὲ λέγεται καθ' ὄν, τῷ ἔχειν αὐτὸν ἐπιστάμεθα: *Demonstrationem autem dico ratiocinationem eam, qua scientiam efficit: eam vero scientiam efficere aio, quâ scimus, eam ipsam habendo.* Parit itaque scientiam syllogismus, vel actualem, si sumitur secundum præmissas, quarum vi elicitur conclusio, quæ est scientia actualis: vel habitualem, si sumitur secundum conclusionem; scientia enim actualis parit habitualem, quam ut semen quoddam futurorum actuum in mentem relinquit. Porro per scientiam hic intelligit scientiam discursu partam, seu syllogisticam; nam cognitio primorum principiorum aut definitiva, non sunt propriè scientia, sed illa dicitur intellectus, hæc verò definitio; at

Quæres, quomodo demonstratio faciat scire?

Respondeo duplici modo id posse intelligi, 1. effectivè, quatenus in nobis generat novam scientiam à se distinctam, eo modo, quo præmissæ generant scientiam conclusionis: vel formaliter, seipsâ faciendo nos scire, itaut scientia sit effectus formalis demonstrationis, sicut esse album est effectus formalis albedinis, quem modum videtur innuere Aristoteles his verbis cap. 2. *Scientificum syllogismum dico, secundum quem, eo ipso, quod ipsum habemus, scimus.* Conciliari utcumque possunt ambæ sententiæ; nam si per demonstrationem, intelligas præmissas demonstrationis, demonstratio facit scire effectivè, quia facit inferri conclusionem, in qua continetur scientia ex præmissis deducta; sin autem per demonstrationem, intelligas non tantum præmissas, sed ipsam etiam

conclusionem , tunc demonstratio nos facit scire formaliter , & est principium formale sciendi , quod facit intellectum formaliter scientem , se ipso perficiendo , & informando ipsum , sicut albedo est principium formale albi , constituens formaliter album in ratione albi ; hinc

Iuxta primam sententiam , syllogismus dicitur verè instrumentum sciendi , quia instrumenti est causare effectivè : at præmissæ causant effectivè scientiam conclusionis. Iuxta secundam sententiam , non dicitur instrumentum sciendi actualiter , quia non per modum instrumenti causat efficienter scientiam à se realiter distinctam , sed per modum principii formalis informando , facit scientiam demonstrativam , id est , quæ per ipsam demonstrationem formaliter habetur , nisi de scientia habituali intelligas.

V I I. Demonstrationis duplex species , altera perfectissima , & à priori , Græcis *διότι* : altera minùs perfecta , & à posteriori , Græcis *ὅτι*. In illa medium petitur ex loco causarum , & definitur conclusio effectûs per causam , quæ Latinis potissima , Græcis *κωίως ἀπόδειξις* , *demonstratio proprie* , & *principaliter* , dicitur : in ista medium ex loco effectûs ducitur , ideòque definitur conclusio causæ per effectum.

### §. II. De præcognitis.

I. OBSERVATIO. **O**MNIS cognitio scientifica , discursiva cùm sit , requirit quasdam præcognitiones ex lib. I. priorum : *omnis doctrina , & omnis disciplina est ex præexistente cognitione* , id est , ex præexistente iudicio principiorum , & antecedentis , ex quibus cognitio per discursum

deducatur. Vt enim in Physicis ex nihilo nihil fit, sed ex præjacente materia : ita nulla conclusio cognoscitur ex nihilo , sed ex quibusdam principiis antegressis , & præcognitis , in quibus virtute continetur , inferri solet. Id ipsum repetit Aristoteles 6. Ethic. c. 4. Ex προγνωστικῶν πάντων διδασκαλία : *omnis disciplina ex præcognitis est.* Certè nihil docetur , aut discitur , nisi quatenus ex aliquo noto in cognitionem ignoti devenitur , vt patet inductione factâ per omnes disciplinas , quæ præcognitionibus quibusdam solent ad ignoti cognitionem proludere. Deinde vna cognitio potest alteram virtute in se continere , vel quia vniversalis illa est , hæc particularis , vniversale autem præcontinet particulare potentiâ : qui novit *omnem hominem esse animal* ; novit utique virtute *hunc hominem esse animal* : vel ob connexionem cognitionum inter se ; vt enim res ita inter se connectuntur , vt vnâ positâ ponatur necessariò , & altera , quòd sit de essentia alterius , aut certè causa , vnde vna infertur ex altera ; nam ex homine infertur animal , ex rationali risibile : ita cognitiones , quæ sunt rerum typi , nectuntur inter se , & cohærent , vt vna possit inferri ex alia.

II. OBSERVATIO. Prænotio itaque , seu præcognitio , est cognitio illa , quæ ita demonstrationem antecedit , vt aliquo modo ad eam concurrat ; præcognitum verò , quod debet prænosci ante demonstrationem , quia demonstratio est cursus quidam mentis ab vna veritate ad alteram. De præcognitis agit Aristoteles lib. 1. poster. cap. 1. & 8.

III. OBSERVATIO. Triplex præcognitionis species ; præparans , dirigens , & agens. Præparans

est cognitio sensuum , quæ viam menti sternit remotè ad cognitionem intellectualem. Dirigens est cognitio eorum ; quæ præcognosci debent , antequam fiat demonstratio. Agens , seu efficiens , quæ non requiritur tantùm vt dispositio , sed vt causa effectrix alterius cognitionis : sic præmissæ causant efficienter conclusionem. Porrò nec de præparante hîc agitur , quia communis est omnibus operationibus intellectûs : nec de agente propriè , quia præmissæ non debent necessariò prænosci ante demonstrationem , nisi per demonstrationem , vñam conclusionem intelligas. Itaque de sola dirigente agitur , quæ dividitur in prænotionem , quid sit , & quod sit. Prænosse quod sit , est præcognoscere existentiam rei , vel possibilitatem : prænotio quid sit , iterum duplex , altera nominis , quâ nominis significatio prænoscur : altera rei , quæ est prænotio essentiæ.

I. A S S E R T I O. Tria debent cognosci ante demonstrationem ; duo ex parte problematis , subiectum nempe , de quo aliquid ostenditur , & prædicatum , quod de subiecto ostenditur : tertium , principia , ex quibus connexio prædicati cum subiecto infertur. Probatur , quia his tribus præcognitis potest fieri demonstratio , & si eorum aliquod ignoretur , fieri non potest : ergo hæc tria requiruntur.

Objicies 1. Medium demonstrationis debet præcognosci , 2. ipsæ præmissæ debent quoque præcognosci : ergo sunt quinque præcognita.

Respondeo ad 1. distinguo , medium demonstrationis debet cognosci ante demonstrationem , nego : in ipso fieri demonstrationis , transeat. Ad 2. eadem responsio valet : Aristoteles enim

præcognita vocat, quæ non includuntur in demonstratione, adeoque præmissæ inter præcognita numerari non debent, nisi per demonstrationem solam conclusionem intelligas.

**II. ASSERTIO.** Ante demonstrationem, de subjecto præcognoscendum, 1. quid nominis, 2. an possibile sit. Patet prima pars; nam si velim probare hominem esse risibilem, nisi sciam quid vox, *homo*, significet, non possum de eo demonstrare risibilitatem potius, quàm de alio subjecto vivente: ergo debet priùs cognosci ante omnem demonstrationem de subjecto, saltem quid nominis.

Probatur secunda, quia de non ente non probatur proprietas: ergo debet præsupponi rei possibilitas; nisi fortè in ipsa demonstratione possibilitas subjecti probetur; tunc enim supponi non debet, quia de subjecto concluditur.

Objicies 1. Debet etiam præcognosci de subjecto, *quid rei sit*: v. g. cum proprietatem per definitionem subjecti concludimus, putà hominem esse intellectivum, quia est rationalis. 2. nostra scientia experienciâ quasi obstetrice paritur: ergo debet præcognosci subjecti existentia, non tantùm possibilitas.

Respondeo ad 1. nego antecedens, sed satis est in ipsa demonstratione cognosci, quia tunc definitio subjecti assumitur tanquam medium. Deinde cum Astrologi probant lunam pati defectiōnem ob interpositionem terræ inter ipsam, & solem, essentiam lunæ non curant. Item cum Philosophi demonstrant multos effectus per causas suas, licet essentia subjecti, cui tales effectus attribuantur, non cognoscatur distinctè, confusè sal-

rem quoad accidentia exteriora , putà figuram , & alia ejusmodi cognosci debet.

Respondeo ad 2. Licet experientia ad scientiam prærequiri videatur , tamen sæpè ex iis , quæ experti sumus , ad cognitionem rerum multarum assurgimus , quarum experientiam non habuimus ; sic habemus scientiam de Deo , & Angelis , qui non cadunt sub experientiam. Deinde possumus præscindere ab experientia in demonstrando , vt patet experientiâ ; probamus enim de homine , quòd sit risibilis , ab illius existentia abstrahendo ; quòd si tamen velimus probare aliquod accidens commune subjecto inhærere , putà *hominem esse album* , tunc supponitur subjectum existere.

III. ASSERTIO. De prædicamento problematis præcognosci debet quid nominis ; deinde quid rei , saltem confusè , non autem an sit. Probatur prima pars , nemo enim sapiens de homine vim admirandi concluderit , nisi antè noverit , quid significet vis admirandi , & quæ illi notio subjecta sit. Probatur secunda , quia non possum affirmare vnum convenire alteri , nisi naturam illius aliquatenus sciam in confuso. Dixi in confuso , quia perfecta , & distincta notitia prædicati per demonstrationem acquiritur. Probatur tertia , quia per demonstrationem cognoscitur de prædicato , seu de passione , an sit , cum concluditur subjecto inesse. Adde quod sæpè in multis demonstrationibus colligitur possibilitas prædicati , seu passionis. Porrò nomine passionis licet potissimum proprietas de subjecto demonstranda intelligatur , sæpè tamen concluditur aut pars essentialis , aut definitio per aliam probatur , quæ ideò passio di-

citur , quia dum ita concluditur , passionis modum habet.

Quæres , an prænotiones de prædicato , & subiecto , acquirantur per discursum ?

Respondeo interdum acquiri : v. g. cum conclusionem vnius syllogismi pro antecedenti alterius assumimus : interdum experientiâ , vel penetratione majori terminorum.

IV. ASSERTIO. De principiis prænotari debet , quòd sint , id est , quòd vera sint , quia principia complexa non alia ratione esse censentur , quàm cum vera esse sciuntur. Ratio est , quòd veritas demonstrationis ex illorum principiorum veritate pendeat. Porro cognoscere principia esse vera , idem est ac cognoscere esse semper , & necessariò vera ; aliàs conclusiones ex iis deductæ , non essent necessariæ.

Quæres , quid nomine principiorum intelligi debeat ? an principia communissima , cuiusmodi sunt , *quidlibet est , vel non est : impossibile est idem esse , & non esse : de quolibet vera est affirmatio , aut negatio*. An verò principia propria , & immediata conclusionis inferendæ ?

Respondeo probabiliùs hîc principia propria , & immediata cuiusque conclusionis inferendæ intelligi , cuiusmodi sunt definitio subiecti , aut præmissæ. Ita Conimbricenses , & Smiglecius ; tum quia conclusio à præmissis immediatè pendet , & iis mediantibus ab aliis communissimis : vnde 1. poster. c. 2. & 6. Ethic. c. 3. probat Aristoteles præmissas ante conclusionem prænotari oportere.

Quod autem Aristoteles , 1. poster. c. 2. videatur exigere prænotationem communissimorum principiorum , id ita interpretor cum Fonseca 1. Met.

cap. 2. q. 2. sect. 8. quòd prænoscenda velit Aristoteles non in se formaliter , sed implicitè , & virtualiter , vt includuntur in terminis principiorum cuiusque demonstrationis priorum : v. g. vt probes hominem esse risibilem , hoc principium accipies , *homo est animal rationale* , quod si ritè penetres , debes vtique scire hominem non posse esse simul animal rationale , & non esse , item vel esse animal rationale , vel non esse. Et sanè ipse Aristoteles c. 8. docet hoc principium , *impossibile est idem simul esse , & non esse* ; in demonstratione ad impossibile deducente , non assumi sub his terminis communibus , sed prout ad genus demonstrationis faciendæ traducitur.

Distingue , si voles , ingressum demonstrationis , & progressum , & dicito ante ingressum demonstrationis , prænoscenda esse tria , subjectum , passionem , & principia propria illius demonstrationis ; in progressu verò medium , tam quoad quid nominis , tam quoad quid rei , & consequentiæ bonitatem ; & ita quinque erunt præcognita. Sni glecius pugnat medium esse præcognitum necessarium respectu præmissarum immediatè , quarum est terminus ; respectu autem conclusionis , cuius causa est ob connexionem extremorum , ait cognosci in præmissis , quæ connexionem illius cum extremis continent ; formæ quoque syllogisticæ prænotionem immediatè ad præmissas pertinere , & ita concludit tria esse tantùm præcognita immediata , respectu conclusionis , nempe subjectum , & prædicatum conclusionis , deinde præmissas.



## ARTICVLVS II.

*De materia proxima demonstrationis.*

**V**T termini sunt materia remota demonstra-  
tionis ; ita præmissæ sunt materia proxima,  
& principia conclusionis ; quia ab illis incipit  
scientia ; scientia autem discursu parta est cog-  
nitio veri per causam , propter quam est , & quòd  
causa sit , & quòd non contingat aliter se habere  
ex lib. 1. poster. c. 2. ex qua definitione patet præ-  
missas debere esse veras , 2. necessarias , 3. causas  
conclusionis , 4. priores , quia sunt causæ , 5. no-  
tiores , quia conclusionem luce suâ perfundunt ,  
denique immediatas. De singulis istis conditioni-  
bus breviter ago.

S. I. *An præmissa demonstrationis debeant  
esse vera.*

I. ASSER-**P**RÆMISSÆ demonstrationis de-  
TIO. bent esse veræ. Ita Aristoteles 1. po-  
ster. c. 2. ἀληθὴ μὴ εἶναι δεῖ εἶναι , ὅτι ἐκ ἑστὶ τὸ μὴ  
ὄν ἐπίστασθαι : vera igitur esse oportet , quia fieri  
nequit , ut id quod non est , sciatur , id est , ut ex-  
ponit Philoponus , falsi non est scientia ; hinc sic  
arguo , hoc pronuntiatum Aristotelis vel de præ-  
missis accipitur , vel de conclusione ; si primùm,  
sensus est , esse præmissarum , est veritas earum ,  
quia sunt entia complexa in connexionione prædi-  
cati cum subiecto posita : at connexio prædicati  
cum subiecto tunc est , cùm vera est : ergo esse  
præmissarum , est veritas earum : ergo præmissæ

debent esse veræ ; cùm enim sint ratio sciendi conclusionem , utique debent esse veræ , quia illarum esse est veritas , & sunt causæ conclusionis : si de conclusione , sensus est , conclusio , de qua habetur scientia , debet esse vera , quia non ens , seu falsum sciri non potest : ergo & præmissæ debent esse veræ , quia propter præmissas veras conclusio dicitur vera ex natura rei , tum ratione materiæ , tum ratione formæ ; hinc

Duo inferuntur. Primum , de falso in actu exercito non potest haberi scientia , 1. quia non ens non est scire ; at falsum , quæ falsum , est non ens : ergo sciri non potest. 2. scientia est cognitio rei per causam , propter quam res est : falsi nulla causa est , propter quam sit , aliàs verum esset. 3. in omni genere , quod est falsum , simpliciter non est tale : falsum aurum v. g. non est aurum : ergo in genere scientiæ , falsa scientia non est scientia. Dixi in actu exercito ; nam in actu signato de falso , ut falsum esse cognoscitur , datur scientia ; verum enim est falsum esse non ens , & contrarium vero.

Secundum , ex falsis præmissis non potest scientia haberi , quia ex præmissis falsis non potest inferri verum formaliter , licet aliquando ex falso verum materialiter , & per accidens inferri possit , quia verum nullam habet ex natura rei connexionem cum falso : at conclusio debet esse vera formaliter propter præmissas. Deinde præmissæ debent continere causam conclusionis , propter quam res est ; at causa propter quam res est , est causa vera : quare scientia putata ex falsis præmissis tantùm habetur , non vera ; sicut certitudo existimata , & apprehensa , ut in errore , & hæresi.

Quæres, an dentur propositiones semper veræ? Respondeo dari & negativas, & affirmativas; negativas quidem, in quibus prædicatum à subjecto removeretur, quod impossibile est illi tribui, ut *homo non est equus: rationale non est hinnibile*; affirmativas verò, in quibus definitio, vel pars definitionis de definito, vel proprietas de suo subjecto dicitur: ut *homo est animal rationale: rationale est risibile*: propositiones enim, quæ significant prædicatum necessariò includi in subjecto, aut ex eo posito necessariò sequi, sunt sempiternæ veritatis: at tales sunt propositiones, in quibus definitio, vel pars definitionis de definito, vel proprietas de suo subjecto prædicatur: ergo sunt semper veræ; aliæ autem, in quibus nec definitio, nec pars definitionis de definito, nec proprietas de subjecto prædicatur, non sunt veræ, nisi prædicatum, quod de subjecto dicitur, ipsi inexistat, ideòque dicuntur temporariæ veritatis, ut jam observavimus parte 5.

Quæres 2. an præmissæ debeant esse veriores conclusionem.

Respondeo nec debere, nec esse, quia veritas propositionis est adæquatio cum objecto; at ubi est adæquatio, ibi non est magis, & minus; sic inter multas lineas inter se æquales, vna non est magis æqualis alterâ, æqualitas enim in indivisibili posita est: at sicut linea curva potest esse magis curva alterâ, quia est capax augmenti, & decrementi: ita vna propositio potest esse magis falsa, quàm altera: & ita inæqualitas, & falsitas potest esse major aut minor, non autem æqualitas, & veritas; quia veritas est quædam rectitudo, & æqualitas, falsitas verò obliquitas quædam, &c

curvitas, vt ita dicam; hinc pronuntiatum Aristotelis lib. 1. poster. c. 2. *propter quod unumquodque est tale, & illud magis*, cùm de veritate agitur, non valet, quia veritas non suscipit magis, & minus: at conditio requisita ad veritatem hujus pronuntiatum est, vt forma sit capax intensionis, & remissionis. Certè illud pronuntiatum non semper valet in causa finali, vt peccatum propter Deum est odio habendum: ergo Deus magis est odio habendus, nulla consequentia; valet tamen in aliquibus, vt medicina est amanda propter sanitatem: ergo sanitas est magis amanda. Non valet in causa formali, vt paries est albus propter albedinem: ergo albedo est magis albã; nec in materiali, nam materia prima dicitur esse causa, cur entia corporata corruptioni obnoxia sint, nec tamen rectè infertur: ergo materia est magis corruptibilis. Denique non valet in causa efficiente vniversim, vt homo propter vinum est ebrius: ergo vinum est magis ebrium.

Non nego tamen præmissas dici posse aliquatenus veriores conclusione hoc sensu, quod immediatius sint veræ, quàm conclusio; conclusio enim, vt talis est, non est vera, nisi mediantibus præmissis.

Dices: Id magis dilectum est, propter quod diligimus: v. g. sanitas est magis dilecta, quàm medicina, quia medicinam diligimus propter sanitatem: ergo præmissæ sunt veriores conclusione, quia propter præmissas assentimur conclusioni. Deinde præmissæ possunt esse certiores conclusione: ergo & veriores.

Respondeo ad 1. in hoc parem esse rationem, quod sicut prius diligimus sanitatem, quàm me-

dicinam : ita priùs præmissis assentimur , quàm conclusioni ; adeoque sicut finis est immediatius amatus , quàm media : ita præmissæ sunt immediatius veræ , quàm conclusio. Ad 2. disparitas quoque est , quia veritas in indivisibili posita est , certitudo autem oritur ex evidentia , quæ suscipit magis , & minus , sicut lumen corporeum , sed de veritate præmissarum satis , jam de immediatione.

§. I I. *An præmissæ demonstrationis debeant esse immediate.*

I. O B S E R - P R O P O S I T I O potest dici IMMEDIATA vel in ordine ad se ipsam , vel in ordine ad conclusionem. In ordine ad se ipsam iterum duplex ; altera immediatione subjecti , cum prædicatum convenit subjecto , nullo alio subjecto mediante , cui priùs insit prædicatum , ut *homo est rationalis* ; non enim est aliud subjectum , cui priùs conveniat rationale , quàm homini : altera immediatione causæ , cum nulla datur alia causa immediata , cur prædicatum insit subjecto , ut *homo est animal* ; duo enim isti termini se ipsis immediatè connectuntur. Porrò propositio potest vel utroque modo esse immediata , hoc est , ratione tum subjecti , tum causæ , ut *homo est rationalis* : vel esse immediata ratione subjecti , non ratione causæ , ut *homo est risibilis* , quia inter hominem , & risibile , nullum interjacet subjectum , cui priùs risibile insit , licèt mediet rationalitas , ut causa : vel ratione causæ , non ratione subjecti , ut *homo est sensitivus* ; mediat enim animal inter hominem , & sensitivum ut nativum sensitivi sub-

jectum, at non mediat causa, quia essentialia non habent causam. Propositio immediata in ordine ad conclusionem ea est, quæ causam conclusionis immediatè continet.

II. OBSERVATIO. Aristoteles propositionem immediatam accipit, ut est immediata ratione causæ. Paret ex contextu, ubi propositionem immediatam definit, quâ non est alia prior: at hæc definitio convenit soli propositioni immediatæ, ratione causæ, quia immediata ratione subjecti potest per aliam priorem demonstrari: nam hæc propositio, *homo est risibilis*, per istam demonstratur, *homo est rationalis*: quare propositio prima, indemonstrabilis, & immediata, sunt termini synonymi. Porrò satis est ad propositionem immediatam, quòd in suo genere causæ per aliam probari non possit, licèt per causam diversi generis probari possit, quia in suo genere est immediata, respectu sui effectûs.

III. OBSERVATIO. Propositiones immediatæ ratione causæ, triplicis sunt generis, i. essentialia, in quibus definitio aut pars definitionis de definito prædicatur: ut *homo est rationalis*, *homo est animal*. 2. propositiones causales, in quibus effectus prædicatur de sua causa immediata, ut *homo est discursivus*; nam inter hominem, ut rationalem, & discursivum non mediat alia causa. 3. propositiones negativæ, quarum termini in aliquod genus superius, per quod probari possint, non resolvuntur, ut *quantitas non est qualitas*: *actio non est passio*.

IV. OBSERVATIO. Propositio potest esse immediata vel actu, vel virtute. Immediatæ actu sunt illæ, quæ non habent medium, per quod à prio-

ri demonstrantur, ideóque dicuntur primæ ex natura sua: immediatæ virtute, quæ non sunt per se primæ, sed æquivalent immediatæ, quatenus jam probatæ sunt per prima, & immediata principia, quorum evidentiam, & certitudinem obtinent. His observatis, sit

I. A S S E R T I O. Omnis demonstratio debet esse ex præmissis vel actu, vel virtute immediatis. Probat, quia aliter daretur processus in infinitum; intellectus enim nunquam sisteret in principio certo, immediato, & indemonstrabili.

II. A S S E R T I O. Demonstratio non debet semper esse ex præmissis actu immediatis. Ita Aristoteles cap. 2. hujus libri, & lib. 1. Topic. c. 1. ubi ait demonstrationem esse ex primis, aut quæ à primis fidem acceperunt, id est, quæ jam per primas, & immediatas propositiones probatæ sunt. Probat, ratione: in scientiis subalternis conclusiones demonstrativæ non procedunt ex principiis actu immediatis, quia principia ipsarum sunt conclusiones subalternantis scientiæ; sic principia physica sunt conclusiones metaphysicæ: ergo dantur demonstrationes ex principiis, virtute duntaxat, immediatis; hinc sequitur ex vno demonstrato posse demonstrari aliud, ideóque principia non esse semper immediatè prima.

III. A S S E R T I O. In demonstratione potissima præmissæ debent esse immediatæ actu. Probat, quia in demonstratione potissima propria, passio de proprio subjecto, per propriam causam concluditur: at talis demonstratio haberi non potest, nisi ambæ præmissæ sint actu immediatæ; major enim debet esse causalis, & minor essentialis, ut *omne rationale est discursivum: omnis*

*homo est rationalis : ergo omnis homo est discursivus.* Certè in demonstratione potissima omnia debent esse perfectissima. Non tantùm præmissa utraque debet esse immediata actu , sed demonstrans debet etiam posse solvere rationes contrarias , nihilque certius habere , quàm principiorum opposita falsa esse , inquit Aristoteles lib. 1. poster. c. 2. εἴπερ δὲ τὸν ἐπιστάμνον ἀπλῶς ἀεὶ τὰ ὅτι τὸν εἶναι : oportet enim , qui scientiam sit consecutus , ab ea nulla persuasionem dimoveri. Præterea debet posse resolvere conclusionem in propria principia , & quidem per se , quia in iis continetur causa conclusionis , à qua per se pendet conclusio ; non tamen debet per se posse resolvere in principia communissima , cujusmodi est , *quidlibet est , vel non est* , sed per accidens tantùm , quatenus tenetur principia contra disputantem defendere , & si pertinax sit , ad impossibile deducere.

§. III. *An præmissa in demonstratione debeant esse necessaria.*

I. **I**D quod scitur , impossibile est aliter se habere ex Philosopho , ideòque ex hac conditione probat præmissas demonstrationis debere esse *necessarias , de omni , per se , & universales.*

I I. Necessitas , ut spectat ad propositiones , est insolubilis nexus prædicati cum subjecto , ideòque ex materia petitur : contingentia verò nexus solubilis prædicati cum subjecto.

I I I. Tres sunt necessitatis gradus ex Aristotele lib. 1. post. c. 5. ideòque ad summam necessitatem propositionis tria requirit Aristoteles , 1. ut sit *κατὰ παντός* , de omni. 2. *καθ' αὐτὸ* , per se. 3. *καθόλου ἀπὸ τοῦ πρώτου* , de universali primo.



I v. Prima conditio *de omni*, postulat ut propositio sit vniversalis posterioristicè, id est, omnibus, & semper conveniat. Porrò duplex *de omni*, aliud prioristicum, aliud posterioristicum; primum definit in libris priorum, quod habet signum vniversale, siue semper sit, siue non, seu cum quidquid de subiecto alicujus propositionis dicitur, potest etiam dici de omnibus sub eo contentis siue verè, siue falsò. Secundum definit Aristoteles c. 4. lib. 1. post. *Quod utique inest, non in aliquo quidem, in aliquo non, neque aliquando quidem, aliquando non*, id est, quod non alicui subiecto particulari tantum inest, sed omni vniversaliter, nec aliquando tantum, sed semper. Brevius, quod toti subiecto inest, & semper: quare *de omni* prioristicè ratione signi vniversalis, seu formæ, dicitur: *de omni* posterioristicè ratione materiæ, quia ex natura rei omni subiecto, & omni tempore inest; quæ propositio habet hanc primam conditionem, dicitur necessaria in primo gradu.

Secunda conditio *per se*, exigit, ut prædicatum per se cum subiecto connectatur, hoc est, per naturam prædicati aut subiecti, non autem per accidens; nam hoc loco *per se*, sumitur ab Aristotele, ut opponitur ei, quod est per accidens, ut patet ex tex. 8. & 15. *ὅσα δὲ μὴ ἀπέχονται ἀπὸ τῆς οὐσίας*: qua verò neutro modo insunt, accidentia; hæc necessitas juncta cum priori, propositionem facit necessariam in secundo gradu.

v i. Quadruplex est perfectitatis modus, quo termini inter se connectuntur: duo per se prædicandi, tertius per se essendi, quartus per se causandi. Primus modus per se prædicandi est, cum

prædicatum est de essentia , & definitione subjecti ; talis est prædicatio generis de specie , vt *homo est animal* : vel differentia de specie , vt *homo est rationalis* : vel speciei de individuis , vt *Petrus est homo*. Secundus est , cùm subjectum est de essentia , seu definitione prædicati , & hic modus continet prædicationes accidentium priorum de subjectis , vt *homo est risibilis*. Quanquam hic modus subdividitur à Philosophis in principalem , & minùs principalem ; primus est , quo accidens perfectè proprium subjecto tribuitur , vt *homo est risibilis* : *corpus est mobile* ; minùs principalis est , quo accidens imperfectè proprium tribuitur subjecto , vt *homo ridet* : *homo loquitur* , qui modus contingentiam habet admixtam.

Tertius modus per se , est modus per se essendi , qui substantiis convenit , quæ per se existunt , accidentia autem per substantias existunt.

Quartus modus per se , est modus per se causandi , cùm causa per se ordinatur ad talem effectum , seu cùm propter causam aliquam talis est effectus , vt *jugulatus interiit* ; jugulatio enim per se est causa interitûs : huic modo causandi opponitur modus causandi per accidens , vt si , Petro ambulante , fulguravit , ambulatio non est causa per se fulgurationis. Ad hunc modum causandi per se revocantur istæ propositiones , *ignis est calidus* : *sol est lucidus*. Certè in ejusmodi propositionibus nec prædicatum est de essentia subjecti , nec subjectum est de essentia prædicati , & tamen per se videntur subjectis prædicata illa inesse , quia per se causantur à talibus subjectis ; vnde si per se ab illis non causarentur , non per se inexistèrent. Porrò causa potest dici dupliciter causa per se alijus

cujus effectus, 1. quoad essentiam, iradit talis effectus non possit esse, nisi à tali causa; sic per se convenit ædificationi, vt non sit nisi ab ædificatore. 2. quoad existentiam, itaut, positâ tali causâ, necessariò ponatur effectus, licet ex vi essentia effectus, eum ab aliis causis produci non repugnet; sic interitus jugulationi ex parte sui per accidens jungitur, quia potest aliunde causari, quamvis jugulatio ex parte sui sit causa interitus. Primus modus dicitur modus causandi per se ex parte effectus, posterior ex parte causæ: vterque sub modo causandi per se continetur.

V I I. Tertia conditio de *universali primo*, postulat, vt totum prædicatum subiecto conveniat immediatè, & cum eo conversim dicatur, adeoque nec sit latius, nec angustius. Vt autem ita se habeat, 1. debet esse primum tum negativè, quod nempe alteri non prius conveniat, sic homini primò negativè animal convenit, quia nulli alteri prius convenit: tum positivè, quia ita subiecto convenire debet, vt per ipsum cæteris omnibus conveniat; sic *risibile* convenit homini, quia nulli alteri prius convenit, & cæteris omnibus, quibus convenit, ratione hominis convenit. 2. debet esse de omni; nam rectum v. g. convenit quidem primò lineæ, sed tamen non omni lineæ: vnde non est prædicatum universale; hinc definitur prædicatum universale id, quod de quolibet, & primò monstratur, seu quod est de omni, & per se, & secundum quod ipsum, vt *homo est risibilis*; hinc universale primum vocat Aristoteles cap. 6. *δλον*, in quo opponitur universali *κατὰ μέρος*; ex parte: & cap. 5. ait illi opponi duo, nempe prædicatum latius, vt *homo sentit*, &

angustius, ut *homo est doctus*. Denique duas regulas tradit Aristoteles, quibus ejusmodi univ-  
ersale dignoscatur. Prima est, cum ablati aliis om-  
nibus, & illo solo relicto, adhuc proprietas inest  
subjecto, tunc illud primum erit subjectum ejus-  
modi proprietatis: v. g. ablati aliis omnibus à  
triangulo, & relicto tantum, quod sit triangu-  
lus, adhuc triangulus tres angulos habet æquales  
duobus rectis: ergo triangulus, ut talis, est sub-  
jectum hujus affectionis. Secunda, quo primo  
ablato, tollitur proprietas, illud est primum sub-  
jectum illius proprietatis: sic rationale est primum  
subjectum virtutis discursivæ, quia eo primo sub-  
lato tollitur virtus discursiva, etiam manentibus  
cæteris. Quæ propositio hunc necessitatis gradum  
habet, est summè necessaria.

I. A S S E R T I O. Demonstratio est ex necessa-  
riis. Ita Aristoteles. Probatur 1. id quod scitur per  
demonstrationem, non potest aliter se habere: er-  
go debet inferri ex præmissis necessariis, quia non  
potest inferri conclusio necessaria, nisi ex præmis-  
sis necessariis; aliàs major esset perfectio in effe-  
ctu, quàm in causa. Nec refert, quòd ex præ-  
missis non necessariis inferatur aliquando neces-  
saria conclusio, sicut ex falsis interdum conclusio  
vera deducitur; tunc enim conclusio, ut infer-  
tur ex præmissis, est tantum necessaria materia-  
liter, aut vera non formaliter, quia aliunde ne-  
cessitatem, & veritatem, quàm ab illis præmis-  
sis habet. 2. si demonstratio posset esse ex non  
necessariis, manente objecto, de quo est demon-  
stratio, & durante demonstratione, non esset  
scientia de objecto: at non potest esse demon-  
stratio de objecto, quin sit scientia.

II. ASSERTIO. Non eadem necessitas ad quamlibet demonstrationem requiritur. Probatur 1. ex parte objecti, 2. ex parte ipsius demonstrationis: ex parte quidem objecti sic. Necessitas demonstrationis ducitur ex necessitate, & immutabilitate objecti: objectis demonstrationis non inest par necessitas, & immutabilitas, ut patet; nam quædam objecta sunt necessaria ut plurimum, ut *pluere in hyeme*; quædam juxta cursum naturæ ordinarium, ut *accidens inesse subjecto*; quædam omnimodè, ut *hominem esse risibilem*. Ad hæc, alia necessitas ex parte subjecti tantum, cum subjectum exigit prædicatum, non vicissim, ut *hominem esse vivens aut corpus*; alia ex parte prædicati, cum prædicatum respicit quidem tale subjectum, non vicissim, ut *hominem esse Grammaticum*: alia denique ex parte utriusque, ut *hominem esse risibilem*.

Ex parte autem demonstrationis sic conficitur: demonstrationis cujuslibet non est æqualis perfectio: ergo nec par necessitas, aut certitudo; proprietas enim sequitur naturam rei, cujus est proprietas: at necessitas est proprietas demonstrationis ex Aristotele tex. 16. *Ex veris quidem est, inquit, & non demonstrantem syllogisasse: ex necessariis autem non est nisi demonstrantem; hoc enim jam proprium demonstrationis est*; hinc

III. ASSERTIO. Demonstratio, quæ est ex propositionibus de omni tantum, minus est perfecta, quàm quæ est ex propositionibus de omni, & per se: quæ est ex propositionibus de omni, per se, & universalis primo, omnium perfectissima.

Probatur: perfectio demonstrationis petitur ex

gradu necessitatis, itaut quò plures habet gradus necessitatis, eò perfectior censenda sit: demonstratio, quæ est ex propositionibus de *omni* tantum, habet vnicum gradum necessitatis, duos contingentia: v. g. *omnis inimicus invidet: Petrus est inimicus Pauli: ergo Petrus invidet Paulo.* Major hæc, *omnis inimicus invidet*, & omni subiecto convenit, & omni tempore vera est, falsa tamen esse potest, tum salvâ rerum essentiâ, tum naturali rerum ordine integro. Contrâ verò demonstratio, quæ est ex propositionibus de *omni*, & per se, habet duos necessitatis gradus, & vnum tantum contingentia: v. g. *omne corpus est impenetrabile: lapis est corpus: ergo lapis est impenetrabilis.* Major istius syllogismi habet prædicatum nexum cum subiecto ex natura rei, itaut non possit secundum ordinem naturæ ab eo sejungi. Denique demonstratio, quæ est ex propositionibus de *omni*, per se, & vniuersali primo, habet tres gradus necessitatis, adeoque absolutè necessaria est, itaut ne divinitus quidem aliter evenire possit, vt *omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis.* En demonstrationem potissimam, in qua necessitas se tenet, tum ex parte prædicati, tum ex parte subiecti; itaut nec subiectum possit esse sine prædicato, nec prædicatum sine subiecto: vnde talis demonstratio dicitur esse ex primò necessariis, in qua passio demonstratur de suo primo subiecto per definitionem subiecti, vt patet ex syllogismo superiori, in cuius majori passio prædicatur de sua prima causa, quæ est primum subiectum ipsius; in minori verò definitio subiecti de subiecto.

§. IV. *Quomodo premissa sint causa  
conclusionis.*

**D**VPLEX hîc quæstio institui potest, prima, an demonstratio debeat esse ex causis: secunda, ex quibus causis fieri possit?

I. Causa hîc dicitur id, ex quo aliud nascitur, seu id, ad cuius esse sequitur aliud: sic ortus solis supra horisontem est causa diei, quia ad esse solis sequitur esse diei.

II. Causa duplex, altera cognoscendi: altera cognoscendi simul, & essendi; prima est per quam aliquid cognoscitur, quod ab ea non producitur: sic per risum cognoscimus potentiam ridendi, cuius est effectus; secunda est, per quam aliquid simul est, & cognoscitur: sic rationalitas est causa, per quam disciplinæ capacitas est in homine, & cognoscitur. Primo modo dicitur causa, cur verum esse dicatur: secundo, cur & sit, & verum sit.

III. Causa essendi duplex, actualis, & virtualis; actualis est, quæ habet rationem causæ actu, ita ut actu causet, vel saltem causare possit: sic sol est causa actualis luminis. Virtualis est, quæ habet rationem causæ virtute, quod ita solet explicari, si per impossibile res causam haberet, non aliam haberet, quàm quæ illius causa virtualis dicitur: sic immutabilitas divina est causa virtualis æternitatis, quia si per impossibile æternitas causam haberet, non aliam haberet, quàm immutabilitatem. His positis, sit

I. **A S S E R T I O.** Demonstratio est ex causis. Ita Aristoteles tex. 1. Probat, quia demonstrationis

partus est scientia : at scire est per causam cognoscere : ergo demonstratio per causam probat.

I I. A S S E R T I O. Demonstratio à posteriori est ex causis cognoscendi tantum. Probatur : demonstratio à posteriori est , quæ probat causam per proprietates , & effecta ; at proprietates , & effecta sunt tantum causæ cognoscendi , non essendi : ergo demonstratio à posteriori est tantum ex causis cognoscendi ; hinc in demonstratione à posteriori conclusio pendet ex præmissis quoad nos , non ex natura rei , & antecedens est causa , cur consequens esse dicatur , non cur sit : v. g. *dies est : ergo sol ortus est* ; antecedens non est causa , cur consequens sit , nempe solis ortus , sed cur esse dicatur.

I I I. A S S E R T I O. Demonstratio à priori , & simpliciter dicta , est ex causis tum cognoscendi , tum essendi. Probatur prima pars : scientia ex genere suo est cognitio : ergo nisi causa sit cognitionis causa , nullo modo erit causa scientiæ. Probatur secunda : qui est perfectè , & à priori sciens , non tantum cognoscit prædicatum inesse subjecto , sed quomodo insit , & cur sit , utique nescit ; debet enim in sua scientia imperturbabilis esse : at id percipere non potest , nisi causam illius inhætionis attingat ; nam esse passionis , est inesse subjecto : unde quod est causa passionis , ut sit , eo ipso est causa passionis , ut insit : ergo sciens perfectè , & à priori , debet cognoscere causam , cur passio sit , hoc est , insit subjecto. Ratio à priori utriusque partis est , quod in conclusione spectetur , & esse veritatis , & existentia objecti : ergo debet sciri causa , & cur sit consequens , & verum esse dicatur ; v. g. in hoc argu-



mento , homo est rationalis : ergo est risibilis , antecedens est causa , & cur homo sit risibilis , & cur esse dicatur : & ita est causa simul , & in cognoscendo , & in essendo.

Porro causa in perfecta demonstratione debet esse 1. causa prædicati conclusionis , hoc est , passionis illius , quæ demonstratur de subjecto , 2. adæquata , 3. convertibilis cum ipsa passione , ita ut positâ causâ , ponatur effectus , seu passio , quia demonstratio debet fieri per causam propriam , per se , & necessariam : sic se habet vis ratiocinatrix , respectu risibilitatis ; nec refert quòd causa non sit proxima , & immediata , modò contineat proximam : at quando reciprocè dicitur cum effectù , seu passione , continet proximam , licet remota sit ; sic rationale , quamvis sit causa remota risibilis , quia tamen cum eo conversim dicitur , continet causam illius proximam ; ideò enim homo risibilis , quia admirativus ; ideò admirativus , quia discursivus ; ideò discursivus , quia rationalis. Quòd si causa remota non sit convertibilis cum passione , non valet ad demonstrationem tum affirmativam , tum negativam ; hinc non valet , *est animal : ergo respirat* ; nam pisces non respirant : non ad affirmativam valet , quia in majori effectus debet vniuersaliter dici de causa. Porro respiratio non potest vniuersaliter dici de animali , quia falsum est omne animal respirare ; non ad negativam propter quid : v. g. *omne quod respirat , est animal : nulla planta est animal : ergo nulla planta respirat*. Hic syllogismus probat quidem quòd sit effectus , sed non propter quid sit ; nec enim hæc est causa respirationis , quia non est animal : & licet planta esset animal , posset respirare.

IV. A S S E R T I O. Demonstratio propter quid, potest fieri ex causa virtuali, non tantum actuali. Ita Fonseca 4. Metaph. c. 4. Toletus, & alii plures. Probatum; nam Theologi attributa divina alia per alia probant: v. g. æternitatem per immutabilitatem, immutabilitatem per simplicitatem, simplicitatem per naturam divinam: at natura divina est tantum causa virtualis simplicitatis, sicut simplicitas immutabilitatis: ergo potest fieri demonstratio propter quid, ex causa virtuali: v. g. *quidquid est immutabile, est æternum; Deus est immutabilis: ergo Deus est æternus*; sic etiam de ente passiones demonstramus, quæ habent tantum causas virtuales.

Dices: scientia est cognitio rei per causam, propter quam est: per causam virtualem res non est: ergo non potest esse scientia per causam virtualem.

Resp. distinguo majorem, per quam res est, vel actu, vel virtute, concedo: actu semper, nego; at per causam virtualem res est virtute, licet non sit actu; scire autem, est rem per causam vel actualem, vel virtualement cognoscere. Scio quosdam Philosophos huic assertioni repugnare, qui volunt demonstrationem propter quid, ex causa virtuali, esse demonstrationem secundum quid, non simpliciter, sed meo iudicio questionem movent de nomine. Deinde absurdum est tot demonstrationes, quæ in Metaphysica fiunt, aut in Theologia ex causis virtualibus, esse tantum secundum quid, velle contendere.

V. A S S E R T I O. Demonstratio propter quid, potest duci tum ex causa efficiente proxima, tum ex causa finali. Ita Aristoteles 2. Physic. & 2. po-

ster. Probatur prima pars: omnis causa efficiens vel est externa, vt sol respectu luminis, quod exterius producit, vel interna, vt forma substantialis, respectu proprietatum: vtraque potest esse medium in demonstratione propter quid: v. g. valet ista consecutio in causa efficiente externa physica, *qui habet sensum inanitionis, & suctionis in orificio ventriculi, esurit: animal habet sensum inanitionis, & exinanitionis in orificio ventriculi: ergo esurit*; valet quoque in interna, *omne vegetans habet vim generandi sibi simile: omne corpus vivum habet animam vegetantem: ergo habet vim generandi sibi simile*. Porro causa efficiens interna constituit propositiones magis necessarias, quàm externa, vtpote forma subjecti, cuius effecta sunt affectiones, & accidentia cum subjecto necessariò connexa.

Probatur secunda, quia medium ex loco causæ finalis duci potest, quod sit cum effectu necessariò connexum, habetque locum in operationibus, sicut efficiens in passionibus: sic probat Aristoteles 2. de anima, à fine, animal debere esse visu præditum: *quod debet progrediendo victum querere, id debet esse visu præditum: animal debet progrediendo victum querere: ergo debet esse visu præditum*; prout autem finis est magis adæquatus, & principalis, eò vtiq; demonstratio perfectior.

VI. A S S E R T I O. Demonstratio propter quid, potest etiam duci ex loco causæ materialis, & formalis tum internæ, tum externæ. Probatur: quodcumque est causa essentiæ, est medium ad passionem de illa demonstrandam idoneum; nam causa essentiæ extremorum, est etiam causa connexionis, quæ inter illa reperitur: at omnis causa

materialis , & formalis est causa essentiae ; nam causa formalis interna est pars essentiae , quam constituit ; externa verò rationem specificam tribuit , vt objectum scientiae. Materia item interna componit totum , se ipsi subijciendo ; externa formam , cui subest transcendentaliter , respicit , vt potentia actum , substantia accidens , &c.

Pater ex dictis , cur demonstratio propter quid , si potissima sit , debeat constare ex propriis ; debet enim constare ex praemissis continentibus causam primam , propter quam res est ; principia enim propria sunt , quae non sunt communia , nec aliena , sed ad illud subiectum , de quo fit demonstratio , per se attinent : v. g. cum vini discursivam demonstro de homine per vini ratiocinandi , tunc demonstratio est ex propriis , quia probatur propria passio de suo primo subiecto per primam suam causam ; principia autem , quae continent causam primam passionis primo subiecto convenientem , sunt propria , sunt enim per se , & secundum quod ipsum , & specificè.

Quaeres , cur demonstrationes sint communes ?

Resp. duplici de causa , 1. cum sunt de genere , tunc enim communes sunt speciebus , sicut ipsum genus : 2. cum demonstratio de aliquo subiecto per se , eidem accommodatur , vt contracto per accidentariam differentiam , quod accidit in scientiis subalternis : v. g. cum demonstrationes arithmeticae de numero , applicantur numero sonoro in musica , sed non sunt potissimae , respectu subiecti , ad quod contrahuntur , sed tantum respectu primi.

§.V. *Quomodo præmissa debeant esse notiores,  
& priores conclusiones.*

**H**Æc utraque conditio sequitur ex priori, quia causa, & prior est naturâ suo effectu, & naturâ notior.

I. OBSERVATIO. Nota per se est, cujus veritas ex ipsa terminorum penetratione innotescit, seu quæ vel sensu, vel intelligentiâ terminorum citra ratiocinationem cognoscitur; hinc propositio per se nota eadem est ac immediata, quæ nullo alio medio notiori probari potest. Putat tamen Suares Lusit. non omnem propositionem immediatam esse per se notam; nam, inquit, hæc propositio, *Deus est trinus*, est immediata, quia à priori probari non potest, nec tamen per se nota, quia ex terminis non innotescit.

II. OBSERVATIO. Vna propositio potest dici notior alterâ tribus modis, vel secundum se, vel quoad nos, vel secundum se, & quoad nos. Notior secundum se, seu naturâ est, cujus veritas mente facilius dignoscitur; ubi per mentem significatur intelligentia terminorum universalium: v. g. hæc propositio, *omne corpus est substantia constans ex partibus*, est nota secundum se, seu naturâ. Notior quoad nos est, cujus veritas facilius percipitur à sensu: v. g. hæc propositio, *singuli homines sunt mortales*, nota est quoad nos, quia percipitur sensu, & simplici apprehensione objecti. Denique notior quoad se, & quoad nos est, cujus veritas, & sensu, & mente cognoscitur, talis hæc propositio, *omne totum majus est sua parte*; nihil enim notius, sive intellectus in sola

idea vniuersali hæreat , sive per inductionem ad singularia descendat.

III. OBSERVATIO. Prior est alterâ , cuius veritas priùs cognoscitur , priùs autem cognoscitur , quæ est notior , vel secundùm se , vel quoad nos , vel secundùm se , & quoad nos , ideòque prior tot modis alterâ dicitur , quot notior.

I. ASSERTIO. In demonstratione *propter quid*, præmissæ possunt esse notiores naturâ , & quoad nos : v. g. cùm causæ sunt notissimæ , vt in Mathematicis , *omne totum est majus sua parte ; domus est aliquod totum , & fenestra est pars illius : ergo domus est major fenestrâ* : at id rarò contingit , quia vt plurimum causæ ignotiores sunt quoad nos , utpote à sensibus remotiores , quàm effectus.

II. ASSERTIO. In demonstratione *propter quid*, præmissæ sunt semper notiores , & priores naturâ. Probatum : præmissæ continent causam conclusionis : at causa omnis naturâ notior juxtâ , & prior suo effectui , quia faciliùs mente percipitur , & priùs ex natura sua postulat cognosci , quàm effectus. Deinde præmissæ præcognosci debent ante conclusionem , non quomodocunque , sed vt causæ.

III. ASSERTIO. In demonstratione , *quia*, præmissæ sunt notiores , & priores quoad nos. Probatum , notius quoad nos est , quod sensu faciliùs percipitur : at præmissæ in demonstratione , *quia*, faciliùs sensu percipiuntur , quàm conclusio , quia illæ continent effectum , hæc causam , quæ inferitur ex effectui ; effectus autem se magis sensibus inculcant , quàm causæ , accidentia , quàm substantiæ.

## ARTICVLVS III.

*De speciebus demonstrationis.*

**D**EMONSTRATIO spectari potest, & quâ syllogismus, & quâ talis syllogismus, hoc est, scientificus. Ex utroque capite partitio illius in species petitur: quare utroque modo hîc à nobis illius partitio instituenda.

§. I. *Divisio demonstrationis, quâ est syllogismus, seu ratione generis.*

I. **I**N demonstratione, quâ est syllogismus, spectatur materia, quantitas, & qualitas; hinc multiplex illius divisio.

I I. Ratione materiæ demonstratio dividitur in simplicem, & conjunctam, de quibus jam egimus.

I I I. Ex parte quantitatis in uniuersalem, & particularem. Uniuersalis est, quæ fit de subiecto uniuersali: v. g. quòd *omnis homo sit discursivus, aut risibilis*. Particularis, quæ est de subiecto particulari, vt *quidam homo est discursivus*: de utraque sit

VNICA ASSERTIO. Demonstratio uniuersalis perfectior est particulari. Probatur I. demonstratio uniuersalis facit magis scire; qui enim scit uniuersaliter, scit utriusque passionem inesse subiecto secundum *quod ipsum*; qui autem scit particulariter, scit tantum passionem inesse subiecto, cui non tribuitur secundum *quod ipsum*: ille scit passionem, & proprium illius subiectum; hic pas-

sionem duntaxat, non subjectum illius proprium.  
 2. Vniversale perfectius est singulari, quia illud incorruptibile, hoc corruptibile; deinde singulare est tantum in vno, vniversale in pluribus, ideoque ablato vno singulari, perstat in aliis. 3. Demonstratio vniversalis est ex primis, & immediatis principiis: particularis ex mediatis, vnde in vniversalem resolvitur; nam ideò aliquis homo v. g. Petrus, est discursivus, quia homo est discursivus. Denique plura per demonstrationem vniversalem sciuntur, quàm per particularem, quia in vniversali particularis includitur, non vicissim.

IV. Ex parte qualitatis, dividitur in affirmativam, & negativam; vtramque iam definivimus. Duo híc de vtraque possunt quæri; primum, an demonstratio affirmativa sit perfectior negativâ? secundum, an in vtraque detur processus in infinitum?

I. A S S E R T I O. Demonstratio affirmativa perfectior est, quàm negativa. Probatur 1. quia affirmativa per se valet ad inferendam conclusionem, negativa non item; nam ex puris negativis nihil sequitur. 2. vt se habet affirmatio ad negationem, ita demonstratio affirmativa ad negativam: at affirmatio nobilior est ex genere suo, quàm negatio, vt iam probatum est, immò, & prior, quia omnis negatio est alicujus affirmationis negatio; vnde si impossibilis foret affirmatio, impossibilis foret negatio, nec convenit rei negatio, nisi ob aliquam affirmationem: v. g. convenit homini non esse rugibilem, quia rationalis est: ergo demonstratio affirmativa perfectior est, quàm negativa.

II. A S S E R T I O. Non datur processus in infi-



nitum in demonstratione tum affirmativa, tum negativa circa idem subjectum. Probatum 1. quia ex §. 1. superioris articuli, demonstratio debet esse ex immediatis vel actu, vel virtute. 2. si daretur processus in infinitum in demonstratione, vel ex parte passionis, vel ex parte prædicatorum, quæ tribuuntur subjecto, vel ex parte mediorum. Non ex parte mediorum, quia in affirmativa extrema sunt determinata, nempe subjectum, & passio: ergo media, quæ jungunt extrema, non possunt esse infinita: non in negativa, quia omnis conclusio negativa ex aliqua affirmante infertur; ex puris enim negativis nihil sequitur. Non ex parte prædicati, quia ejusdem subjecti non sunt infinita prædicata, aliàs definiri non possent. Non denique ex parte passionis, quia essentia cujusque rei clauditur duobus extremis, nempe genere vniuersalissimo, & specie infimâ, ex quibus fluunt finitæ tantum passionis: ergo non datur processus in infinitum in demonstratione tum affirmante, tum negante. Dixi circa idem subjectum; nam circa diversa subjecta processus fieri potest in infinitum, hoc sensu, quòd factâ vnâ demonstratione circa vnum subjectum, possit & alia circa aliud construi. Probatum 1. ex parte rerum; res demonstrabiles possunt esse finitæ in infinitum; Deus enim potest creare alias atque alias species, de quibus demonstratio fieri potest. Item cuilibet dato numero potest alia atque alia vnitas addi, & ita Mathematica de variis numerorum proportionibus potest plures, & plures demonstrationes contexere. 2. ex parte intellectûs, cujus vis cognoscendo non exhauritur, qui quò plura novit principia, cò plures indidem potest conclusiones inferre.

Ex hac assertione tria inferuntur ; primum , dantur prima , & immediata principia , aliàs iretur in infinitum. Secundum , cùm aliquid duobus inest , quæ de se mutuo affirmari nequeunt , non debet illis inesse per aliquid commune utrique : sic animal homini , & leoni , qui de se mutuo non affirmantur , non est per aliquid tertium utrique commune , aliàs in infinitum procederetur. Tertium , quot sunt demonstrationes , tot sunt media , quare quod caret medio , ipsum est indemonstrabile. Consule textum 37. & 38.

§. II. *Divisio demonstrationis , ut est scientifica , seu ratione differentia.*

I. **I**N demonstratione , quæ parit scientiam , 1. spectatur scientia , 2. medius terminus , 3. modus ; hinc

II. Ex parte scientiæ demonstratio alia stricta , alia lata ; stricta speculativa est , paritque strictam scientiam. Lata est practica , quæ scientiam latè sumptam gignit. Porrò demonstratio practica à speculativa differt , quòd speculativa stricta habeat propositiones omnes universales posterioriticè ; practica autem non habeat propositiones simpliciter universales , sed tantum improprie juxta regulas in priori Analytica traditas ; licet enim omnibus individuis alicujus naturæ conveniant , nunquam tamen naturæ universali , quæ ingenerabilis , & incorruptibilis est , conveniunt : habent enim necessitatem connexionis terminorum duntaxat hypotheticam , & ex suppositione voluntatis hominum ad agendum se determinantis ; nam v.g. non necessarium est ad domum construendam

ex fundamento, parietibus, & tecto descendere, nisi ex hypothesi quòd ex arte ædificare velimus, nec cupiditates comprimendas esse verum est, nisi quatenus integrè, & castè vivere volumus; tamen ex prudenti hominum æstimatione, ejusmodi propositiones haberi solent pro absolutè veris, quia hypothesis artificiosè, & prudenter operandi ab omnibus supponitur. Quin etiam demonstratio practicè practica minùs necessaria, quàm practica; quâ tum artium, tum prudentiæ præcepta stabiliuntur, quia in illa est tantùm certitudo moralis, & præmissarum habet aliquam, quæ in nullo sit necessitatis gradu, utpote penitùs contingentem, ista verò præmissam alteram habet in infimo necessitatis gradu, hoc est, ex hypothesi, quòd artificiosè, & prudenter operari velimus. Certè subjectum demonstrationis speculativæ constans est, & perpetuum, subjectum demonstrationis practicæ inconstans, & mutabile; finis illius quoque contemplatio, hujus verò operatio, seu praxis: at contemplatio constantior praxi. Sed de discrimine syllogismi speculativi, & practici jam fusè egimus parte I. Logicæ, disp. I. a. 3. §. I. & 3.

I I I. Ex parte medii dividitur in demonstrationem à priori, & à posteriori, de quibus mox fusiùs.

I V. Ex parte modi, alia directæ, & ostensiva: alia indirectæ, & ad absurdum deducens. Item alia perfectissima, alia imperfecta. Denique alia moralis, alia physica, alia metaphysica: de quibus hîc seorsim agendum.

§. III. *De demonstratione à priori, & à posteriori absolutè spectatis.*

I. **D**EMONSTRATIO à priori, Græcis *διότι*, est probatio effectûs per causam: sic probatur risibile de homine per rationale; perfectio mundi per sapientiam artificis. Demonstratio à posteriori, Græcis *ὅτι*, est probatio causæ per effectum; sic probatur rationale per risibile, sapientia Dei per mundi perfectionem: hanc vocat Aristoteles 2. poster. cap. 16. demonstrationem signi, quia effectus plerumque in sensus incurrunt, & ita sunt signa, causam vel fuisse, vel esse. Utraque spectari potest vel absolutè, vel relativè: primo respectu hîc considerabimus, secundo postea.

I I. Demonstratio à priori nititur hoc principio: *cui tribuitur causa efficiens proxima, ei effectum tribui necesse est; & cui causa adimitur, ei etiam effectum adimi necesse est*: v. g. posito sole supra horisontem, ponitur dies: sublato eodem sole tollitur.

I I I. Demonstratio à posteriori nititur hoc principio: *posito effectû necessario, ponitur causa; & sublato effectû, tollitur causa, quatenus est causa illius effectus*: sic posito risibili, ponitur admirativum, sublato risibili, tollitur admirativum; hinc prout effectus est magis, vel minùs necessarius, eò hæc demonstratio est magis, vel minùs perfecta.

I V. Demonstratio *quia*, potest procedere tum ab effectû proximo, tum à remoto, tum à causâ remota.

Ab effectû proximo: sic probant Mathematici

lunam esse rotundam , quia paulatim illustratur ; nam luna non ideò rotunda est , quia paulatim lumen recipit , vel amittit , sed potiùs ideò paulatim illustratur , aut obscuratur , quia est rotunda. Porrò ex iisdem terminis , ex quibus fit demonstratio causæ per effectum proximum , potest fieri demonstratio à causa : sic rectè probatur lunam paulatim illustrari , quia est globosa.

Ab effectu remoto : v. g. cùm probatur hominem esse animal , quia est risivus ; risivum enim est effectus remotior , quo datur propinquior , nempe admirativum , & disciplinæ capax. Hic tamen non valet reciprocatio ; licèt enim causa remota rectè probari possit per effectum remotum , non ideò effectus remotus probari potest per causam remotam , quia hæc latius patet , vt patet exemplo animalis , & risivi.

Denique à causa remota , modò non sit convertibilis , & adæquata , fit demonstratio *quia* , & quidem duplici modo ; nam causa remota vel est superior effectu , & latius patens : v. g. cùm probatur *lapidem non respirare , quia non est animal* : vel est inferior effectu , & minus latè patens : v. g. cùm probatur *hominem esse substantiam , quia est animal*. Prima demonstratio ex omnium sententia est demonstratio *quia* , quia non potest constitui nisi negativè : at negativè concludere non potest per modum causæ formaliter , sed per modum medii necessarii. Et verò si negatio animalis esset causa non respirationis , animal esset causa respirationis , quia si negatio est causa negationis , etiam affirmatio opposita est causa affirmationis ; at animal non est causa respirationis , quia non omne animal respirat : ergo negatio animalis non

est causa non respirationis ; & ita non est demonstratio *propter quid*. Secunda verò est quoque demonstratio , *quia* , non *propter quid* , quia causa remota , & non adæquata effectui , non est ipsa causa effectûs , sed alia causa proxima ; licèt enim homo non esset animal , adhuc tamen esset substantia : ergo animal non est propria causa substantiæ in homine. Dicitur tamen aliquo modo causa , quia præsupponitur effectui , homo enim mediante animali est substantia.

Dixi à causa remota inadæquata , & non convertibili cum subjecto ; nam si causa remota adæquata , & convertibilis sit cum subjecto , adeoque causam proximam contineat , tunc erit demonstratio *propter quid* , vt si probes risibilitatem de homine per vim ratiocinandi , quæ continet in se discursivum , & admirativum , quæ sunt causæ proximæ risibilitatis.

Colliges ex dictis , demonstrationem *propter quid* , posse fieri per causam proximam , vel remotam , modò adæquata , & convertibilis sit cum subjecto ; item demonstrationem , *quia* , confici posse vel ex effectu , vel ex causa remota inadæquata , & non convertibili cum subjecto ; hinc non omnis demonstratio à priori est demonstratio *propter quid* , licèt omnis demonstratio *propter quid* , sit demonstratio à priori , sicut non omnis demonstratio *quia* , est demonstratio à posteriori , licèt omnis demonstratio à posteriori sit demonstratio *quia*.



§. I V. *De demonstratione à priori, & à posteriori relativè spectatis.*

I. **C**IRCA demonstrationes à priori, & à posteriori relativè spectatas multiplex quæstio esse potest; prima, an divisio illa sit generis in species. Secunda, an sit adæquata. Tertia, an demonstratio potissima distinguatur à demonstratione *propter quid*.

I. **A**SSERTIO. Demonstratio *propter quid*, & demonstratio *quia*, conveniunt univocè in genere demonstrationis, adeoque ipsam dividunt, ut species verum genus. Hæc assertio est contra Avicennam, qui demonstrationem *quia* veram esse demonstrationem negat. Probatum 1. Ratio generica demonstrationis in eo posita est, quo primò differt ab aliis syllogismis non demonstrativis, nempe procedere ex necessariis ex natura rei; nam ex Aristotele textu 16. ubi ait: *Ex veris quidem est, & non demonstrantem ratiocinari; ex necessariis verò, non est nisi demonstrantem*: at demonstratio *quia* tam procedit ex necessariis ex natura rei, quàm demonstratio *propter quid*: ergo rationem genericam cum demonstratione *propter quid* perfectè communicat. 2 Demonstratio est cognitio perfecta rei, uti est cognoscibilis, per discursum parta: at res est perfectè cognoscibilis sicuti est, sive cognoscatur per causam, sive per effectum; vel enim habet causam, & ita cognoscitur per causam: vel non habet causam, & cognoscitur perfectè sine causa per effectum, aut per aliud medium ex natura rei, essentiam rei indicans, sive sit causa, sive effectus: ergo demonstratio *quia*

est propriè , & essentialiter demonstratio. Certè propositiones immediatæ , quæ non habent causam , verè probantur à posteriori , & per discursum. Ad hæc , sicut ab homine , & equo rationem communem animalis abstrahere possumus , & quidem vtrique univocè congruentem ; ita à demonstratione *propter quid* , & *quia* possumus abstrahere rationem communem , quæ vtrique ex æquo conveniat , & in eo posita sit , quòd sit ratio syllogismi ex præmissis necessariis certò , & evidenter quidpiam inferens.

Confirmatur : cognitio parva per demonstrationem *quia* , nec est error , nec opinio : ergo est vera scientia ; at vera scientia non paritur nisi per demonstrationem veram : ergo demonstratio *quia* est vera demonstratio , adeóque genus demonstrationis perfectè participat ; errorem siquidem superat veritate , opinionem certitudine , fidem evidentiâ , sensum universalitate. Huc accedit , quòd Aristoteles lib. 1. poster. cap. 2. duplicem agnoscit scientiam , nempe cur sit , & quòd sit : ergo & duplicem demonstrationem , nempe *propter quid* , & *quia*. Pugnatque non semel demonstrationem per effectus , vtpote nobis notiores quoad nos , fieri posse : quare cùm cap. 2. recenset condiciones ad demonstrationem *propter quid* requisitas , aitque demonstrationem , quæ iis conditionibus careat , non esse demonstrationem , intelligi debet de demonstratione perfecta , non imperfecta.

II. A S S E R T I O. Demonstratio *propter quid* , est essentialiter perfectior demonstratione *quia*. Probatur , quia in demonstratione *propter quid* , per causam , propter quid sit res ; in demonstratione *quia* , per effectum scitur , quòd ita sit , non



propter quid fit : in illa scitur modo magis connaturali , & directo , quia à priori ; in ista modo non connaturali , & directo , quia à posteriori tantum : at modus sciendi à priori connaturalis , & directus perfectior est essentialiter , quàm modus sciendi à posteriori non connaturalis , & directus : ergo demonstratio *propter quid* , est perfectior essentialiter demonstratione *quia* . Sed hæc perfectio essentialiter major oritur ex ratione specifica demonstrationis *propter quid* , non ex ratione generica : hinc patet distingui vtramque demonstrationem specie ; differunt enim tam conclusionem , quàm præmissis , quia præmissa vnius est conclusio alterius : quare licet in vtraque demonstratione possint esse eadem præmissæ materialiter , non sunt tamen eadem formaliter in ordine ad demonstrationem .

III. A S S E R T I O . Divisio demonstrationis in demonstrationem *propter quid* , & demonstrationem *quia* , est adæquata . Probatur : omnis demonstratio probat veritatem conclusionis , vel per propriam , & immediatam causam , & ita est demonstratio *propter quid* : vel per non propriam , & immediatam illius causam , & sic est demonstratio *quia* .

Confirmatur : si quæ demonstratio non posset ad alterutram revocari , maximè illa , quæ concludit aliquid de subjecto per medium æquale attributo : v. g. cum concluditur *hominem esse animal* , quia est *sentiens* , ideòque dicitur demonstratio per æqualitatem ; at talis demonstratio continetur sub demonstratione *propter quid* , quia fit per causam formalem ; nam *sentiens* est causa formalis animalis .

Quæres , quasnam condiciones requirat perfectissima demonstratio ?

Respondeo octo requirere ; tres , quatenus est syllogismus , nempe , ut sit affirmativa , universalis , & directa : duas ex parte propositionum , 1. ut sint necessariae , 2. naturales : duas ex parte antecedentis , 1. ut sit causa consequentis tum quoad veritatem , tum quoad existentiam , 2. ut propositiones sint per se notæ , & immediatæ. Denique unam ex parte conclusionis , nempe necessitatem subjecti ; hinc

1. Talis demonstratio fieri potest tantum in *Barbara* , & in materia speculabili , quia debet habere conclusionem universaliter affirmativam , & subjecti ejusdem necessitatem : 2. concludit primam proprietatem de subjecto , quia termini debent esse convertibiles : 3. in illa medius terminus est definitio subjecti , ut est causa primæ proprietatis : 4. pertinet ad scientiam subalternantem , & eam quidem , in qua à causis ad effecta per sapientiam descenditur , cum ab effectis ad causas per inventionem ascensum fuerit : demonstratio quia ad scientiam subalternatam : unde hæc demonstratio rarior , utpote perfectissima. Quæcunque carent aliquâ ex conditionibus allatis , minus perfectæ sunt : sic negativa caret vno gradu , quia non est immediata ; negatio enim probari potest saltem indirectè : deficiunt quoque affirmativæ , quæ propositiones habent innaturales , aut conclusionem particularem , &c.

Quæres 2. an semper definitio subjecti pro medio potissimæ demonstrationis assumi debeat ?

Respondeo assumi debere , quia in demonstratione potissima proprietas debet ostendi per causam ,

sam, à qua immediatè pender: at proprietas per se, & immediatè pender à natura ipsa subjecti, à qua primò, & per se fluit. Probatur 1. quia Aristoteles 4. Physic. ait per definitionem rei innotescere affectiones ejusdem rei, seu prædicati. 2. si esset aliud medium, vel esset aggregatum ex definitione subjecti, & proprietatis, vel definitio sola proprietatis; non primum, quia medium esset ens per accidens; non secundum, quia demonstratio, in qua medium esset definitio proprietatis, haberet vnam præmissam indirectam, & alteram à priori demonstrabilem, vt patet in hoc syllogismo: *omne quod aptum est unum ex alio colligere, est discursivum: homo est aptus unum ex alio colligere: ergo homo est discursivus.* Major hujus syllogismi est indirecta, quia in ea definitum de definitione prædicatur; minor verò potest probari à priori; idè enim homo vnum ex alio colligere potest, quia rationalis est. 3. licèt definitio proprietatis sit causa formalis proprietatis, non tamen est causa; propter quam ipsa proprietas subjecto convenit, quod requiritur ad demonstrationem potissimam. Porro dum definitio subjecti assumitur vt medium, est causa quidem formalis subjecti, sed efficiens, respectu passionis, quæ ex ipsa fluit. Quòd si demonstratio non sit potissima, sufficit ad eam medium, quod sit causa passionis, non subjecti: sic per interpositionem terræ, eclipsis de luna probatur, quia eclipsis lunæ habet causam sui extra subjectum.

Quæres 3. in quo differant demonstratio ostensiva, & demonstratio ad impossibile deducens?

Resp. differre 1. ex parte propositionum, quia in ostensiva vtraque propositio est vera, vel certè

ponitur esse vera ; demonstrationis autem ad impossibile ducentis , propositio vna vera est , & altera falsa , nempe contradictoria conclusionis. 2. ex parte conclusionis , quia non est necesse in demonstratione ostensiva conclusionem præconcedere , & dicere illam esse veram , vel falsam , vel ejus contradictoriam esse veram : quare ostensiva perfectior , quia rem per sua principia ostendit ; deducens ad impossibile ostendit contrariam , vel contradictoriam esse falsam.

Quæres 4. an ex singulis causis demonstratio metaphysica , physica , & moralis petantur.

Respondeo 1. ex singulis quidem peti posse. Respondeo tamen 1. metaphysicam potissimum per causam formalem , physicam per causam tum materialem , tum efficientem ; denique moralem per finalem fieri.

Colliges ex dictis , ad conclusionem scientificam requiri duo potissimum ; primum , vt ex principiis necessariis , & causis per se conclusionis fluat , quia conclusio est emanatio veluti quædam naturalis ex principiis , ex quibus pendet , & in quæ resolvi debet. Secundum , vt cum præmissis in dissolubili nexu jungatur ; vt enim colores in fluxu luminis secum permixti perpetuò indigent , vt fiant aspectabiles : ita conclusio scientifica à principiorum jugi , perennique fluxu pendet : quare mens , vt conclusionis evidentiam pervideat , singillatim quodlibet principium superius contemplari , ejusque evidentiam , & certitudinem inquirere debet ; tum vno aspectu singularum propositionum nexum , & seriem percurrere à primis principiis ad ultimam vsque conclusionem. Quemadmodum vt quis annulos vnus catenæ inter se

aptos connexosque sciat, singulos antè lustrare debet; tum vno quasi ictu oculi annulorum juncturam pervidere; hinc vides, cur scientia dicatur virtualiter reflexiva supra principia.

§. V. *Inventio medii, seu methodus demonstrationis.*

**E**XPLICATA naturâ, & multiplici specie demonstrationis, superest, ut methodum illius conficiendæ breviter præscribamus, de qua pluribus Aristoteles lib. 1. prior. juxta cujus doctrinam nonnulla de inventione medii præcepta generalia primùm, deinde particularia præscribo; quare sit

I. Propone tibi terminos problematis, quod tibi probandum incumbit: v. g. an *Petrus sit risibilis*? aliud utrumque terminum penetra, si potes; quæ sit utriusque definitio, quæ causæ, & proprietates, diligentius indaga, ut inde medium terminum eruas, probando problemati idoneum.

II. Videndum quoque, an problema affirmativum sit, an negativum; affirmativo probando definitio subjecti perutilis, quatenus est causa prædicati: v. g. definitio *rationalis*, quatenus est causa virtualis *æ risibilis*. Negativum bellè conficit definitio subjecti, vel ipsius prædicati: unde duo patent; primum, medium posse sumi ex utroque extremo problematis: secundum, comparandam esse magnam definitionum copiam. Quod ut commodè fiat,

III. Vocandi in subsidium loci communes, ipsùmque prædicatum perinde ac subjectum per singulos locos tum extrinsecos, tum intrinsecos,

fed præfertim intrinsecos, deducendum; quod genus illius, quæ differentia, aut proprium; quæ antecedentia, quæ consequentia, aut repugnantia, inquirendum. Porrò hîc antecedentia appello, ex quibus alia sequuntur: sic gradus inferiores sunt antecedentes, respectu superiorum, ut *homo*, respectu *animalis*; nam posito homine, ponitur animal, non vicissim. Consequentia appello, quæ ex aliis sequuntur; sic superiores gradus sunt consequentes, respectu inferiorum, ut *animal*, respectu *hominis*, quia ex inferioribus inferuntur.

IV. Habendus mediorum, quæ invenêris, delectus; non enim tam multitudine, quàm vi, & robore argumentorum vincitur. Deinde alius philosophi, alius oratoris in probando modus. Hic undique argumenta congerit, ut quod singulis robur deest, multitudine repræsentet: ille conquirat ea diligentius, quæ quandam persuadendi necessitatem adhibeant, nec tam rationes numerat, quàm ponderat; itaque propositis iis, quæ minus valent ad persuadendum, ea seligit vna, quæ hastarum modo contorta, non tam consensum exprimant, quàm extorqueant, cujusmodi illa sunt, quæ ex definitionibus utriusque extremi problematis eruuntur.

V. Inter consequentes, seu superiores gradus, qui attribuuntur inferioribus, seu antecedentibus, alii communes, alii proprii, essentialès alii; quare qui demonstrativè rem probare velit, debet 1. gradus necessarios, & essentialès usurpare; 2. consequentia, quæ totum antecedens sequuntur, non tantùm partem, seligere: 3. quæ proxima sunt, non remota, adhibere. Ratio primæ partis est,

quia demonstratio stricta est ex necessariis, & primis; secundæ verò, quia propositiones vniversales magis valent ad demonstrandum, quàm particulares: v. g. non debent quæri consequentia hominis, quæ alicui tantùm homini competunt, vt esse *Grammaticum*, aut *Philosophum*, sed quæ omnem hominem consequuntur, vt esse *animal*, aut *vivens*, &c. Tertiæ denique, quia statim atque habentur consequentia proxima, remota quoque adsunt, sed non vicissim: sic inter consequentia hominis præstat adhibere *animal*, quàm *vivens*. Item antecedentia proxima vsurpanda potiùs, quàm remota: sic debet vsurpari potiùs *homo*, quàm *Socrates*: *equus*, quàm *bucephalus*.

v I. Propositio immediata, in qua definitio de definito prædicatur, si negatur, non probatur à priori, sed vel à posteriori per terminos notiores; vel indirectè, deducendo ad absurdum: vel logicè, suum genus, & differentiam definitioni asserendo. De præceptis communibus tantùm, jam de particularibus, quæ tradit Aristoteles lib. i. de priori resol.

v I I. Omne problema probandum vel est vniversale, vel particulare, idque vel affirmans, vel negans.

v I I I. Problema eò faciliùs probatur, quò in pluribus figuris juxtà ac modis concludi potest; quod verò in paucioribus, idipsum probatu difficilius; hinc propositio vniversalis affirmans difficiliùs probatur, quia potest tantùm concludi in *Barbara*: at facilè convellitur, quia habet oppositam vniversalem negantem, simul & particularem, quæ in pluribus figuris concludi pos-

sunt. Particularis affirmans facilius probatur, quia potest concludi in *Darii*, *Darapti*, *Disamis*, & *Datifi*: vniversalis negans facile concluditur, quia confici potest, in *Celarent*, *Celantes*, *Cesare*, *Camestres*. Denique particularis negans facile quoque probatur, quia in modis trium figurarum concluditur, nempe in *Ferio*, *Fapesmo*, *Festino*, *Felapton*, &c. at difficillimè evertitur, quia habet vnā propositionem oppositam, quæ in *Barbara* concluditur.

ix. Ad probandum vniversale problema affirmans, valet medium, quod sit consequens subiecti, & antecedens prædicati, id est, quod prædicetur de subiecto conclusionis, & subijciatur illius prædicato: v. g. placet probare omnem temperantiam esse laudandam? assumes pro medio virtutem, quæ vniversim dicitur de temperantia, & de qua laudanda generatim prædicatur, & ita syllogismum in *Barbara* concinnabis: *omnis virtus est laudanda: omnis temperantia est virtus: ergo omnis temperantia est laudanda.*

x. Problema particulare affirmans vt confirmetur, medium investigari debet, quod simul sit antecedens prædicati, & subiecti: vt si velis concludere in *Darapti* aliquod vivens esse substantiam, assumes pro medio animal, & ita syllogismum informabis: *omne animal est substantia: omne animal est vivens: ergo aliquod vivens est substantia.*

xi. Quoties problema vniversale negans in *Celarent*, aut *Cesare* probandum incumbit, debet accipi medium consequens subiectum, & repugnans prædicato; vt si velis probare hoc problema, *nullus homo est lapis*, assumes animal, quod



est consequens hominis, & repugnans lapidi, & ita syllogismum construes in *Celarent*: *nullum animal est lapis: omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis.*

X I I. Problema vniversale negans in *Celantes*, aut *Camestres* concluditur, vsurpato medio, quod sit repugnans subjecto, & consequens prædicatum: sic probabis *nullum hominem esse lapidem per inanimatum*, quod repugnat homini, & est consequens lapidis, in *Celantes*: *nullum inanimatum est homo: omnis lapis est inanimatus: ergo nullus homo est lapis.* In *Camestres* verò, *omnis lapis est inanimatus: nullus homo est inanimatus: ergo nullus homo est lapis.*

X I I I. Problema particulare negans, concluditur per medium, quod antecedit subjectum, & repugnat prædicato: vt si velis conficere *quandam substantiam non esse animal*, accipies pro medio termino lapidem, & in *Felapton* sic instrues syllogismum: *nullus lapis est animal: omnis lapis est substantia: ergo aliqua substantia non est animal.*

X I V. Ad confirmationem problematis particularis affirmantis in *Baralipton*, medium adhibendum est, quod sit consequens prædicati, & antecedens subjecti: v. g. vis concludere hanc propositionem, *aliqua substantia est homo*, assume pro medio *vivens*, *omne vivens est substantia: omnis homo est viuens: ergo aliqua substantia est homo.* Porrò ex eadem regula particularem affirmantem, mutatâ quantitate minoris, in *Dabitis* confirmabis.

X V. Præter has combinationes, tres aliæ sunt, sed inutiles; prima, cùm medium adiungitur

utrumque extremo, & tunc fit syllogismus in secunda figura ex duabus affirmantibus, ideóque nullus, ut *omne rationale est risibile: omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est rationalis*. Secunda, cum medium subicitur majori extremo, & negatur de minori; fit enim syllogismus in prima figura ex minori negativa, qui vitio non caret. Tertia, cum medium repugnat utrique extremo, & ita fit syllogismus ex puris negantibus.

### §. VI. De circulo demonstrationis.

I. OBSERVATIO. CIRCULVS fit in demonstratione, cum ab eodem fit regressus ad idem, ut si ex effectu causam inferas, & rursus ex eadem causa effectum: aut si ex aliquo principio conclusionem, vicissimque ex conclusione principium concludas. Dicitur ejusmodi demonstratio circulus, quia hæc est natura circuli, ut à quo puncto incipit, in idem desinat: v. g. si in isto syllogismo, *omne discursivum est rationale: omnis homo est discursivus: ergo omnis homo est rationalis*, circulum facere velis; ita alterum syllogismum informabis, *omne rationale est discursivum: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est discursivus*. In hoc syllogismo, ut cernere est, infertur minor prioris syllogismi: unde in omni circulo duo sunt syllogismi, quorum primus dicitur progressus, secundus regressus. Quanquam nonnulli circulum à regressu distinguunt, quòd in circulo primò per causam proximam probetur effectus; deinde idem effectus assumatur ut causa proxima ad demonstrandam causam proximam, perinde ac si effectus esset, quam circulationem

vt ridiculam explodit Aristoteles 2. poster. regressus autem sit, in quo causa manet causa, & effectus manet effectus; ita tamen, vt per effectum vt-pote notio-rem quoad nos, probetur causa: deinde ex causa altius penetrata, effectus inferatur.

II. OBSERVATIO. Duplex circulus, alter perfectus, & formalis: alter imperfectus, & materialis; perfectus est, in quo ab eodem eodem modo cognito, ad idem eodem modo cognitum fit regressus; vt si per effectum cognosco causam, & ex illa causa, non aliter, quàm ex effectu cognita ad effectum inferendum regrediar. Imperfectus est, in quo ab eodem nova ratione cognito, ad idem nova pariter ratione cognoscendum regressio fit, seu in quo causam ignotam ex effectu confusè tantùm cognitam demonstramus, & postea interposito examine intellectûs, naturam causæ altius penetrantis, per eandem causam distinctiùs cognitam, eundem effectum demonstramus: itaque hæc circularis demonstratio tres partes continet. Prima est demonstratio *quia*, hoc est, ab effectu ad causam. Secunda est intellectûs examen, quo pervadit ipsam causæ naturam. Tertia est demonstratio propter quid, id est, à causa ad effectum.

I. ASSERTIO. Circulus perfectus, & formalis in demonstrationibus inutilis & nugatorius est. Ita Aristoteles lib. 1. poster. tex. 6. vbi probat ejusmodi circulum esse impossibilem. Probatur ratione 1. quia tunc inutilis est argumentatio, cum nulla cognitio nova acquiritur: in circulo perfecto nulla cognitio nova acquiritur, quia idem probatur per idem, & ignotum per æquè ignotum, seu per non magis notum: ergo circulus forma-

lis inutilis est, immo & nugatorius; nam idem probare per idem, est nugari, & quidem insigniter, quia est petere principium; si enim ex A sequitur B, & rursus eadem ratione ex B sequitur A, pariter A sequitur A; & quia A est æquè ignotum ac B, quia supponitur non esse cognitum nisi ex B, utriusque ignotum probatur per æquè ignotum.

2. Idem eodem modo notum, esset notius se ipso, quod repugnat; notius quidem, quia conclusio ex notioribus procedit; ignotius autem, quia infertur ex antecedente: v. g. in primo syllogismo ista præmissa, *homo est rationalis*, esset notior hac propositione ex eadem illata, *homo est discursivus*; esset enim causa conclusionis, quæ ex notioribus infertur. Rursus in secundo syllogismo esset ignotior, quia esset conclusio: ergo simul esset notior, & ignotior.

II. ASSERTIO. Circulus imperfectus, seu materialis est possibilis, & utilis. Ita Aristoteles, qui sæpè tali regressu est usus; nam 8. *Physic. tex. 50.* ex perpetuitate motûs demonstrat primum motorem, & rursus *tex. 53.* ex primo motore demonstrat perpetuitatem motûs. Item 1. *Physic. ex generatione notâ* probat materiam primam; deinde postquam materiæ naturam, & conditiones altius penetravit, *lib. 2. de ortu, & inter. ex materia prima distinctè cognita generationem infert.* Denique 1. *poster. tex. 30.* docet, cum causa, & effectus conversim dicuntur, alterum posse per alterum confici: sic probamus planetas nobis propinquiores esse stellis fixis ab effectu, quia non scintillant, & regredimur postmodum ad demonstrationem *διότι*, conficimusque planetas non scintillare, quia propè sunt.

Probatur ratione : conclusio perfectiùs aliunde cognita , quàm ex præmissis , potest majorem præmissarum cognitionem generare : at conclusio potest perfectiùs cognosci , quàm ex præmissis , quia potest cognosci sub alia ratione , vel sub eadem ratione perfectiùs penetrari. Certè postquam causa ex effectu confuse , materialiter , & quoad existentiam cognita est , si penetraretur subinde causæ essentia magis ac magis , & sub ratione formali causæ , nemo non videt ex perfectiori notitia causæ effectum magis innotescere in regressu.

Objicies 1. in primam assertionem , potest dari circulus perfectus in diverso genere causæ : at cum probatur causa efficiens ex finali , vicissimque causa finalis ex efficiente.

Respondeo , nego tunc esse circulum perfectum , quia non fit regressus ad idem formaliter , sed duntaxat materialiter ; qui regressus est utilis , quia in vna demonstratione causa sub ratione effectus infertur , in altera verò sub ratione causæ.

Objicies 2. in 2. assertionem , idem esset notius , & ignotius , si circulus materialis fieri posset , quia in vna demonstratione esset medium , adeoque notius ; in altera verò conclusio , adeoque ignotius.

Resp. dist. Idem esset notius , & ignotius in eadem demonstratione , nego : in diversis , concedo ; nam conclusio , quæ in primo syllogismo ignotior erat , fit notior in altero per majorem terminorum penetrationem , comparando prædicatum cum subjecto , vel sub alia formalitate.

Instabis : in demonstratione *quia* , cognoscimus causam , & effectum , quia causa prædicatur de effectu , & in conclusione causa ex effectu in-

fertur, adeoque cognoscitur : ergo frustra fit regressus , seu reditus ad demonstrationem *propter quid* ; probando effectum per causam.

Respondeo , nego consequentiam , quia sæpè non cognoscimus effectum , & causam formaliter , sub ratione effectûs , & causæ , sed materialiter duntaxat , & sub ratione terminorum inter se connexorum : quare tum utilis regressus , quia per demonstrationem *propter quid* , causam formaliter cognoscimus , simul & effectum. 2. licèt cognoscantur formaliter tum causa , tum effectus in demonstratione *quia* , causa cognoscitur tantùm confusè , & imperfectè , seu quoad existentiam per effectum : itaque si causæ essentia magis postmodum penetretur , eadem perfectiùs cognita perfectiorem effectûs notitiam in regressu ingenerabit.

## DISPUTATIO SECUNDA.

### *De effectû demonstrationis , seu de scientia.*

**D**ARTVS demonstrationis genuinus est scientia ex Aristotele lib. 1. poster. c. 2. ubi demonstrationem vocat *συλλογισμὸν ἐπιστημονικόν* , *syllogismum scientia effectorem* : quare postquam demonstrationem in principiis cognovimus , superest , vt effecta examinemus.

## ARTICVLVS I.

*De scientia in communi.*

**S**CIENTIA vt sic , dividitur in actualem , & Shabitualem ; illa est cognitio actualis certa , & evidens , sed transiens ; hæc ex actuali orta , & permanens : quare primùm de actuali nobis est disputandum , quærendùmque 1. an detur scientia actualis , 2. quid sit , & quocuplex : 3. quod illius objectum : 4. quæ illius affectiones. Deinde de habituali quærendum , quid sit , & an sit simplex qualitas.

§. I. *An detur scientia actualis:*

**E**RRORE fuit veterum Philosophorum , præsertim Pyrrhonorum , & Academicorum , nullam dari scientiam , nec quidquam certi affirmari de rebus , aut definiri posse ; cum hoc tamen discrimine , quòd Pyrrhonii quasdam veritatis apparentias , & umbras admitterent : Academici verò faterentur dari aliqua vera , & certa ; sed quæ illa forent , certò definiri non posse contenderent , quia nullo argumento verum à falso dignosci potest , quare abstinebant ab omni assensu , hærebantque inter verum , & falsum , quasi dubii.

**I. ASSERTIO.** Dantur quædam vera , & certa , de quibus nemo dubitet , non tantùm verisimilia , adeoque scientia. Ita Peripatetici contra Pyrrhonios , & Academicos. Probat 1. ex innata cuilibet homini sciendi cupiditate : id quod

homo naturaliter appetit, est parabile : scientiam homo naturaliter appetit : ergo scientia est parabilis. Hoc argumentum habes fusè tractatum, disp. proœmiali Logicæ, a. i. §. i.

Confirmatur : Ex cognitione effectuum, nascitur in animis nostris naturalis admiratio, quæ provocat appetitum scientiæ, excitatque ad inquisitionem causæ : ergo datur scientia.

Dices cum Pyrrhoniis, naturam quærere tantùm scientiæ apparentiam, non ipsam scientiam, aut veritatem ; at quis hoc credat ? an famelicus vnam panis apparentiam quærit, non potiùs verum panem ? vnde sic vrgeo contra Pyrrhoniis : Scepticus non quærit tantùm apparentiam, tum in cognitionibus practicis, tum in speculativis : ergo apparentiam non quærit.

Non in practicis ; nam i. circa sensibilia ipsum interrogò ; cùm gladium v. g. quærit, quo panem scindat, adeoque panem comesse possit, quid porrò quærat, an gladium, & panem ipsum ? an gladii, panisque apparentiam ? si secundum, insanus oppidò est ; quærit enim id, quo vti vult, & vesci : at insani sit, gladii, & panis apparentiã vti, & vesci velle ; si primum, vicinus ; si quærat tantùm, vt certus sit, sibi panem apparere, cur oculis sibi panem esse renunciantibus non credit ? cur tactu ipso explorat ? & quid porrò quærat ? apparentiam panis ? at per visum detexit, an quærat vtrum oculis appareat panis ? insani vti que sit, tactu explorare velle, an oculis quidpiam vsurpet. Obscurius quidpiam in dubia, & maligna luce cernis ? nã tu insulsè faciã, si manum, tactumque adhibeas ; prudenter autem, si oculos magis applices, lumen copiosius affundas, aut



certè perspicilla, aliáque id genus visus adjumenta adhibeas.

Si respondeat Scepticus, se post visus apparentiam, circa panem tactum adhibere, vt certus sit non vno tantùm sensu, sed duobus panem apparere.

Contra vrgeo, per visum panis sufficienter apparet phantasiæ, quia quod cernit oculus, id ipsum vis imaginandi percipit: ergo frustra alium sensum adhibet. Denique cur dubitat tandiu, cunctatur, inquit, nisi quia mens nondum reperit quod per sensus internuncios quæsiuit? certè nemo dubitat vt dubitet, sed vt aliquando sciat.

Postremò si respondeat se non substantiam gladii, aut panis quærere, sed id tantùm, quod sensibile est, putà sapidum, durum, &c. ergo non quærit tantùm, an gladius appareat, sed vtrum secundo pani gladius aptus sit; an res illa sit verè sapida, & dura: ergo non vnâ apparentiam quærit; nam non est idem apparere durum, & esse durum. Deinde durum est habens duritiem, quod non per se, sed per duritiem in sensus incurrit; at fatetur se quærere id quod durum est, seu an id verè duritiem, an verò apparentiam tantùm habeat: ergo cognoscit, & sensibile per se, & sensibile per accidens; sensibile per accidens, est substantia, quæ vna mente cognoscitur: ergo non tantùm sensu, sed etiam mente cognoscitur. Postremò quod nutrit, non est sapor, sed vis nutritiva, quæ sola mente percipitur, & de qua certus esse pervelit.

Non in cognitionibus speculativis vna apparentia quæritur: v. g. cùm quærunt Philosophi, an sol stet, aut moveatur, non quærunt de sole, an

stare tantùm videatur oculis , aut phantasiâ ; nam si sensum consulamus , stare videtur , idémque tibi ac mihi eodem prorsùs modo apparere potest , licèt variè de eo sentiamus : tu stare pugnas , ego moveri contendo , & tamen consentimus ambò in eo , quòd stare videatur ambobus : ergò aliquid aliud inquirimus ; rúque aliud affirmas , quod ego nego , solem nempe stare immotum. Quid quòd Pyrrhoniùs de rebus multis disputat , quæ sub sensum non cadunt : v. g. an de rebus scientia dari possit ? nam objectum illius quæstionis est vniversale , quod per se primò non est sensibile.

Probatur 2. contra Academicos : admittunt aliquod verisimile , ac probabile Academici : ergò aliquod verum , certúmque admittant , necesse est. Pr. conseq. verisimile nemo agnoscit , nisi quòd sit simile alicui vero : ergò vt admittatur verisimile , necesse est admitti verum , cuius signa verisimile præferat ; sublato enim vno correlato , tollitur alterum , quod purè respectivum sit : at verisimile est correlatum veri , quod purè respicit : ergò sublato vero , necesse est , quodlibet verisimile tolli , quamvis sublato verisimili , verum tolli non opus sit , quia verum tale est per absolutam rationem veri.

Confirmatur 1. Vt se habet negativum ad affirmativum , aut propositio modalis ad propositionem de inesse : ita se habet iudicium verisimilitudinis ad iudicium de vero ; iudicium negativum supponit affirmativum , & prius iudicium ferri debet de propositione de inesse , quàm de modalis : ergò iudicium verisimile supponit iudicium de vero.

Nec dicas, satis esse nosse verum aliquod in communi ; nam debet etiam cognosci aliquod verum determinatum : v. g. vt probabiliter iudicem hoc esse aurum , deo similitudinem auri in eo agnoscere ; vt probabiliter iudicem solem moveri , aut quiescere , debet mihi certum esse aliquid stare , aut moveri , ad cuius similitudinem sol dicatur stare , aut moveri. Meritò itaque D. Augustinus irridet Academicos , dum jaçant se verisimilitudinem sequi , licet ignorent quid sit ipsum verum.

Confirmat 2. August. lib. 2. cap. 7. contra Academic. à paritate rationis. Si quis fratrem tuum visum à se , patris tui similem esse affirmet , ipsumque patrem tuum non noverit , nonne tibi insanus videbitur ? Et postea , quidni ergo concludam , ipsa res clamat similiter ridendos esse Academicos , qui se in vita verisimilitudinem sequi dicunt , cum ipsum verum , quid sit , ignorent.

Prob. 3. Dantur multæ demonstrationes , tum in rebus speculativis , tum in practicis : ergo falsum est dari tantum veri apparentiam , seu verisimilitudinem. Prob. antecedentis prima pars : Deum per creaturas , tanquam per causas cognitionis attingimus : Dei immortalitatem per immutabilitatem , immutabilitatem per summam perfectionem , hanc per entis totalitatem ; denique per entis totalitatem , necessitatem omnia in Deum referendi asserimus. Deinde dantur demonstrationes mathematicæ , & principia in omni scientia evidentia ; in Metaphysica , *quidlibet est , vel non est* : in Physica , *quodlibet totum est majus sua parte* : in Logica , *dictum de omni , & de nullo* : in Morali , *quod tibi fieri non vis , alteri ne feceris* ; nullus enim prudens de iis dubitaverit : ergo con-

clusiones ex his principiis immediatè deductæ sunt scientificæ.

Confirm. ex adversariis, qui dum refutant principia nostra, quibusdam principiis assentiantur necesse est, quæ nisi pro certis habeant, nihil concludunt. Quæro enim ab illis, cur non detur scientia? quia, inquit, sensus errat, & à sensu scientia pendet: ergo supponunt duo, ut certa; primum, quòd sensus erret; secundum, quòd à sensu scientia pendeat, unde concludunt non posse acquiri scientiam: ergo probant se scire, dum se nihil scire pertinaciter pugnant; hoc enim sciunt, quòd non sit scientia.

Prob. 4. Vel Pyrrhonius scit existere se, vel non; si primum, ergo aliquid certò scit: si secundum, quæro, cur non sit certus de sua existencia, quia, inquit, forè fallor, bene est; falleris, ut concedis: ergo certò existis, quia falli, & decipi est existentis, & quisquis fallitur, utriusque existit.

En argumentum Cartesii, ex quo, tanquam ex primo principio, putat omnia probari; nam, inquit, valet hæc consequentia, *ego cogito: ergo sum*, nec refert, quòd decipiar; si enim decipior: ergo cogito, quia decipi, est falsò cogitare: si non decipior, ergo verè cogito: ergo ita se res habet: ergo datur scientia. In hoc tamen fallitur Cartesius, quòd hoc principium putet esse primum; multa siquidem supponit alia, 1. quidem quòd decipi, sit cogitare: 2. quòd non possit esse certus, quòd decipiatur, vel non, nisi constet illi de veritate hujus principii *Metaph. quodlibet est, vel non est*: 3. debet constare de vi formæ Logicæ, quia hanc propositionem, *ego sum*, non elicit, nisi ratiocinando, *ego cogito: ergo sum*. Ut ut sit

Hoc argumentum valet ex Aug. lib. 3. contra Academic. cap. 5. & 9. lib. 11. de civit. cap. 26. lib. 19. cap. 18. & lib. 15. de Trinit. cap. 12. *In hoc, inquit, quòd scimus nos vivere, non metuimus, ne aliqua verisimilitudine fallamur, quoniam certum est eum, qui fallitur, vivere: ubi nec Academicus dicere potest, fortasse dormis, & nescis, utrum insomnis vigiles. Qui certus est de vita sua scientia, non in ea dicit, scio me vigilare, sed scio me vivere, sive ergo dormiat, sive vigilet, vivit, nec in ea scientia per somnia falli potest, quia dormire, & insomnem vivere, viventis est.*

Prob. ultimo: Posito hoc Academicorum dogmate, 1. ruit religio; nihil enim certi manet, & quilibet dubius de fine ultimo, ipsum non prosequetur. 2. nemo sapiens intendet finem, quia nihil certi, & determinati statuit. 3. nulla erit constantia in finis prosecutione, quia nullum erit principium firmum, & immotum, in quo nitatur agens. 4. tollitur omnis discendi, docendique ratio; cum enim magister probabiles tantum rationes habeat, ipsum discipulus non audiet. 5. omnis disciplina tollitur, quia disciplina est complexio quædam definitionum, divisionum, & argumentorum: at nulla erit certa definitio, divisio, & argumentatio planè nulla.

II. **ASSERTIO.** Licet detur scientiæ perfecta, ea perfectione, quam potest humana mens assequi, non tamen est absolutè perfecta. Probatur: vel enim habetur per definitionem, vel per demonstrationem; si primum, rerum essentiam non videmus in seipsis, novimusque tantum, quòd sit quoddam connotans talem accidentium complexionem, talisque effectus: at exclusâ illâ

connotatione, essentias rerum non videmus: ergo cognitio essentiae in nobis est tantum confusa, quia essentiae substantiarum nobis non innotescunt, nisi ope accidentium, sub quibus latent; accidentium autem natura innotescit per habitudinem ad sensus, quos afficiunt, vel ad effectus, quos producant. Si secundum, medium demonstrationis potissimum est definitio subjecti, at subjecti essentia non est saepe nobis cognita, nisi ex connotatione accidentium, & effectus.

III. ASSERTIO. Vera tamen est scientia, quam hic assequimur. Prob. quia est cognitio rei per propriam causam, per quam res est, & quod non contingat aliter se habere, licet enim essentia non cognoscatur perfecte, sed per respectum ad effectum; tamen cognoscitur, ut causa effectus: at ex causa sic cognita, cognoscitur propter quid effectus sit. Deinde licet sensus attingant tantum accidentia, mens intelligit, hoc est, ut ait D. Thom. *intus legit substantiam*; hinc sensus internuncii quidem rerum sunt, easque referunt ad mentem, ita tamen ut similes sint tabellariis, qui tabellas obsignatas, aut quas ignari legere nequeunt, aut lectas intelligere, ad eum deferunt, qui eas resignatas legere, & intelligere possit.

### §. II. *Diluuntur objecta.*

ARGUMENTA, quibus scientiae possibilitas oppugnatur, alia petuntur ex facultate, alia ex objectis, alia ex principiis; contendunt enim adversarii, nullam homini inesse facultatem, quae certo judicare possit; aut nihil esse in mundo, quod sine errore cognosci possit; aut nulla esse

principia certa , per quæ comparari queat ; singulis satisfacio.

Objicies 1. Homo non appetit scientiam naturaliter : ergo non datur scientia. Prob. anteced. vel appeteret appetitu innato , vel elicitō ; non innato , quia pariter appeteret errorem , & ignorantiam etiam naturaliter ; tam enim habet vim naturalem ad errandum , quàm ad sciendum : non elicitō , quia appetitus ille esset , & non esset naturalis ; esset , vt supponitur : non esset , quia esset actus liber.

Respondeo 1. hominem appetere scientiam utroque appetitu ; innato quidem , quia omnis potentia naturali inclinatione propendet in actum , à quo naturaliter perficitur ; elicitō verò , & quidem naturali , quia actus , quo appetimus scientiam , est à natura determinatus , non quoad exercitium , quia potest à voluntate liberè exerceri , sed saltem quoad speciem , quia ex hypothesi quoddam voluntas velit exercere actum circa scientiam , non potest exercere actum odii , aut repudiationis , sed tantum prosecutionis ; hinc nemo fugit scientiam , quatenus scientia est , sed quatenus difficultatibus patet.

Ad probationem , nego intellectum perinde propendere ad errandum , sicut ad sciendum , quia intellectus inclinatur ad scientiam , vt ad perfectionem suam , quæ ei convenit , vt perfectè operanti , & ex principiis à natura inditis. Contrà error , & falsitas sunt defectus à perfectione naturali , nec intellectui conveniunt , nisi vt deficienti : verbo dicam , non sunt secundum naturam absolutè , sed secundum naturam deficientem.

Objicies 2. Omnis sciens debet esse imperturbabilis ; nemo est imperturbabilis in sua scientia : ergo nemo est sciens.

Resp. nego min. Dantur enim demonstrationes, de quarum veritate nemo nostrum dubitat, quia videmus causam rei, quæ excludit dubitationem.

Objicies 3. Essentiæ non noscuntur à nobis, ut in se sunt, sed tantum abstractivè per accidentia, & connotata : ergo non datur perfecta scientia.

Resp. dist. conseq. Perfecta simpliciter, & absolute, concedo : secundum quid, & respectivè ad conditionem intellectus humani, nego ; licet enim ex accidentibus, & causis, res cognoscatur, tamen cognoscitur certò, quia est connexio necessaria ; deinde postquam mens ex accidentibus, & affectionibus essentias rerum detexit, postmodum iisdem utitur, ut mediis à priori ad demonstrandas proprietates.

Objicies 4. Certa cognitio exigat apparentias, seu notas, quibus verum à falso secerni possit : nullæ sunt ejusmodi notæ ; immò eadem sunt veri, & falsi apparentiæ ; v. g. eadem est apparentia baculi verè fracti, & non fracti, dum aquis ex parte immergitur.

Resp. nego min. Dummodo enim adsint conditiones requisitæ, nempe objectum in justa distantia, medium ritè dispositum, facultas optimè constituta, non est eadem apparentia veri, & falsi ; aliàs si sensus ritè objecto applicati fallerentur, id utique in Dei providentiam refunderetur : vnde meritò Tertullianus in Academicos invehitur. *Quid agis, inquit, Academicè procacissime ? totum vita statum evertis, omnem naturæ ordi-*



*nem turbas , ipsius Dei providentiam excacas , qui cunctis operibus suis intelligendis , incolendis , dispensandis , fovendisque fallaces , & mendaces dominos præfecerit sensus , &c.*

Objicies 5. Nulla est facultas discernendi verum a falso ; vel enim esset sensus , vel mens ; sensus sæpè fallax : mens quoque semper errat.

Resp. dist. min. Sensus est fallax semper , nego : aliquando , transeat ; cùm enim organum vegetum est , objectum in justa distantia , & medium bene dispositum , nunquam fallitur sensus , licèt circa sensibile commune , & objectum non proprium , per accidens falli possit ; deinde licèt sensus vnus fallatur , ab alio adjutus , corrigitur vtcumque : vides baculum fractum in aqua ob refractionem speciei ? tange , rectum deprehendes. Denique quamvis duo , aut plures sensus fallerentur , ab intellectu corrigi possunt , vt dum video turrin quadratam , tanquam rotundam , ratio errorem hunc emendat , dum docet id oriri ex angulorum angustis , qui in tanta distantia distingui non possunt. Quare dist. sensus seorsim sumptus ab aliis sensibus , & intellectu , fallitur , transeat : iunctus cum aliis sensibus , & ab intellectu adjutus , nego.

Dixi , transeat ; nam in illis circumstantiis ne quidem sensus propriè fallitur , vt bene observat Tertuil. lib. de anim. cap. 17. Causa quippe erroris est in rebus , non in sensibus. Remus apparet fractus , quia species ad occursum medii diversæ rationis refracta , obliquè fertur ad oculum. Turris quadrata , apparet rotunda , quia anguli ob nimiam distantiam distingui non possunt. Vniformitas porticus in fine acuitur , quia quò magis

spatium protenditur, eò minùs apparet objectum. Denique cælum apparet terræ, aut mari vnitum, vbi visio absumitur, quæ quandiu viget, tandiu dividit.

Instabis 2. Non potest dici, quæ sit melior affectio facultatum hominis; cur enim sanitas a prior ad rectè cognoscendum, quàm ægritudo? vigilia, quàm somnus? siquidem aliquando dormientes, & ægri meliùs percipere videntur objecta, quàm vigilantes, & sani.

Resp. nego antecedens: Ratio est, quia rectum est regula sui, & obliqui. Vt enim quisque est bene affectus circa rem, ita est idoneus ipsius iudex; & quemadmodum ponderum gravitas ex iudicio robustorum, meliùs, & æquiùs æstimatur, quàm infirmorum: sic iudicium veri ex sanis, & vigilantibus, quorum potentia sunt integræ, & bene valentes, quàm ex ægris, & dormientibus, quorum facultates sunt vel læsæ, vel impeditæ, certius habetur.

Instabis 3. Nemo certus est, an sit vigilans aut dormiens, sensûs compos, aut amens; nam somniantes videntur sibi vigilare, amentes sapere.

Resp. i. nego; Licet enim oppressi somno, dignoscere non valeamus, an dormiamus, nec ne; ramen à somno excitati, certi sumus nos vigilare; aliter post somnia bellorum expergefatti, ad arma convolaremus, quod repugnat experientia; hinc Aristoteles quærenti; quis sit habendus vigil, & sanus, æquûsque istarum rerum arbiter, ait, has dubitationes ore tantùm proferri, non mente, quia nemo sanæ mentis est, qui non agnoscat, quis in communi prudens sit, & quæ sint conditiones iudicis certi, & integri, quas hîc, & nunc  
facile

facile applicabit, vt inde cognoscat, quando sibi, aut alteri credere debeat.

Instabis 4. Sæpè magi præstigiis suis nobis imponunt, eaque fingunt, quæ sapientes jurarent esse vera: ergo non potest certò distingui veritas à falsitate.

Dist. conseq. Veritas particularis, transeat: vniuersalis, nego; quamvis enim certò diiudicare non possem, an qui à me videtur, sit homo verus, aut falsus, nempe dæmon, qui corpus hominis assumpserit, aut certè propter fascinum oculi; tamen error eiusmodi in rebus vniuersalibus contingere non potest; nec enim fieri potest, vt homo non sit animal rationale; vnde probat quidem argumentum, non dari scientiam de rerum existentia, at non probat non dari de rerum essentia. Deinde quisquis Christum audit, tenetur veritatem in sensibus agnoscere, Lucæ cap. 14. *Videte, inquit Christus, manus meas, & pedes, quia ego ipse sum, & quia tactus immediariùs objectum percipit; addit deinde, palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere; hinc sanctus Leo epist. 72. Quid laborat intellectus, ubi est magister aspectus, & cur lecta, vel audita sunt dubia, ubi se visui, & tactui, tot humana salutis ingerunt sacramenta?*

Instabis 5. Sequeretur ex dictis, posse me falli in omnibus particularibus; & sic falli etiam posse in vniuersalibus, quia vniuersale non colligo, nisi ex particularibus.

Resp. 1. nego posse me falli in omnibus omninò particularibus, quia diuinæ providentiæ est idipsum non permittere. Deinde sensus debitè applicati non falluntur. 3. cùm ex inductione sin-

gularium, causam effectûs proximam attigimus, utique scimus, putà scio, quòd homo sit risibilis; quia rationalis.

Instabis 6. Sapienter quilibet dubitare potest, an quòd se scire putat; ab impostore genio immitatur.

Resp. nego: Fictitius enim ille est genius naturâ humanâ superior; vel enim esset Deus, vel non: si primum, ergo neminem fallit: si secundum, ergo Deus non patietur hominem falli ab ejusmodi genio: ergo non potest ille genius omnes omninò decipere; licèt enim vnum decipiat, saltem alterum, qui contradictoriam partem tenebit, non faller.

Objicies 5. Nemo iudex in propria causa; at intellectus esset iudex in propria causa: ergo &c.

Resp. dist. maj. Si sit quid primum, nego: nisi sit quid primum, concedo. Certè princeps plerumque est sui, & subditorum iudex, etiam in propria causa; at humana ratio, est quid primum in iudicio veri.

Instabis: Ratio sibi non constat in iudicio boni aut mali, veri aut falsi; at iudex debet sibi constare: ergo ratio non est verè iudex.

Resp. dist. maj. Quando sunt bona, vel mala ex natura rei, cujusmodi est cultus Dei, & parentum, nego: si sint bona, vel mala ex instituto hominum, ut ratio vestium, concedo; hinc cum barbari olim decrepitos parentes occidebant, ex pietatis specie quâdam idipsum præstabant, ut vitæ incommotis liberarent, licèt ex iudicio erroneo.

Instabis 2. Nulla est ferè sententia, cujus contradictoria non teneatur ab aliquo: ergo ibi ra-

tio non est veritatis iudex ; siquidem in vno fallitur.

Resp. Licet de multis sit inter Philosophos dissensio , tamen necessariò quædam ab illis supponi tanquam certa : v. g. qui disceptant de agri magnitudine , conveniunt de mensura communi : qui quærunt , an sol aut terra moveatur , supponunt motum in alterutro , ipsamque motus communem notionem , &c. Deinde licet in conclusionibus remotioribus dissentiant , tamen in primis principiis , & conclusionibus ex iisdem immediatè deductis consentiunt.

### §. I I I. *An scientia sit reminiscencia.*

**P**LATONIS error fuit , animos hominum multò antè fuisse creatos , quàm corporibus infunderentur , ipsisque à Deo inditas rerum omnium scientias , quarum subinde in corpora infusi obliviscerentur ; sed species sopitas magistrorum postmodum operâ , & labore excitari volebant , sicque homines paulatim recordari eorum , quæ in statu separationis perfectè noverant , vnde inferebat scientiam esse reminiscenciam.

**V**NICA ASSERTIO. Scientia non est reminiscencia. Ita Aristoteles 1. Metaph. c. ult. D. Thomas 1. p. q. 42. art. 3. & 2. contra Gentes cap. 83. Probat 1. quia sententia Platonis principio falsi nititur , nempe animas ante corpora fuisse procreatas ; cum enim anima sit forma corporis , debet produci in corpore , & simul cum corpore , seu creando infundi ; & infundendo creari. Ad hæc scientiam animæ à corporibus sejunctæ ex idearum communicatione hausissent ; at ideas il-

kas, vt figmenta jam rejecimus.

Probatur 2. ex Aristotele, qui 1. *Metaph.* cap. 1. & 2. docet scientias, duce, & magistrâ experientia, fuisse inventas, ipsâque admiratione, quasi obstetrice perfectas, & adultas. Deinde lib. 3. de anima, cap. 4. confert intellectum nostrum tabulæ, in qua nihil depictum sit.

Probatur 3. Dum recordamur rei, quam antea scivimus, meminimus etiam nos eandem aliàs scivisse; reminisci enim est rei cognitæ, vt antea cognitæ, meminisse; at nemo, dum scientiam addiscit, se aliquando scivisse meminit: ergo &c.

Probatur 4. Posito Platonis principio, scientia nobis naturalis foret, vtpote nobis congenita: at scientia nobis naturalis esse non potest: aliàs habitus errorum comparare non possemus, quia quod naturale est, semper idem est; projice lapidem sursum millies, pari impetu deorsum ferretur, post millesimum, atque post primum jactum; vnde probat Aristoteles virtutes homini non esse à natura inditas, quia non posset vitium contrahere: at paret experientia nos habitus erroris perinde ac vitii acquirere, quibus scientiarum, & virtutum habitus abolerentur. Denique si scientiæ nobis sunt innatæ, cur nos latent, cum tantâ se evidentia prodant? cur cæcus ab ortu, non potest de coloribus judicare, quorum notitiam habet à natura comparatam? cur tam difficilè parables, & operosæ disciplinæ; quod enim naturale est, id ipsum facilè parabile? cur denique tam dissimiles circa eandem conclusionem discrepantesque sententiæ, cum naturalia eadem vbi que sint?

Objicies: cum Platone, quæ discimus, vel sunt

nota nobis , vel ignota : si nota , non amplius discimus : si ignota , discere non valemus ; idem enim nobis contingere debet , ac ei , qui servum fugitivum quærens , quem viderit nunquam , etiam sibi obvium factum præterit , quia ipsum non novit.

Respondeo , quæ discuntur , partim esse nota , partim ignota ; nota quidem virtute , & potentiâ in suis principiis , in quibus conclusiones scientificæ continentur : ignota verò actu , quia actu non sciuntur ; at quemadmodum servus antea ignotus , potest ex certis signis , quæ ipsum prodant , innotescere : ita conclusio , licet antea ignota , potest ex principiis , in quibus continetur , nota fieri.

Instabis : si conclusio esset aliquatenus nota in primis principiis , sequeretur , qui novit omnem numerum binarium esse parem , vi hujus notitiæ nosse numerum , quem in manu mea abscondit teneo binarium , esse parem : at nosse non potest esse parem , quia non novit esse binarium , quippe qui sit in manu mea absconditus : ergo conclusio non est nota in primis principiis.

Respondeo , distinguo sequelam majoris , sequeretur numerum binarium , quem in manu mea abscondit teneo , nosse parem actu , & in particulari , nego : potentiâ , & virtute , concedo ; ubi enim quis novit actu aliquem binarium , mox virtute illius notitiæ generalis cognoscit illum in particulari esse parem.

Objicies 2. Pueri scientiæ expertes , tamen de rebus interrogati respondent : ergo habent notitiam rerum à natura impressam.

Resp. nego consequentiam ; de iis enim tan-

tum respondent pueri, quæ beneficio sensuum, & experimento, vel alia ratione didicerunt, apprehendunt enim, & judicant principia, quæ à decente proponuntur, & ex illis conclusiones deducunt, & ita scientiam de novo sibi comparant citra reminiscentiam.

Instabis: si puer à magistro docente principia discere possit, magister deberet species intelligibiles in illius animum transfundere: at transfundere non potest.

Resp. distinguo, magister deberet species intelligibiles transfundere per se, & directè, nego: per accidens, & indirectè; quatenus discipulo proponit pronuntiata, quibus similia mens ipsius format, & sensibilibus signis declarat, concedo. Porro illa signa discipulo nota sunt in vniversali, & confusè, & à magistro in particulari explicantur.

II

§. IV. *Quid sit scientia, seu de causa formali scientia.*

I. OBSERVATIO. SCIENTIA ex suis causis, vt res NATIV. Salix, innotescit: quare iuvat naturam illius ex suis causis eruere, ac primò quidem ex causa formali.

II. OBSERVATIO. Scientia sumitur latissimè, strictè, strictiùs, & strictissimè; latissimè est quælibet cognitio, sive certa sit, sive incerta, sive evidens, & inevidens; & ita complectitur opinionem, ac fidem. Strictè est quælibet cognitio evidens, & certa; & ita continet cognitionem divisivam, & definitivam, quam Averroes scientiam conceptuum vocat. Strictiùs est cognitio



demonstrativa , seu discursiva , sive effectus per causam , sive causæ per effectum habeatur. Strictissimè sumpta est cognitio rei necessariæ per propriam causam , quo sensu hîc à nobis sumitur , sed hæc iterùm duplex , actualis vna , habitualis altera : quare sit

I. A S S E R T I O. Scientia actualis , est cognitio verî per causam , propter quam est , & quòd causa sit , & quòd non contingat aliter evenire. Ita Aristoteles lib. 1. post. c. 2. habitualis verò est habitus inclinans intellectum ad dandum assensum conclusioni certæ , & evidenti , per causam rei necessariæ propriam partæ. Probatur vtriusque definitionis germanitas , quia scientiam tum actualem , tum habitualem distinguit à qualibet alia cognitione actuali , & habituali ; ab errore , qui falsus est ; ab opinione , quæ incerta ; à fide , quæ obscura , & inevidens ; hinc

II. A S S E R T I O. Scientia perfecta multas conditiones requirit , 1. debet esse cognitio verî , quia non scitur , nisi quòd verum est ; 2. per causam essendi , simul & cognoscendi habetur ; debet enim causa cognosci , quia scientia est cognitio rerum , vt in se sunt : ergo sicut res à causis suis verè pender , ita conclusio scientifica debet ab intellectu cognosci , vt à causa sua vera , & propria fluens , adeòque intellectus debet causam perfectè cognoscere ; vt est formaliter causa , non tantùm materialiter , quia scire ex Aristotele , est cognoscere causam propriam , vnde res est , sive realis illa sit , sive virtualis ; hæc conditio excludit demonstrationem *quia* à strictissima scientia , quia procedit per causam cognoscendi , non per causam essendi. 3. rei , quæ non possit aliter se habere ,

id est, necessariæ necessitate essentia, ut jam explicuimus prima parte ; itaut sciens cognoscat causam ex natura sua talem producere effectum ob necessariam vtriusque connexionem : vnde quatenus est cognitio rei per causam, i. est universalis, quia quod scitur per causam, est universale: 2. evidens, quia quod per causam propriam noscitur, ab intellectu in suo fonte, sic tanquam lux in sole viderur ; quatenus est cognitio rei, quæ non potest aliter se habere, parit certitudinem tum negativam, quia nullam relinquit dubitandi causam : tum positivam, quia causam sciens novit, quæ omnem dubitationem excludit. Vnde sciens est imperturbabilis ex Aristotele : itaque si quis cognosceret causam proximam rei, & tamen dubitaret, an posset alio modo se habere, utique rei illius scientiam non haberet.

### §. V. *De causa materiali scientia.*

I. OBSERVATIO. **M**ATERIA, in qua scientia, idem est ac subjectum, in quo recipitur : materia, circa quam, idem ac objectum, circa quod versatur.

II. OBSERVATIO. Objectum scientia duplex, alterum incomplexum, de quo aliquid scitur : alterum complexum, quod scitur ; in eo autem, quod scitur, tria spectari possunt, subjectum, prædicatum, & connexio vtriusque.

I. ASSERTIO. Causa materialis scientia in qua, est intellectus hominis speculativus. Probat : causa materialis in qua, idem est ac subjectum inhæSIONIS : subjectum inhæSIONIS scientia strictissimæ est intellectus speculativus : ergo cau-

fa materialis in qua scientiæ, est intellectus speculativus.

II. ASSERTIO. Scientia formaliter sumpta habet objectum complexum, tanquam id quod scitur, incomplexum verò tanquam id, de quo aliquid scitur.

Probatur prima pars: illud est propriè objectum scientiæ ut *quod*, quod scitur: objectum scientiæ complexum, non incomplexum scitur, quia scitur conclusio *ἐπίστυλον συμπλέξαται*: v. g. non habetur scientia de *homine* secundum se, nec de *risibili*, secundum se; sed de hoc complexo, *homo est risibilis*, quia utriusque connexionis causa datur in præmissis: at conclusio est quid complexum: ergo scientiæ objectum, ut *quod*, est complexum; hinc Aristoteles lib. 6. Ethic. cap. 6. *Demonstrabile*, inquit, *nihil aliud est, quàm questio proposita, qua in demonstratione sit conclusio*: vnde cum Aristoteles docet, omne scibile esse æternum, nihil aliud intelligit, quàm demonstrationis conclusionem. 2. non est idem objectum scientiæ, & erroris: objectum simplex (terminum simplicem vocat Aristoteles) potest esse objectum scientiæ, & erroris: ergo objectum simplex non potest esse objectum scientiæ, ut *quod*. Patet minor; nam si de homine scias, quòd sit risibilis, scientiam habes; si quòd sit hinnibilis, errorem. Porro dum dicitur conclusio sciri, intellige conclusionem passivè sumptam, hoc est, rem ipsam demonstratam, non conclusionem activè sumptam, quæ est scientia actualis; non enim est de ratione scientiæ, ut sit scientia scientiæ; sed ut sit scientia rerum ipsarum, hoc est, conclusionis objectivè sumptæ.

Probatur pars secunda : quia id , de quo aliquid scitur , est subiectum conclusionis : subiectum conclusionis est objectum simplex : ergo id de quo aliquid scitur , est objectum simplex , seu incomplexum ; hinc explicabis Aristotelem , dum assignat pro objecto Metaphysicæ , ens , vt ens , pro objecto Mathematicæ quantitatem ; ibi enim sumit objectum pro incompleto , seu pro subiecto , de quo aliquid scitur ; objectum enim scibile , vt *quod* , est proprietas de subiecto demonstranda. De objecto scientiæ tantum , jam de illius conditionibus.

III. ASSERTIO. Objectum scientiæ non debet necessariò actu existere ; debet tamen esse reale potentiâ.

Probatur prima pars : scientia est de vniuersalibus : vniuersalia abstrahunt à loco , & tempore , vt jam probatum est ; hinc datur scientia de eclipsi lunæ , licet nulla eclipsis lunæ actu existat ; hinc discrimen propositionis contingentis , & necessariæ in eo est , quòd propositio contingens non habeat aliam suæ veritatis causam , quàm actualem existentiam vnus in alio , necessaria autem habeat causam suæ veritatis in essentia ; quare scientia cognoscit quidem rem per causam , & quòd causa per se apta sit talem effectum producere , at non debet cognoscere , quòd actu causet.

Probatur secunda pars : scientia probat per veram causam : habere causam veram , est entium duntaxat realium proprium. Deinde vnum ex præcognitis demonstrationis ex Aristotele est , quòd res sit , saltem potentiâ. Denique objectum scientiæ debet habere verum genus , & veram differentiam , quia debet posse definiiri ; omne enim

demonstrabile est definibile : non entis non est verum genus, nec differentia.

IV. A S S E R T I O. Objectum scientiæ, licet reale sit potentiâ, non tamen spectatur à scientia, quâ possibile, aut actuale, sed secundum se, hoc est, secundum connexionem objectivam prædicati cum subjecto. Probatur, quia objectum spectatum secundum essentiam, & proprietates, habet omnia requisita ad scientiam; est enim necessarium, & æternum: quare possibilitatem objecti requirit, ut conditionem duntaxat, non ut objectum, nisi possibilitas de objecto probetur.

Colliges ex dictis, non dari scientiam propriè dictam de ente rationis, quia non habet veram, & propriam causam, nec proprietates de essentia demonstrabiles: nec de negationibus, & privationibus, quia non sunt entia.

Dices: tam verum est ens rationis esse verum ens rationis, quàm verum est hominem esse rationalem, quia oppositum utriusque implicat contradictionem: ergo potest dari scientia de ente rationis.

Resp. nego antecedens, quia repugnantia in ente reali oritur ex natura rei, in ente rationis ex suppositione tantum fictitia: quod autem sequitur ex fictione, fingitur potius sequi, quàm verè sequitur.

V. A S S E R T I O. Scientia est de universalibus, & necessariis. Probatur prima pars ex Aristotele 1. poster. tex. 44. ubi docet, in hoc differre opinionem à scientia, quod scientia sit ipsius universalis, opinio verò ipsius particularis, & 2. poster. tex. 27. scientiæ principium universale vocat. Probatur ratiōe: scientia est de primo, & proprio

subjecto passionis : passio non propriè cognoscitur , nisi immediatè cognoscatur , hoc est , per propriam causam : at singulare non est proprium , & primum subjectum passionis ; nihil enim cognoscimus , quod Petro v. g. vt subjecto primo conveniat ; hinc cum dicitur de Petro , quòd sit risibilis ,  $\pi$ ò risibile non convenit Petro , vt primo , & immediato subjecto , sed vt homini.

Confirmatur : de singulari nihil novimus præter complexionem accidentium , quæ est contingens : at de contingente non datur scientia. Ad hæc , quidquid scitur , vel est essentialè , vel proprium , quod naturam rei consequitur : ergo convenit primò naturæ , seu speciei , & de illo primò prædicatur. Porrò hîc per universale intelligitur tum univocum , tum analogum ; sufficit enim unitas communis , sive univoca sit , sive analogica , vt patet in scientiis totalibus , quæ sunt quid unum unitate analogica , & attributionis.

Quòd si tamen differentia singularis alicujus individui secundum se perfectè innotesceret , sciremq; non posse aliter se habere proprietatem ab eadem differentia profluentem ; quidni habere scientiam de ejusmodi individuo possem ? sicut habetur de Deo per causam saltem virtuales ; proprietates enim de Deo verè demonstrantur in Metaphysica , quæ tamen non oriuntur ex aliqua causa communi , de qua primò demonstrantur , sed ab ipso immediatè Deo. Ratio est , quòd Deus perinde se habeat ad demonstrationem , ac si reipsâ foret aliquod universale ; cum enim de essentia Dei sit non solum esse Deum , sed etiam esse hunc Deum , quidquid convenit Deo , quatenus Deus est , convenit illi , quatenus est hic Deus.

Probaturs secunda pars ex 1. poster. tex. 7. & ex definitione scientiæ jam tradita ; id quod scitur, non potest aliter se habere : ergo est necessarium. Porro cum necessitas triplex sit , alia existentiæ absoluta , alia causæ , seu subjecti , & incomplexa , alia essentiæ seu prædicati , seu complexa , vnam necessitatem complexam ad scientiam requirimus, Metaphysicam quidem ad scientiam metaphysicam, Physicam , & Moralem ad scientiam physicam , & moralem. Consule quæ diximus de scientia 1. parte Logicæ , disp. 1. a. 3. §. 1. hinc

1. De fortuitis , & contingentibus non datur scientia , quia non datur in iis causa propria , per quam sciamus , nec effectus proprii , qui sciri possint ; deinde fortuita sunt incerta , & indeterminata , scientia est certa , & determinata.

2. Non datur quoque scientia de entibus per accidens puræ aggregationis , quæ coalescunt ex entibus completis ita temerè aggestis , vt nullum habeant ordinem ex sese , nec proprietates aut effectus ex illa fortuita conjunctione necessariò fluentes : nec de entibus puræ informationis , quia in iis forma subjecto merè contingenter vnitur ; potest tamen dari scientia de ente per accidens ordinis , quia constat ex multis entibus completis quidem , & diversis , sed ita inter se conjunctis , vt ex iis sic compositis proprietates , & effectus necessariò fluant : sic datur scientia de mundo , de numero , de syllogismo , vt in 1. parte Logicæ confecimus.

Objicies 1. Objectum scientiæ debet esse quid vnum : ens per accidens ordinis non est quid vnum : ergo de eo non datur scientia. 2. Ex Aristotele 2. Physic. datur scientia de casu , & fortu-

na : ergo datur scientia de fortuitis.

Resp. ad 1. dist. majorem : objectum scientiæ debet esse quid vnum vel vnitare essentiæ , vel vnitare ordinis , concedo : vnitare tantum essentiæ , nego ; modò enim ex vnitare ordinis affectio , & effectus aliquis necessariò fluat , id sufficit ad objectum scientiæ.

Ad 2. transeat antecedens , nego consequentiam ; potest enim haberi scientia de casu , & fortuna secundum essentiam spectatis , quia sic sumpta non possunt aliter se habere ; at non inde sequitur de effectis casualibus , & fortuitis scientiam posse comparari , quæ necessaria non sunt ; sic potest haberi scientia de mutationis , & corruptionis essentia , licet de mutabilibus , & corruptibilibus nulla habeatur.

### §. VI. *De causa efficiente scientiæ.*

CERTUM est 1. Deum posse esse causam efficientem scientiæ , quia potest infundere habitum scientiæ , seu species in intellectum , vt re ipsâ infudit Angelis , & Adamo in ortu.

Certum 2. Angelum , & præceptorem posse esse causas instrumentales , & adjuvantes scientiæ ; Angelum quidem tum per voces in aëre formatas , & signa sensibilia , perinde ac præceptor solet per voces præire discipulo , tum species in ipsa vi imaginatrice disponendo , tum removendo impedimenta , putà humorum nimiam copiam , quibus species , quasi consepultæ jacent , imminuendo , aut crassiores extenuando , aut agritudinem sublevando ; præceptorem verò doctrina , & institutione. At quæritur hinc quænam facultas possit esse



causa proxima effectrix scientiæ, an sensus, an solus intellectus.

I. A S S E R T I O. Sensus non potest esse causa proxima scientiæ perfectæ, quamvis sine sensuum operatione prævia, scientia haberi non possit.

Probatur prima pars, 1. quia scientia est universalium, sensus autem singularium tantum; hinc 1. poster. tex. 43. *per sensum non est scientia, quia sensus particularium est.* 2. omnis sciens debet scire se scire: ergo debet se reflectere supra suas operationes: sensus non possunt se reflectere supra suas operationes, quia sunt materiales, & extensivi: ergo habent partem extra partem; at pars extra partem posita, non potest redire in alteram; quia esset extra, & non esset extra: ergo nec possunt sensus se reflectere, quia reflexio est recursus potentæ in se ipsam, seu in operationem; hinc docet Aristoteles, licet noverimus sensu triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales, tamen adhuc esse opus demonstratione, quia per sensum non cognoscimus universaliter. 3. scire est per causam cognoscere, seu habitudinem causæ ad effectum attingere: sensus non potest cognoscere rem per causam; seu habitudinem effectus ad causam, sed actualem duntaxat ejus cum effectum coexistentiam, quia illa habitudo est relatio; relatio autem non cadit sub sensu: ergo sensus non attingit dependentiam effectus à causa, sed utriusque duntaxat coexistentiam: v. g. canis baculo læsus, viso subinde baculo, non apprehendit baculum, ut causam sui doloris, sed ad aspectum baculi, species pristinae percussione in memoria superstes excitatur, & sic baculum fugit, quia baculum, & percussione sibi molestam coëxi-

stentes apprehendit ; hinc si quis , inquit Aristoteles , esset supra lunam , viderétque terram interpositam inter solem , & lunam , non ideò haberet scientiam de eclipsi lunæ , quia causam , propter quam est vniversaliter , & per se , non cognosceret , sed tantùm causæ , & effectûs coëxistentiam : vnde sensus certi quidem sunt de coëxistentia terminorum , non verò de connexionè essentiali ipsorum.

Probatur secunda pars : cognitio principiorum necessaria est ad scientiam , quia non datur progressus in infinitum in scientiis : non obtineretur cognitio principiorum sine sensuum ministerio , & inductione , quia principium colligitur ex experiētiis , experientia ex multis memoriis , memoria ex sensûs ipsius perceptione , vt docet Aristoteles 2. poster. tex. 27. vnde pronuntiatum Aristotelis 3. de gener. animal. cap. 10. *αἰσθησις δύνάμιν ἔχει ἐπιστήμης* : *sensus habet vim scientia* , nempe dispositivè. Vide quæ diximus disp. proœm. de natura , & principiis Philosophiæ , a. 3. §. 1.

Objicies 1. in primam partem : sensus potest cognoscere omnia singularia collectivè : singularia collecta æquivalent vniversali : ergo sensus potest cognoscere vniversale saltem æquivalenter. 2. ex Philosopho 2. poster. sensus est vniversalium , quia sensus est omnis coloris.

Respondeo ad 1. negando minorem ; singularia enim collectivè sumpta sunt multa , quæ non fiunt vniversalia , nisi sub vna ratione communi ab intellectu per præcisionem cognoscantur. Deinde licèt omnia singularia , quæ existunt , sensu perciperentur , non tamen possibile omnia cognoscerentur ; quare plus cognoscit , qui cognoscit

rem vniversaliter , quatenùs talis est , & secundùm quod ipsa , vt ait Aristoteles ; qui autem cognoscit singularium existentiam , scit tantùm , quòd ita sit : primus cognoscit omnia tum existentia , tum possibilìa secundùm attributa essentialia , & quidem pro omni tempore : secundus solam existentiam , & quidem in præsentì tempore .

Ad 2. respondeo cum eodem Aristotele 1. poster. c. 22. sensum , id est , potentiam sensitivam esse coloris omnis , id est , non determinari ex ratione sua specifica ad hunc numero colorem , sed omnes indeterminatè respicere , & quemlibet in singulari , dum actu cognoscit , attingere ; sensus enim , quidquid percipit , tanquam existens hïc , & nunc , percipit , intellectus autem potest abstrahere vniversaliter ab hïc , & nunc : itaque dum oculus videt eminus coloratum , non abstrahit à singularibus , sed intellectus duntaxat .

Objicies in 2. partem , inductio est certum argumentum veritatis propositionum vniversalium , & principiorum : vel nulla scientia certa est , quia habetur per inductionem .

Respondeo , nego vtramque partem ; primam quidem , quia vt inductio esset principium certum veritatis , deberet fieri per omnia omninò singularia , quod est moraliter impossibile ; tandiu enim dubitandi locus superest , quandiu vnus individuum est ignotum : v. g. licèt experius sis mille pisces non respirare , non idèd colligere possis : ergo nullus piscis respirat : nam delphinus , quem non vidisti , respirat . Deinde quamvis omnia , quæ existunt , singularia , probè nosse , posses adhuc dubitare , an aliquod esset possibile individuum , quod respiraret ; quare quod

deest ex parte inductionis, debet suppleri vel per penetrationem terminorum intimam, vel per comparisonem cum aliquo tertio notiore, quod fit regula veritatis; secundam verò, quia inductio non est proximum motivum assentiendi principiis, aut conclusionibus ex iisdem immediate deductis, sed cognitio tantum præparans intellectum instar conditionis, ut cognitio singularibus principium formet, cui primò assentiatur, si primum sit, vel per notius, si secundum.

Instabis I. Saltem deberet fieri inductio per omnia singularia, ut præpararet intellectum ad formandam propositionem universalem: at inductio per omnia singularia fieri nequit: ergo &c.

Resp. dist. majorem, in materia contingenti, concedo: in materia necessaria, subdistinguo, physicè, nego: moraliter, concedo. Debet quidem fieri inductio per omnia singularia in materia contingenti, quia ut hæc propositio sit vera, *omnis paries est albus*, supponit inhærentiam albedinis in quolibet pariete, & quidem actualem; sensus enim illius est, *omnis paries est existens albus*: quare debeo esse certus de inhærentia albedinis in quolibet pariete; at non possum esse certus, nisi per inductionem; in materia verò necessaria, non opus est fieri inductionem physicè per omnia omninò singularia, sed satis est, si fiat moraliter, id est, per plura. Ratio est, quia inductio non requiritur, tanquam ratio motiva assensûs quem damus propositioni universali, sed duntaxat tanquam conditio applicans intellectui objectum cognoscendum; factâ enim per plura individua inductione, intellectus per abstractionem nativâ virtute ex singularibus universalia eruit.

terminos problematis inter se comparat, eorūque veritatem detegit, & quasi educit ex manifesta terminorum connexionē, si propositio immediata sit: vel ex comparatione cum tertio, si sit mediata, & ita supplet, quod deest ex parte inductionis.

Rem exemplo illustro: lubet scire, an omnis homo sit risibilis? 1. perlustro plura individua naturæ humanæ, & quasi recensēo, Petrus ridet, Paulus ridet, & quoscunque vidi hætenus homines, rident, tum sic arguo: qui effectus in pluribus individuis alicujus naturæ cernitur idem, ex aliquo principio singulis communi oriatur, necesse est: risus convenit omnibus individuis, quæ vidi hætenus, aut viderunt majores retroactis temporibus: ergo ex aliquo principio communi oriatur, necesse est.

2. Ut principium illud, idque immediatum detegam, categoriam substantiæ in subsidium advoco, & arguo tum negativè, tum positivè; negativè quidem hac methodo: ergo vis risiva convenit Petro, & Paulo, vel quæ sunt vnum in substantia, vel quæ sunt vnum in corpore, vel quæ participant rationem viventis, vel sentientis, vel rationalis: non quæ sunt vitum in substantia, & corpore, aliàs angelus, & lapis riderent: non quæ viventis, aut sentientis rationem participant, aliàs planta, & equus riderent: ergo superest ut vis ridendi conveniat homini, quæ rationalis est.

3. Postquam removi gradus communes, à quibus vis risiva non profluit, & detexi principium, à quo fluit, progredior ulterius positivè, quæ rōque, quid sit rationale, quid risivum, quid risus; tum discussis, penetratīque singulorum defini-

tionibus ; video principium primò constitutivum hominis , quà homo est , esse vim ratiocinandi ; ex vi ratiocinandi fluere immediatè vim discurrendi , & quidem necessariò ; ex vi discurrendi vim admirandi ; denique ex vi admirandi vim ridendi immediatè , mediatè verò ex vi discurrendi , & ratiocinandi oriri : vnde demùm hanc propositionem formo , *omnis homo est risibilis , quia rationalis.*

Instabis 2. Illa cognitio ortum habet à sensibus : at cognitio , quæ ortum ducit à sensibus , est incerta : ergo hæc cognitio est incerta.

Resp. distinguo majorem ; itaut intellectus nihil aliud noscat , quàm quod est in sensu , & eo modo , quo est in sensu , nego : itaut intellectus aliud cognoscat , & alio modo , quàm quo est in sensu , concedo. Certè longè aliter res est in intellectu , quàm in sensu. In sensu est per experientiam , in intellectu per abstractionem : in sensu vt hoc singulare , in intellectu vt universale : in sensu citra comparisonem , in intellectu aut per comparisonem cum notiori principio universali , aut per penetrationem terminorum intimam. Denique in sensu quasi in famulo , in intellectu , vt in iudice , & arbitro : itaque istud effatum , *nihil est in intellectu , quod prius non fuerit in sensu* , sic interpretor , vt rudimentum quoddam cognitionis intellectualis sit in sensibus , perfectio , & consummatio in intellectu , qui sagacitate sua universalialia , multaque alia , quæ in objecto sensuum quasi occulta latebant , eruat , ipsos demùm sensuum operandi modos , & conditiones observet ; si quid erratum ab iis , deprehendat , & tanquam iudex corrigat. Hæc nota,

II. **A S S E R T I O.** Solus intellectus est causa proxima effectrix scientiæ perfectæ. Probatur: solus intellectus, utpote facultas spiritalis cognoscit habitudinem causæ ad effectum, & in se suâque operationes regreditur: ergo solus est causa proxima scientiæ. Deinde facultas effectrix scientiæ, debet eadem esse effectrix universalis, adeoque abstrahere: solus intellectus potest abstrahere, ut jam confecimus: ergo &c. at

Quæres, quomodo intellectus acquirat scientiam?

Respondeo duobus præsertim modis, nempe disciplinâ, & inventione; disciplinâ quidem, doctrinam à præceptore hauriendo; inventione autem, dum observatione singularium mens paulatim ad universalialia affilit, communésque notiones: unde eget ministerio sensuum, quibus res singulares attingit; deinde memoriâ, quæ species sibi concreditas conservet, tum experimento, ut ex eo colligat veritatem principiorum, ex quibus subinde conclusiones eliciat. Plura vide disp. præcæm. Logicæ, a. 3. §. 1.

### §. VII. De causa finali scientiæ.

I. **A S S E R T I O.** **F**INIS qui scientiæ speculativæ proximus internus est veritas: practicæ est opus; remotus est perfectio intellectus.

Probatur prima pars 1. ex Aristotele 2. Metaph. c. 1. τῆς θεωρητικῆς φιλοσοφίας τέλος ἀλήθεια, contemplatricis Philosophiæ finis veritas. Et verò scientia contemplatrix habet pro fine nudam rei veritatem, cum sit sui gratiâ.

Probatur secunda, quia scientia actiuosa per se tendit ad opus, nec causas per se considerat, sed in ordine ad opus.

Paret tertia, quia per veritatem tum speculativam, tum practicam perficitur intellectus speculativus, & practicus, 1. negativè per expulsionem ignorantia puræ negationis, & interdum pravæ dispositionis, 2. positivè per acquisitionem scientiæ habitualis.

II. ASSERTIO. Finis externus scientiæ est beatitudo tum speculativa, tum practica, quia mediante veritate speculativâ, & practicâ utramque beatitudinem assequimur; huc adde utilitatem aliorum, & propriam scientis; aliorum quidem, quibus prodesse possumus per scientiam: propriam scientis, ad hunc enim finem scientiam referre prudentiæ est. De fine tum interno, tum externo scientiæ vide plura in disp. procem. a. 3. §. 3. ubi de utroque fusiùs egimus.

§. V. L. T. *Dubia de natura scientiæ  
solvantur.*

PRIMUM, an scientia totalis sit simplex qualitas, aut composita? Respondeo, esse compositam ex multis habitibus specie subalterna distinctis, sub vna tamen ratione generica qualitatis contentis. Probatum ex fine habituum, qui dantur ad tollendas diversas difficultates intrinsecas: at in scientia totali, v. g. in Physica dantur diversæ difficultates superandæ; & quidem intrinsecæ; nam difficultas, quam mens experitur in cognoscenda quantitatis natura, diversa est ab ea, quam experitur in cognitione corporis naturalis: ergo habitus distincti requiruntur.

Confirmatur: ex assensu dato huic propositioni, *homo est risibilis, quia est rationalis*, in gene-



ratur habitus inclinans ad dandum assensum huic propositioni , *homo est risibilis , quia rationalis* , qui tamen non me inclinatur ad assensum hujus propositionis , *materia prima est ingenerabilis*.

Secundum , an habitus illi partiales , ex quibus totalis scientia coalescit , distinguantur à speciebus in memoria relictis , & inter se ordinatis. Respondeo probabiliùs non distingui juxta principia tradita parte 6. Ethicæ vniversalis disp. 1. de habitibus , a. 1. §. 2. Probatur , quia nulla est necessitas admittendi habitus distinctos à speciebus intelligibilibus in potentia cognoscente ; vt enim solæ species , antequam ordinentur , valent per se ad causandum actum iudicii : ita ordinatæ sufficiunt ad facilitandum intellectum in elicienda conclusione ; sunt autem ordinatæ per actum iudicii vnâ cum alia componentis. Accedit D. Thomas de veritate , q. 20. a. 2. vbi definit habitum , collectionem specierum ordinarum ad cognoscendum , & 1. contra Gentes , c. 56. *Omnis* , inquit , *intellectus fit in habitu per aliquas species intelligibiles*. Dixi probabiliùs , nam altera sententia non caret probabilitate , vt loco jam citato docui.

Tertium , an scientia totalis ex habitibus partialibus conflata ; sit vna vnitate ordinis ? Respondeo , esse , quia habitus illi partiales ordinantur ad perfectam notitiam objecti totalis , & ad æquati comparandam : ergo seruant inter se vnitatem ordinis. Probatur antecedens : licet enim in Physica sint multæ scientiæ partiales , alia de causa materiali , alia de causa formali , de quantitate alia , alia de corpore simplici , aut mixto ; in hoc tamen conueniunt omnes , quod sint cognitiones

de corpore naturali, quod est totale, & adæquatum Physicæ objectum.

Quartum, quid sit subalternatio scientiarum? Respondeo esse dependentiam vnus scientiæ ab alia penes certitudinem, & evidentiam. Quæ dependet, & subjicitur, dicitur subalternata; quæ non dependet, sed aliam sibi subjicit, dicitur subalternans: sic Metaphysica dicitur, & est scientia subalternans, Physica subalternata.

Porrò vna scientia alteri subordinatur, ratione finis, principiorum, & subjecti. Ratione finis, cùm finis inferioris refertur ad finem superioris: sic omnes scientiæ morales dicuntur vna scientia, quia ad vnum finem ordinantur: sic frœnofactoria ars equestri, equestri militari subjicitur.

Ratione principiorum, cùm principia scientiæ subalternatæ demonstrantur à subalternante: sic medicinæ principia sunt propositiones demonstratæ à Physica; hinc Aristoteles docet, subalternatam scire, quòd sint principia, subalternantem verò scire, propter quid sint, quia subalternata principia sua supponit à subalternante demonstrata, vt pote quæ sint illius conclusiones.

Denique ratione subjecti seu materiæ, cùm subjectum scientiæ subalternatæ sub scientiæ subalternantis subjecto continetur, illudque ad se contrahit per differentias essentielles; vt cùm corpus cæleste, quod est objectum scientiæ de cælo, contrahit corpus naturale, quod est subjectum Physicæ vniuersalis: aut per differentias accidentales, vt cùm numerus sonorus, qui est subjectum musicæ, contrahit numerum in communi, qui est arithmeticæ subjectum; hinc

Ad subalternationem scientiarum, quatuor requirunt

quirunt Philosophi , 1. vt subalternata habeat idem subiectum cum scientia superiori , 2. vt illi subiecto addat differentiam saltem accidentalem , 3. vt supponat principia sua evidenter nota lumine subalternantis scientiæ , 4. vt subalternata habeat aliquam evidentiã circa proprias conclusiones , quæ obscuritatem excludat , & certitudinem , quæ dubitationem removeat : sic Musica subicitur Arithmetici , 1. quia idem habet objectum , nempe numerum , 2. addit differentiam ipsi accidentalem , hoc est , differentiam numeri sonori ; 3. supponit evidentiã suorum principiorum in Arithmetica contineri : 4. eorum experientiam circa proprias conclusiones habet exploratam.

Objicies 1. si objectum scientiæ subalternatæ addit objecto subalternanti differentiam accidentalem , objectum scientiæ subalternatæ erit ens per accidens : de ente per accidens non datur scientia : ergo &c. 2. objectum subalternantis differentiantùm accidentariò ab objecto subalternatæ : ergo subalternans , & subalternata , differunt tantùm accidentariò.

Resp. ad 1. dari scientiam de ente per accidens ordinis. Resp. ad 2. nego sequelam ; licet enim objecta vtriusque scientiæ accidentariò tantùm differant , vt sunt res quædam , differunt tamen essentialiter in ratione objecti , quia accidentalis differentia in re , sufficit ad diversa objecta formalia constituenda.



*De proprietatibus scientia.*

**C**V M in omni propositione scientifica tria sint, quæ instar proprietatum ex ea fluunt, nempe veritas, evidentia, & certitudo, jamque de veritate actum sit; superest, ut de evidentia, & certitudine breviter disputemus.

§. I. *De evidentia scientia.*

**V**I D E N D V M 1. quid sit evidentia, 2. quotuplex, 3. ex quibus principiis petatur, 4. quæ ad ipsam requirantur.

I. **A S S E R T I O.** Evidentia definitur clara quædam, & perspicua objecti manifestatio, seu lux, & claritas cognitionis, quâ mens perfusa, objecti veritatem pervidet. Prob. quia hæc definitio constituit evidentiam, & distinguit ab opposito, nempe ab obscuritate.

II. **A S S E R T I O.** Evidentia oritur 1. ex sensibus, quibus quasi internuntiis rem apprehendimus; 2. à lumine naturali intellectûs; 3. à speciebus intelligibilibus omnia clarè repræsentantibus; 4. à medio, quo ipsa conclusio probatur; hæc enim singula ad evidentiam conferunt: quare definitur obscuritas, privatio lucis in cognitione seu in intellectu; hinc objectum evidenter cognitum videtur simile rei, seu tabellæ, quam in bona luce videmus; obscurè autem cognitum simile rei, quam in maligna, & sublustri luce cernimus. Differt à certitudine in communi, quia certitudo

potest esse sine evidentia, ut in fide divina; at evidentia non potest esse sine certitudine. Quare ut sit clara cognitio, 1. objectum debet esse potentia proprium, 2. potentia debet esse bene disposita, 3. perfecta unio potentia cum objecto; ita si oculo bene affecto proponis lumen; deinde in debita distantia, oculus non potest non videre clarè objectum: idem dixeris de intellectu. Hastenùs de natura, & causis evidentia, jam de divisione.

Triplex est evidentia pro triplici operatione mentis; quæ ad primam spectat, dicitur ab aliquibus distinctio: quæ ad secundam, claritas: quæ ad tertiam, evidentia.

Evidentia tertia operationis, seu conclusionis, dividitur in evidentiam consequentis, & evidentiam consequentia; prima manifestat objectum propositionis illius, quæ dicitur consequens; secunda manifestat bonitatem argumentationis, seu formæ ex regulis Logicæ, quæ dicitur bonitas consequentia: illa petitur à materia necessitate, hæc à Logicæ præceptis, & regulis: evidentia primæ operationis lata dicitur; iudicii verò stricta, quia id dicimur propriè intelligere, & scire, quod iudicamus. Deinde quia iudicium dicitur propriè excludere formidinem.

Secunda partitio evidentia fit in Moralem; Physicam, & Metaphysicam; Metaphysica fundamentis metaphysicis nititur: fundamenta autem metaphysica sunt ipsæ rerum essentia, & proprietates, seu earum connexio omninò necessaria, ut *quidlibet est, vel non est: omne totum est majus sua parte*. Dicitur etiam Logicæ, ad quam Mathematica revocatur. Physica nititur fundamentis physicis, hoc est, connexione naturali causa-

rum, & effectuum, quæ citra miraculum impediri non potest; talis est evidentia hujus actûs, quo judico, *ubi datur ignis, ibi dari calorem: ibi esse ignem, ubi apparet fumus.* Moralis nititur fundamentis moralibus; fundamenta autem moralia sunt, quæ à libertate pendent, & moralem necessitatem inducunt ob moralem connexionem, quam habent cum objecto evidenter judicabili: talis est evidentia actûs, quo judico *Romam* esse ex communi relatione omnium asserentium, aut quo fidem adhibeo viro veracissimo quidpiam seriò attestanti; hinc evidentia metaphysica excludit omnem formidinem metaphysicam, estque in summo gradu evidentia: physica formidinem physicam, & est in secundo gradu evidentia: moralis formidinem moralem, hoc est, rationabilem, & prudentem, estque in tertio gradu evidentia.

Tertia partitio evidentia est in intrinsecam, & extrinsecam. Intrinseca habetur aut per medium ex natura rei connexum cum extremis, vel à priori, vel à posteriori, ut in demonstrationibus: aut ex ipsis terminis immediatè, ut in principiis per se notis. Extrinseca habetur per medium extrinsecum, quo res cognoscitur evidenter, cujusmodi habetur per auctoritatem attestantis evidenter cognitam.

Evidentia tertia operationis pendet ex evidentia secunda, & evidentia bonitatis formæ: evidentia verò judicii ex evidentia apprehensionis: quare si confusè apprehendis, primum est ut erres in judicando: v. g. ex eo, quod angelum concipis instar pueri alati, propè est ut si te reflectas in conceptum, putes angelum esse coloratum,

aut posse tangi , quia puer potest colorari , & tangi.

Alter quoque error ex vitio tertiæ operationis oritur ; sæpè enim firmiter adhæret conclusioni , quia habet evidentes præmissas , aut putat se habere , nec tamen ita dispositas , vt forma syllogismi exigit ; hinc vides quanti intersit rectè apprehendere ; nam ex apprehensione clara , iudicii evidentia , & ex iudicio evidente conclusionis claritas fluit. His positis , fit

III. A S S E R T I O. Ad scientiam perfectam , evidentia tum consequentis , tum consequentiæ requiritur. Prob. I. quia Aristoteles nullam aliam scientiam novit , nisi quæ oritur ex principiis per se notis , vel ex iis , quæ ex principiis per se notis deducuntur : ergo scientia perfecta debet esse evidens , evidentiam tum consequentis , tum consequentiæ.

2. Sciens debet certò iudicare rem non posse aliter se habere ; non potest autem , nisi certus sit de evidentia consequentis , & consequentiæ ; nam si dubius sit de evidentia consequentiæ , non constabit ipsi de veritate formæ : si de evidentia consequentis , non constabit de veritate materiæ.

Confirmatur : Intellectus vel habet certitudinem ab objecto sibi immediatè proposito , & illa certitudo oritur ex evidentia immediata , vel ab alio ; si ab alio , vel à causa , vel ab affectu , vel à signo , vel ab alio necessariò connexo , vel ab authoritate dicentis. Quando à causa , effectu , & aliquo necessariò connexo , tunc certitudo eritur ex evidentia mediata ; si ab authoritate dicentis : vel est humana , & sic certitudo est fallibilis ; vel à divina , & tunc est fides supernaturalis , quæ

certissima quidem, sed inevidens; at

‡ Quæres, an ad evidentiam consequentis requiratur evidentia utriusque præmissæ?

Respondeo requiri, quia evidentia conclusionis oritur ex evidenti connexionem medii termini cum utroque extremo; ad connexionem autem medii termini cum utroque extremo duæ præmissæ requiruntur: hinc ex vna præmissa evidente, & altera inevidente sequitur conclusio inevidens, quia conclusio sequitur debiliorem partem.

### §. II. De certitudine.

**V** I D E N D U M quid sit, quotuplex, & quæ sint ejus principia.

I. A S S E R T I O. Certitudo est firma quædam, & immobilis adhæsiō intellectûs ad objectum absque dubitatione, aut formidine; dicitur enim certus, qui ita firmiter, constantèrque propositioni assentitur, ut ab ea avelli non possit. Ratio est ex Aristotele, lib. 1. poster. quodd sciens debeat esse imperturbabilis.

Prima divisio certitudinis est in Moralem, Physicam, & Metaphysicam, seu Mathematicam. Metaphysica tunc est, cum ita certi sumus, ut ne divinitus quidem aliter se res habere possint; talis est certitudo hujus propositionis: *duo, & tria faciunt quinque*. Physica est, cum secundum cursum naturæ ordinarium, res aliter esse non potest, licet divinitus aliter esse possit: sic ignis non potest naturaliter non comburere; divinitus tamen potest non comburere, si Deus concursum suum ad combustionem subtrahat. Moralis est, cum juxta consuetudinem communem res ita contin-



gere solet, licet interdum non contingat, ut *omnis mater diligit filium.*

Primus gradus certitudinis supponit necessitatem absolutam, & omnimodam. Secundus, necessitatem ordinariam, & naturalem. Tertius, necessitatem ut plurimum contingentem. Primus omnium est perfectissimus. Secundus minus perfectus. Tertius imperfectus, si relativè sumitur ad alios gradus, licet in se perfectus sit. Ratio divisionis est, quia quædam res sunt, quarum principia impediri non possunt; aliæ, quarum principia possunt impediri per accidens, ut res naturales: aliæ denique quarum principia & per se, & per accidens facilè impediri possunt, cujusmodi sunt actus humani, quorum appetitus liberè electivus est.

Secunda divisio est in intrinsecam, & extrinsecam. Extrinseca est, quæ non est per se ipsam, aut ratione objecti in intellectu, sed per ordinem ad voluntatem, intellectum ad assensum impellentem, licet non vincatur evidentiâ objecti, ut in fide contingit, quæ si humana est, falsum admittere potest, secus si divina. Intrinseca oritur ex iis, quæ sunt cognitioni quodammodo intrinseca, nempe ab objecto, vel à lumine intellectûs, seu à cognitione. Certitudo ex parte objecti est ipsa objecti infallibilitas, quæ dicitur certitudo objectiva. Certitudo ex parte cognitionis, quæ formalis dicitur, est ipsa cognitionis infallibilitas; oritur autem ex medio, vnde de re contingenti potest esse cognitio certa, si medium fuerit certum, ut in fide divina, sicut de re necessaria potest esse cognitio contingens, si medium probabile sit, ut in opinione. Certitudo ex parte

subiecti, est firma adhæſio intellectûs ad rem veram, aut apparenter veram, quæ aliquando patitur falſitatem, vt patet in iis, qui erroribus ſuis pertinaciûs adhæreſcunt.

II. A S S E R T I O. Certitudo intrinſeca oritur duplici ex capite. 1. ex medio, per quod ſcientia acquiritur. 2. ex objecto, de quo ſcientia acquiritur; habetur ex medio, cùm medium ita certum eſt, vt pariat ſcientiam. Porro medium poteſt eſſe certum vel ex parte rei, cùm neceſſariò connexum eſt cum re, & ex natura ſua tale eſt, vt ſit cauſa rei: vel reſpectu noſtri, cùm nobis notum eſt à poſteriori, & deducit nos in cognitionem rei, vt effectus reſpectu cauſæ, vel ex parte objecti à materia abſtracti; materia quippe indeterminata eſt radix certitudinis; hinc quò objectum ſimplicius eò certius, quia minùs pendet à materia & ideò que ſcientiæ ſingulæ abſtrahunt à materia, ſaltem ratione.


III. A S S E R T I O. Certitudo intrinſeca, tam ex parte objecti, quàm ex parte mediï ad ſcientiam requiritur. Probat: quia ſcientia eſt cognitio rei per propriam cauſam, per quam res eſt. Deinde eſt de vniuerſalibus; vt eſt cognitio rei per cauſam, habet certitudinem ex parte mediï; vt eſt de vniuerſalibus, habet certitudinem objecti. Denique objectum debet eſſe prima radix certitudinis in ſcientia exiſtentis; hinc dicitur mediï requirit proxime, & immediate ad ſcientiam, objectum verò mediate, & remote.

IV. A S S E R T I O. Certitudo intrinſeca eſt proprietas ſcientiæ, non pars eſſentialis. Probat: ſcientia in conceptu ſuo eſſentiali includit tantùm rationem cognitionis objecti neceſſarii per cauſam

necessariam : talis cognitio non dicit in suo conceptu certitudinem , nisi causaliter , & consequenter ; hinc

Colliguntur duo. Primum , certitudo extrinseca non sufficit ad scientiam , quia scientia est cognitio rei per propriam causam. Secundum , extrinseca certitudo ab intrinseca in hoc differt ; 1. quodd extrinsecæ possit subesse falsum , non intrinsecæ , quia hæc oritur ex evidentia , & infallibilitate rei : 2. extrinseca pendet à voluntate , non intrinseca ; nam intrinseca est aliquando contra voluntatem , ut dum voluntas corrupta nollet Deum esse bonum aut justum , quem tamen intellectus bonum , & justum cogitur ab evidentia objecti fateri. 3. intrinseca reducitur ad principium notissimum à quo pendet : extrinseca verò ad voluntatem , & auctoritatem dicentis. 4. intrinseca oritur ex evidentia , non extrinseca , licet indubitata sit ; hinc certitudo fidei divinæ semper obscura est , saltem intrinsecè , licet ex parte motivorum credibilitatis , adsit evidentia extrinseca.





A D L I B R O S

## T O P I C O R V M.

D I S P U T A T I O V N I C A.

*De locis Topicis.*

**P**OST QUAM Aristoteles de syllogismo demonstrativo egit in libris poster. Analyt. de syllogismo topico, seu dialectico octo libris Topicorum fusissimè disputat, cujus partus est opinio; ut enim syllogismus demonstrativus parit scientiam, ita dialecticus opinionem.

Ut syllogismus topicus ritè construi possit, duo requiruntur; inventio argumentorum, quibus quaestio proposita vel probetur, vel improbetur, & eorundem apta collocatio; inventio quidem requiritur, quia non quidlibet ad quodvis probandum temerè assumitur; licèt enim verum vero consentiat, v. g. ista veritas, *homo est risibilis*, cum ista, *temperantia est virtus*, consentit; neutra tamen per aliam probari potest, quia neutra alteri cohæret: vnde argumenta inveniri debent, quæ connexionem cum problemate proposito habeant, & fidem facere possint: collocatio verò nihilo minùs necessaria, quàm inventio, quia cum multa sæpè argumenta suppetant eidem quaestioni

probandæ accommodata , juvat ipsorum habere delectum , deinde ubi selegeris , certo ordine ac suo disponenda.

Quare totum hoc opus in tres partes distribuit Philosophus. Primo quidem libro , certa quædam principia inventioni , & collocationi communia præmittit ; sex verò aliis libris , artem inveniendi , & methodum tradit ; octavo denique , de concinna argumentorum dispositione tractat , seu de modo disputandi.

Utilitas hujus operis dialectici triplex ex Aristotele ; confert enim hæc tractatio 1. ad exercitationem , dum probabiles utrinque disserendi rationes sufficit ; 2. ad colloquia , congressusque hominum , præsertim multitudinis , cui similitudines ex rebus per se notis depromptæ fidem potiùs faciunt , quàm argumenta ex intimis artium penetralibus eruta. 3. ad faciliorem partium Philosophiæ perceptionem , tum quia argumentis utriusque partis diligentius expensis , quod verum sit , aut falsum , faciliùs dignoscitur : tum quia argumentorum probabilium copiam suppeditat , quibus cujusque scientiæ principia , quæ à priori demonstrari non possunt , illustrentur.

Quatuor generalia instrumenta recenset Aristoteles c. 14. quibus argumenta quæstioni probandæ idonea inveniri possint. Primum est propositio-num delectus : secundum , ambiguum distinctio : tertium , inventio differentiarum : quartum , similitudinum investigatio.

Aristoteles in Topicis nullam adhibuit locorum divisionem , nec certum servavit ordinem : in arte Rhetorica duo eorum genera posuit. Prioris generis *ἐπιχειρηματικὰ* , artificiales vocat , Cicero infi-

tos, qui in eo ipso, de quo agitur, hærent: posterioris generis ἀτεχνου, *inartificiales* nuncupat, Cicero remotos ab arte, & assumptos, sic dictos, non quòd nulla arte ad sui tractationem indigeant; vbi enim occurrerunt, artem vel maxime postulant, sed quòd eorum inveniendorum ars nulla sit, cum vltro artis rudibus cum ipsa re occurrant; artificialium autem inventio iuxta, & tractatio artem requirat. Porrò omnes sunt artificiales præter locum à testimonio, & ab auctoritate. Denique alii ab habitudine termini inferentis, & illati partitionem petunt in intrinsecos, extrinsecos, & medios. Locus intrinsecus est, in quo argumentum petitur à substantia rei, & à concomitantibus substantiam. Extrinsecus, in quo argumentum ducitur ab iis, quæ à substantia rei, de qua quæstio instituitur, separata sunt. Medius, in quo argumentum sumitur ab iis, quæ partim conveniunt, partim differunt. Iuxta hanc partitionem quinque articulos continebit hæc disputatio; primus erit, de locis intrinsecis: secundus, de extrinsecis: tertius, de mediis: quartus, de arte disputandi; quintus, de effectu syllogismi Topici, seu de opinione.

In locis tum insitis, tum extrinsecis assumptis, & mediis, spectantur duo à plerisque, *maxima*; & *differentia maxima*. Maximam vocant propositionem per se notam, quæ fidem aliis per se tribuit, cujusmodi sunt hæc pronuntiata, *cui convenit definitio, convenit, & definitum*: quod *convenit essentialiter generi, convenit, & speciebus*. Differentia maximæ est receptaculum, seu sedes earum, quæ ad definitionem v. g. spectant, argumentationum: nec enim satis est docere, vnde ar-

gumentum depromi possit, quod est differentia maximæ, nisi etiam aliqua maximæ, quas canones appellabimus, indicentur, quæ commodè in aliqua quæstione vsurpari possint.

Ejusmodi locos prætermittunt multi, quòd oratorii sint potiùs, quàm philosophici instituti; alii fusissimè tractant, nos mediam quasi viam inibimus, & quantum ad dialecticam institutionem spectat, brevissimè eorum tractatione defungemur.

## A R T I C V L V S I.

### *De locis intrinsicis.*

**I**N re duo spectantur, substantia rei, & concomitantia ipsam substantiam; hinc locus intrinsicus dividitur in locum à substantia, & locum à concomitantibus. Locorum à substantia alius à definitione, alius à descriptione, alius à notatione; Rei enim definitio substantiam rei explicat: descriptio loco definitionis, cum inveniri non potest, sufficitur: denique interpretatio nominis aliquatenus affinis. Locorum à concomitantibus substantiam, alius ducitur à toto, alius à parte, alius à causa, alius ab effectu, nonnullus à generatione, & corruptione, alius ab usu, quidam à communiter accidentibus. De quibus singulis ita seorsim agemus, ut usum, & maximam, seu pronuntiatum, quo usus nititur, unà, quantum fas erit, jungamus, ubi pauca de syllogismi Topici natura disseruerimus.

## §. I. De natura syllogismi Topici.

I. SYLLOGISMVS Topicus, qui Aristoteli dialecticus dicitur, utpote ad disputandum accommodatus; definitur lib. I. Topic. c. I. ὁ ἐξ ἐνδοξῶν συλλογισμῶν, qui ex probabilibus concludit, seu cujus medium est probabile argumentum; sic enim distinguitur à demonstrativo, qui ex necessariis, & à sophistico, qui ex apparentibus concludit.

II. Argumentum est ratio dubiæ quæstioni fidem faciens, seu probabile inventum ad faciendam fidem; Aristoteli μέσον, medium, & ἐπιχείρημα, aggressio, πίσις, fides dicitur; est enim causa, & ratio ejus, quod concluditur, & conficitur disputando. Argumentatio est argumenti per orationem explicatio; argumentationis enim est vim ipsius argumenti explicare, dum ipsum assumit tanquam probans, atque ex ipso conclusionem colligit dubiam ad ejus veritatem demonstrandam; hinc differunt locus, argumentum, & argumentatio. Locus est receptaculum, & quasi sedes argumenti: argumentum ex loco, quasi aurum ex fodina eruitur; argumentatio est ipsius argumenti explicatio.

III. Materia syllogismi topici duplex; altera ex qua, nempe argumentum probabile; altera circa quam, quæ est subjectum tractationis.

IV. Probabilia definiuntur ab Aristotele lib. I. Top. c. I. τὰ δοκοῦντα πᾶσι, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σοφοῖς καὶ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις καὶ ἐκδόξοις: probabilia sunt, qua videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, & iis vel omnibus, vel



*plurimis, vel maximè cognitis, & probatis.* In hac definitione vox, *videntur*, sic intelligi debet, vt probabilia videantur omnibus vera cum aliqua formidine partis oppositæ; nam propositiones necessariæ videntur omnibus, sed sine formidine. Rursus videri omnibus aut aliquibus verum, non est ratio, cur aliquid sit probabile, sed signum probabilitatis, quam secundùm se vindicat; authoritas enim fidem facit, non probabilitatem: reliquæ partes sunt loco differentiarum, quibus varii gradus probabilitatis innuuntur. Quædam enim ita sunt probabilia, vt statim atque proponuntur, omnibus probabilia videantur, vt *Deus est colendus: parentes sunt honorandi*: quædam plerisque, vt *opes magno studio conquirenda*: quædam omnibus sapientibus, vt *doctrina opibus potior*: quædam plurimis sapientibus, vt *terra stat immota*: quædam spectatissimis: sic visa sunt Heraclito omnia continenter fluere; monet tamen Aristoteles, quando aliquid vni alicui, vel paucis, quantumvis claris, probabile videtur, si ab aliis omnibus vt paradoxum rejicitur, non debere probabile censerî: quâ ratione transmigratio animarum, quam tenuit Pythagoras, jam nullo modo probabilis habetur.

v. Circa delectum propositionum probabilium non vna est Philosophi præceptio. Circa naturam earum tres canones, 1. eligendæ propositiones verè probabiles. 2. eligendæ, quæ vt plurimum sunt verè probabiles, vt *matres diligunt liberos*, quia coguntur eas concedere, qui nesciunt in re aliqua rem non ita se habere. 3. sumantur quàm maximè vniversales, quia ex vna multæ deduci possunt, vt *oppositorum eadem est scientia*: inde enim se-

quitur eandem esse scientiam contrariorum perinde ac relatorum ; frigidi , & calidi ; patris , & filii ; domini , & servi.

Circa modum delectus sex canones. 1. colligendæ propositiones tum ex iis , quæ dicuntur , & audiuntur , tum ex libris. 2. diversa rerum genera separatim notanda : v. g. de virtute , & vitio , &c. 3. rei generatim acceptæ definitio statuatur. 4. tum ad ejusdem rei qualitates , effectus , cognata , opposita progressio fiat. 5. quid viri spectatissimi dixerint , annotetur ; facile enim iis , quæ viri spectatissimi dixere , fidem habemus. 6. quæ ad diversas scientias spectant , separatim colligantur.

V I. Monet quoque Philosophus videndum diligenter , quot modis quidque dicatur , vt vocis ambiguitas tollatur. Deinde differentias cujusque rei inveniendas in diversis generibus , quæ non multum distant , prætermittis eorum differentiis , quæ longius distant ; cum enim facile a parent , eas inquirere scrupulosius inutile ac supervacaneum. Denique similitudines investigandas esse præcipit. Porro circa similitudinum investigationem triplex illius monitum. 1. quærenda similitudo in rebus diversi generis per particulam *ad* : v. g. *vt se habet alterum ad alterum , scientia ad scibile , ita aliud ad aliud , puta sensus ad sensibile*. 2. diversa inter se componi , & contendere debent per particulam *in* : v. g. *vt se habet visus in oculo , ita mens in anima , &c.* 3. exercitatio frequens sit in indagandis similitudinibus eorum , quæ dissita sunt , quia facile in aliis rebus deteguntur , in istis difficilius.

V I I. Porro distinctionis vocum ambiguarum

quadruplex utilitas , 1. perspicuitas propositionis major , sublatâ ambiguitate. 2. de re rum disputa-  
tio instituitur , non de verbis. 3. facilis parasyllo-  
gismorum solutio. 4. facilis aliorum deceptio ,  
qui vocis significatus varios ignorant. Inventionis  
differentiarum duplex quoque opportunitas , 1. fa-  
cilior syllogismorum de eodem , & diverso con-  
structio ; detectâ enim rerum propositarum diffe-  
rentiâ , statim eas non esse idem confectum erit.  
2. cujusque rei naturæ perfecta cognitio ; definitio  
enim , si germana sit , propriam cujusque rei dif-  
ferentiam aperit. Denique inventæ similitudinis  
triplex usus , 1. valet ad probandum quidpiam  
per inductionem , quia similitum particularium in-  
ductione universale concludi putamus , 2. ad syl-  
logismos hypotheticos : quod enim de re non ab-  
simili rei propositæ concluditur , censetur de re  
proposita conclusum : hinc quia inter sensum , &  
scientiam est similitudo , invento semel medio ,  
quo probetur contrariorum eundem esse sensum ,  
ex illius suppositione concludere pronum est , ean-  
dem quoque esse contrariorum scientiam hoc mo-  
do : *si contrariorum est idem sensus ; eadem quo-  
que contrariorum est scientia ; verum prius , ergo  
& posterius.* 3. ad constructionem definitionum  
rum in univocis , tum in analogis : sic deregimus  
quietem esse genus analogum ad serenitatem aë-  
ris , & tranquillitatem maris , quod aër serenus , &  
mare tranquillum immota maneant.

VIII. Materia circa quam syllogismi topici ,  
est quodlibet ens , de quo quidpiam disputando  
concludi potest. Probatur ex Aristotele , qui i. To-  
pic. c. i. ait Dialecticæ scopum hunc esse propo-  
situm , ut methodum inveniat , per quam possimus

de omni problemate proposito ex probabilibus argumentari, ἢ μὲν ἀφορῆς τῆς πραγματείας, μέθοδον διρεῖν, ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ πάντος τῆ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδύξων; hinc patet ipsius dialecticæ amplitudo, versatur enim in qualibet materia tum Logicæ, tum Physicæ, tum Ethicæ, & Metaphysicæ.

I x. Quadruplex est attributum syllogismi dialectici; genus, definitio, proprium, & accidens. Ita Aristoteles cap. 4. idque probat cap. 8. omne attributum vel conversim dicitur cum subjecto, vel non; si primum, vel est essentialiale, & est definitio: vel non essentialiale, estque proprium: si secundum, iterum vel est essentialiale, & est genus, vel accidentale, & est accidens: ergo omne attributum est vel genus, vel definitio, vel proprium, vel accidens. Nec refert quod differentia essentialis possit habere rationem attributi; quia si generica sit, ad genus reducitur; si specifica, ad definitionem, sicut species, dum attribuitur inferioribus, ad genus quoque revocari potest, quia quæstio superioris ad inferiora per se eodem modo tractatur, sive specie inferiora, sive numero differant; hinc

Quatuor sunt problematum, & propositionum genera in Dialectica, quia tot sunt problematum, & propositionum genera, quot sunt attributa: at quatuor sunt attributa ex dictis: ergo &c.

x. Propositio dialectica vel est cum interrogatione, vel sine interrogatione; si sine interrogatione, communi nomine dici potest propositio: si cum interrogatione, vel fit tantum de vno, & est quæstio v. g. *an felicitas constituenda sit in virtute?* si de duobus, est problema, quod proponi

potest duobus modis. Primo de duobus oppositis: v. g. *sintne parentes honorandi, necne?* secundo de duobus non oppositis: v. g. *sintne bellum inferendum Germanis, an Hispanis?*

## §. II. Locus à definitione.

I. **D**EFINITIO, vt antè diximus 4. parte Logicæ disp. 2. a. 3. §. 2. est oratio, quæ id quod definitur, explicat, quid sit, nempe per genus, & differentiam. Locus à definitione, est habitudo definitionis ad definitum, sicut locus à definito est habitudo definiti ad definitionem, ex cuius vi argumenta secundùm hunc locum depromuntur: vnde quot modis valet argumentum à definitione ad definitum, totidem à definito ad definitionem, quia definitio, & definitum reciprocè dicuntur.

I I. A loco definitionis argumenta sumuntur affirmativè, & negativè; affirmativè duobus modis, 1. ex parte subjecti, cùm definitio subjecti assumitur, vt *habitus bonus est expetendus; igitur & virtus: habitus malus est fugiendus; igitur & vitium*. Canon, quidquid prædicatur de definitione, prædicatur de definito. 2. ex parte prædicati, vt *temperantia est habitus bonus; igitur & virtus: intemperantia est habitus malus; igitur & vitium*. Canon, de quocunque dicitur definitio, dicitur & definitum.

I I I. Negativè item duplici modo, 1. ex parte subjecti, vt *nullum animal rationis expers est capax disciplina; igitur nullum brutum disciplina capax*. Canon, quidquid negatur de definitione, negatur de definito: 2. ex parte prædicati sic,

*scientia non est habitus bonus ; igitur nec virtus.* Canon , de quo negatur definitio , negatur & definitum , seu à quocunque removeretur definitio , & definitum.

IV. A definito ad definitionem valet argumentatio etiam affirmativè , & negativè ; affirmativè duobus item modis , 1. ex parte subjecti , definitum subjiciendo , vt *homo est risibilis ; igitur animal rationale est risibile.* Canon , quidquid prædicatur de definito , prædicatur & de definitione. 2. ex parte prædicati , vt *temperantia est virtus ; igitur & habitus bonus.* Canon , de quo dicitur definitum , & definitio pariter dicitur.

V. Negativè item duobus modis , 1. ex parte subjecti , vt *quidam homines nunquam ratione utuntur ; igitur quedam animalia rationalia nunquam ratione utuntur.* Canon , quidquid removeretur à definito , removeretur à definitione : 2. ex parte prædicati , *leo non est homo ; igitur nec animal rationale.* Canon , à quo removeretur definitum , & definitio.

VI Quatuor cautiones , 1. valet argumentatio à definitione ad definitum , & vicissim , cum aliquid notius convenit definitioni , quàm definito , & vicissim ; 2. passiones propriæ cujusque rei clariùs conveniunt definitioni , quàm definito : vnde proprium meliùs definito per definitionem , quàm definitioni per definitum inesse conficitur. Contrà accidentia singularia clariùs conveniunt definito , quàm definitioni , quia non ratione essentia , sed ratione singularitatis , & materiae conveniunt : vnde accidens definitioni , per definitum validiùs , quàm definito per definitionem inesse probatur. 3. cum argumentum à definitione ducitur , leges

definitionis animo diligentius recolendæ. 4. definitio facilius refellitur, quàm confirmatur, quia difficilius est sumere propositiones, quibus definitio astruitur, tum quia vnâ partem evertere sufficit, omnes autem probari debent, tum quia vt definitio confirmetur, probandum est eam convenire omni, & soli; vt autem evertatur, sufficit probare, quòd conveniat nulli, vel non omni, vel non soli.

§. III. *Loci à descriptione, & nominis interpretatione.*

I. **D**EFINITIONEM rei cuiusque invenire cùm arduum sit, plerumque loco definitionis, descriptionem substituimus ex accidentium complexione conflata; fit autem potissimum per accidentia propria, quæ si desint, ex plurimis accidentibus longiori quasi verborum circuitu contextitur; quin etiam interdum per inferiora alius superioris conficitur, quæ vera accidentia non sunt, sed modum accidentium imitantur.

I I. Fiunt à descriptione argumenta ad descriptum, vicissimque à descripto ad descriptionem eâdem ferè ratione, atque à definitione ad definitum, & à definito ad definitionem, hoc est tum affirmativè, tum negativè subijciendo, & prædicando, vt *mansuetudo est habitus laudabilis, est igitur virtus: scientia non est habitus laudabilis, non est igitur virtus.* Canones sunt, 1. quidquid dicitur de descriptione, & de descripto: 2. de quocunque dicitur descriptio, & descriptum. 3. quidquid negatur de descriptione, & de descripto. 4. de quo negatur descriptio, & descriptum.

& vicissim ; quot enim modis à descriptione , totidem à descripto arguere fas est , modò descriptum sit notius descriptione.

III. Definitio nominis , Græcis ἐπιμὸν , Latinis *notatio* , & nominis interpretatio , est nominis minùs noti per aliud magis notum explicatio. Inter disputandum nonnullius est vsus , quia multa disputando elici ex verbo possunt.

IV. Definitio nominis vel est adæquata definito , vel latiùs patet ; cùm æquè latè patet , valet consequentia tum affirmativè , tum negativè , vt *prædicat futura ; ergo est propheta : non est propheta ; igitur non prædicat futura : amor sapientia studendum ; igitur Philosophia studendum : amor sapientia non negligendus ; igitur nec Philosophia.* Canones duo , 1. cui definitio nominis tribuitur ei etiam definitum tribuitur : 2. cui definitio nominis non tribuitur , nec definitum ; cùm definitio nominis latiùs patet , consequentia valet tantùm negativè , vt *non est communis aliquot victorum victus : ergo non est cœna ; cœna enim Græcis κοινή dicitur.*

V. Sub loco à descriptione continetur locus à proprio. Porrò ducitur à proprio argumentatio , 1. affirmando , vt *temperantia per se est laudabilis ; igitur & virtus : homo est risibilis ; igitur & rationalis.* Canon , de quo dicitur proprium , id etiam , cuius est proprium , dicitur. 2. negativè , vt *intemperantia non est per se laudabilis ; igitur nec virtus : equus non est risibilis ; igitur nec rationalis.* Canon , de quo negatur proprium , de eo negatur id , cuius est proprium.

VI. Ad locum à notatione reducitur locus à synonymis , vt *hoc est vestis ; igitur & vestimen-*



*tum.* Canon , de quo affirmatur vnum synonymum , affirmatur & alterum ; sed hic locus nullius ferè vsûs. De locis à substantia tantùm ; iam de locis , qui substantiæ rei annexi sunt.

#### §. IV. De locis à toto , & parte.

I. **T**O T U M est , quod pluribus constat , potest- que dividi in partes ; quadruplex hîc facimus , 1. universale , quod superius est , vel vt genus , vel vt species : 2. integrale , quod constat suis partibus integrantes : 3. totum in quantitate , quod est quodlibet universale universaliter acceptum , id est , quilibet terminus communis cum signo generali acceptus : 4. totum in modo , quod est nomen commune sine restrictione acceptum ; quod si per modum aliquem specialem determinetur , tunc pars in modo dicitur. Additur totum in loco , & totum in tempore. Quo- modo à singulis argumentum ducatur , paucis explico.

I I. A genere ducitur argumentum , 1. negativè subjiciendo , vt *nullum animal est inanimatum ; igitur homo non est inanimatus : nullum vitium est utile ; igitur furtum non est utile.* Canon , quid- quid negatur de toto generali , negatur de ejus parte : 2. negativè prædicando , vt *nulla virtus est contemnenda ; igitur nec temperantia est contemnenda.* Canon , de qua negatur totum universale , negatur & ejus pars subjectiva. Porro hic locus valet negativè , quia cum totum universale actu in suis inferioribus contineatur , eo remoto , inferiora ejus removentur ; non autem affirmati- vè , quia à superiori particulariter sumpto non

valet consecutio ; hinc non sequitur , *equus est animal : ergo equus est homo* , quia animal dicitur de equo , & homine vt diversis partibus.

I I I. Locus à parte subjectiva , seu à specie , est ejus habitudo ad suum totum , seu genus.

I V. A parte subjectiva ad totum vniversale arguitur affirmativè , 1. ex parte subjecti , vt *homo est rationalis ; igitur quoddam animal est rationale : veritas apud improbos odium parit ; igitur quaedam virtus apud improbos odium parit*. Canon , quidquid dicitur de parte subjectiva , dicitur de toto : 2. ex parte prædicati : vt *habet olfactum ; igitur habet sensum : homo ambulat : ergo homo movetur*. Canon , quidquid dicitur de parte subjectiva totius vniversalis , de eodem , & totum. Canon communis , cuicumque attribuitur pars totius vniversalis , attribuitur & totum particulariter. Ratio est , quia ab inferiori ad superius vniversaliter sumptum nulla consecutio.

V. A parte subjectiva sumitur argumentum negativè , 1. ponendo partem , & totum in subjecto , cum constantia tamen partis subjectivæ , vt *homo non est albus , & homo est : ergo aliquod animal non est album*. Canon , quidquid negatur de parte totius vniversalis cum ejus constantia , etiam negatur de toto particulariter : 2. ponendo partem , & totum in prædicato , vt *ambulans non est homo , & homo est : ergo ambulans , non omnis homo est*. Canon ex parte subjectiva cum ejus constantia : de quo negatur pars totius vniversalis cum ejus constantia , de eodem negatur , & totum particulariter. Canon communis : à quo cum ejus constantia removetur pars , removetur particulariter & totum. Porro constantia subjecti requiritur

tur in propositionibus contingentibus, quia veritas propositionis contingentis supponit existentiam subjecti; secus autem in propositionibus necessariis, quia abstrahunt ab existentia subjecti.

v i. A specie essentialiter sumpta ad individua consecutio affirmativa est, vt *homo est animal rationale*; igitur & *Petrus est rationalis*. Canon, quod convenit essentialiter speciei, convenit & omnibus individuis. Item & negativa, vt *homo non est lapis*: ergo nec *Petrus*. Canon, quod repugnat speciei, repugnat omnibus individuis.

v i i. Huc revocatur differentia, quia si generica est, ab ea perinde valet argumentatio ad species, atque à genere: si specifica, ab ea valet consecutio ad individua, sicut à specie; hinc à differentia concluditur tum affirmativè, vt *homo est sensitivus*; igitur *animal*. Canon, cui convenit differentia, & convenit & id, cujus est differentia: tum negativè: *equus non est rationalis*; igitur nec *homo*. Atque hæc quidem de toto universali, & parte subjectiva; jam de toto integrali, & ejus parte.

v i i i. Locus à toto integrali est ejus habitudo ad partem, sicut à parte integrali est habitudo partis ad totum. Item in toto integrali pars duplicis rationis; altera principalis, altera minùs principalis: sic in homine cor, & caput sunt partes principes, digitus, & auris partes minùs principales; sine principalibus totum stare nequit, sine minùs principalibus, potest; hinc

i x. A toto integrali argumentum ducitur affirmativè ad partes principes, vt *domus est*; igitur & *tectum*: *homo est*; igitur & *caput*. Canon,  
*Logica Tom. I I.* X

posito toto integrali , necesse est quamlibet ejus partem principem poni : at non ducitur negativè , non enim sequitur , *non est domus ; igitur nec fundamentum* , quia stat fundamentum , domo etiam non stante.

x. A toto integrali ad partes minùs principales , non proceditur affirmando ; hinc non valet , *homo est ; igitur habet manum , aut pedem* , quia nec manus , nec pes requiruntur ad existentiam hominis , nisi fortè à toto vsquequaque perfecto progressio fiat ; bene enim sequitur , *hic homo est perfectus ; igitur habet manus , pedes , &c.*

x i. A negatione singularum partium principum fit processus ad negationem totius : *non est fundamentum ; igitur nec domus*. Canon , parte principe ablatâ , totum esse non potest ; non fit tamen à negatione partium minùs principalium ad negationem totius , nisi arguas ad negationem perfectionis totius , bene enim infertur , *hic homo non habet manum dexteram ; igitur non est vsquequaque perfectus*.

x i i. A partibus singillatim sumptis nulla illatio ad totum per affirmationem , ut *est fundamentum ; itaque est domus* : ab omnibus collectim sumptis legitima , *est fundamentum , paries , & tectum ; itaque est domus*. Canon , positis omnibus partibus , necessariò ponitur totum. Ratio est , quia totum nihil est præter partes conjunctim sumptas. Excipe partem totius homogenei , à qua valet illatio ad existentiam totius , ut *est pars aquas igitur est aqua* : non quidem propter habitudinem partis integralis ad suum totum , sed partis subjectivæ ad suum totum ; in quolibet enim toto homogeneo partes integrantes sunt quantita-

tivæ , & subjectivæ , de quibus totum prædicatur , vt superius de inferiori , secundum essentiam , non vt totum integrale de parte integrante.

X I I I. Totum in quantitate differt à toto vniversali , quòd totum vniversale signo vniversali non afficiatur ; totum verò in quantitate afficiatur ; hinc definitur totum in quantitate , terminus communis , mediante signo vniversali , vniversaliter sumptus ; pars autem totius in quantitate est terminus minùs communis sub toto in quantitate sumptus : v. g. *omne animal sentit* , ibi animal , vt mediante signo vniversali , *omne* , sumitur vniversaliter , est totum in quantitate ; remove signum vniversale , & dicitur , *animal sentit* , non erit ampliùs totum in quantitate. Petrus , bucephalus sunt partes totius in quantitate , nempe animalis , quia sub illo toto sumpti sunt termini minùs communes.

X I V. A toto in quantitate affirmativè concluditur ad partem , 1. subjiciendo , vt *omne animal sentit ; igitur concha sentit*. Canon , quod dicitur de toto in quantitate , dicitur & de parte : 2. prædicando , non vt totum prædicatum , sed vt partem prædicati , vt *oculus percipit omnes colores* , id est , est percipiens omnes colores : *ergo percipit nigredinem*. Canon , de quo dicitur totum in quantitate , dicitur & pars. Item negativè concluditur 1. subjiciendo , *nullum animal est inanimatum ; igitur equus non est inanimatus*. Canon , quod negatur de toto in quantitate , negatur & de parte. 2. prædicando , *oculus non percipit saporem ; igitur nec dulcedinem*. Canon , de quo negatur totum in quantitate , & ejus pars.

Dices : Hæc consecutio non valet , *omnis homo*

*legit ; igitur Adam legit : ergo à toto in quantitate non arguitur affirmando. Resp. hominem per verbum legit , restringi ad eos , qui nunc legunt , adeoque Adamum , qui non est amplius , sub illo toto non contineri.*

x v. A partibus ad totum in quantitate argumentatio fit affirmando 1. ex parte subjecti , vt *albedo , nigredo &c. visu percipiuntur ; igitur omnis color.* Canon , quod dicitur de partibus simul sumptis , dicitur de toto in quantitate ; 2. ex parte prædicati , vt *oculus percipit nigredinem , albedinem , &c. igitur omnem colorem.* Canon , de quo partes collectim sumptæ dicuntur , & totum in quantitate. Item negando , 1. ex parte subjecti , vt *non percipitur auditu nec amaror , nec dulcedo , &c. ergo nullus sapor auditu percipitur : 2. ex parte prædicati ; auditus nec amarorem , nec dulcedinem , &c. percipit ; igitur nullum saporem percipit.* Canon , de quo negantur partes simul sumptæ , negatur totum in quantitate. Canon generalis , quidquid removeretur à partibus totius in quantitate simul sumptis , & ab ipso toto removeretur.

x v i. Locus à toto in modo , est ejusdem ad suam partem habitudo : sicut locus à parte in modo , est ejus ad suum totum habitudo.

x v i i. Eo modo argumenta sumuntur à toto in modo , quo à toto vniuersali , nempe negativè 1. ex parte subjecti , vt *nulla vox percipitur visu : ergo nulla vox significans visu percipitur : Deus non mutatur ; igitur nec irascendo mutatur.* Canon , quidquid negatur de toto in modo , negatur & de ejus parte : 2. ex parte prædicati , *lapis non est animal ; igitur lapis non est animal rationale.* Canon , de quo negatur totum in modo , negatur

quælibet pars illius. Canon generalis, à quo removetur totum in modo, removetur & pars.

xviii. Duplex cautio, 1. totum in modo sumatur univèrsaliter; 2. videndum, ne pro parte in modo, sumatur dictum secundùm quid. Porrò sola determinatio restringens facit partem in modo; determinatio autem non restringens, sed diminuens, ampliãns, aut distrahens facit dictum secundùm quid.

xix. A parte in modo, fiunt argumenta ad totum, in modo sicut à parte subjectiva ad totum univèrsale, affirmativè, 1. ex parte subjecti, vt *animal rationale disciplina capax est; igitur & animal.* Canon, quod dicitur de parte in modo, dicitur de toto, sed particulariter: 2. ex parte prædicati, vt *homo est capax disciplina; ergo & animal.* Canon, de quo dicitur pars in modo, dicitur & ejus totum; negativè à parte in modo sumpta cum constantia, 1. ex parte subjecti, vt *animal rationale non est album, & animal rationale est; igitur aliquod animal non est album.* Canon, quod negatur de parte in modo constantiam habente, negatur de toto particulariter sumpto: 2. ex parte prædicati, vt *homo non est animal nigrum, & animal nigrum est; igitur homo, non omne animal est.* Canon, de quo negatur pars in modo cum ejus constantia, de eo negatur & totum. Porrò in propositionibus necessariis non requiritur constantia partis, quia abstrahunt ab existentia subjecti.

xx. Totum in loco, & totum in tempore ex Aristotele sub toto in quantitate aliquatenus comprehenduntur, à quibus sumuntur argumenta, 1. affirmando; à toto quidem in loco ad partem,

*Deus ubique est ; igitur & hîc est : à toto in tempore, vt Deus semper est ; igitur & nunc est : 2. negando, vt Plato nullibi est ; igitur nec est hîc : non semper homines extitère ; igitur ante mundum conditum non extitère. Item à parte ad totum arguitur negativè ad destructionem totius, vt non est hîc ; igitur nec ubique : in calo non est miseria ; igitur, non ubique est miseria : non est hodie ; igitur non est semper : ante mundum conditum non extitère homines ; igitur non semper homines extitère : at non valet argumentatio affirmativè ; ab vna parte ad totum, vt Petrus est Parisiis, ergo est ubique : hodie verum dixit Petrus ; ergo semper verum dixit ; valet tamen ab omnibus partibus collectim sumptis, vt Deus est in calo, in terra, &c. ergo est ubique : Deus est nunc, pridie, heri, &c. ergo Deus est semper.*

### §. V. De locis à causis, & effectis.

**I.** **V**is locorum à causis latissimè patet, magnique est in differendo, & scientia comparanda vsus ; vt enim absque causa nihil fieri potest, ita nec sciri. Porrò non hîc agitur de consecutione termini ad terminum, aut propositionis ad propositionem, sed rei ad rem.

**II.** Causa est id, ad cuius esse, sequitur aliud, eaque quadruplex ; efficiens, à qua aliquid fit : finalis, cuius gratiâ aliquid fit : materialis, ex qua quidpiam fit : formalis, per quam totum constituitur ; effectus est, qui ad causam sequitur. Porrò ad causam sequitur, quod ex aliquo, per aliquid, ab aliquo, aut alicujus gratiâ fit.

**III.** Causæ internæ duæ sunt, materia, & forma : externæ, efficiens, & finalis ; illæ sunt in-



tra essentiam, quam componunt, hæc extra essentiam, quam causant.

I V. Locus à causa est habitudo ejusdem ad suum effectum : locus ab effectu est illius ad suam causam habitudo.

V. Causa alia necessaria, sine qua certus effectus fieri nequit : alia sufficiens, à qua potest ita esse effectus, ut possit ab aliis causis oriri.

V I. A causa necessaria, & non impedita licet concludere existentiam effectûs, & vicissim ; sicut à negatione causæ necessariæ licet concludere negationem effectûs, & vicissim, ut *sol ortus est ; igitur dies est : dies est ; igitur sol ortus est : est interpositio terra inter solem, & lunam ; igitur est eclipsis luna : luna patitur eclipsim ; igitur est interpositio terra inter solem, & lunam : sol non lucet ; igitur nec dies est : dies est ; igitur sol lucet : non est interpositio terra inter solem, & lunam ; igitur non est luna eclipsis : luna non patitur eclipsim : igitur non est interpositio inter solem, & lunam.*

V I I. A causa sufficiente posita valet argumentatio ad effectum affirmativè, non vicissim ab effectu ad causam ; bene enim sequitur, *amputatum est illi caput ; igitur interiit* : at non bene sequitur, *interiit ; igitur amputatum est illi caput*, quia potuit alia ex causa interiire.

V I I I. A remotione causæ sufficientis, non rectè inferitur remotio effectûs, licet à remotione effectûs rectè inferatur remotio causæ sufficientis ; hinc consecutio nulla, *non est jugulatus ; igitur non interiit* : legitima autem, *non interiit ; igitur non est jugulatus*, sed ut clariùs pateat, quomodo à singulis causis argumentum duci possit, sic

§. VI. *Locus à causa materiali.*

I. **C**AUS A materialis, alia ex qua, alia in qua, alia circa quam. Iterum materia ex qua alia transiens, alia permanens; illa mutatur, nec post rem factam manet; hæc manet in toto, quod componit.

II. A causa materiali ex qua transeunte, & permanente positâ argumentum valet affirmativè ad possibilitatem effectûs, *ut est ferrum; igitur possunt fieri arma: est lignum; igitur potest fieri ignis.* Canon, positâ materiâ ex qua, possibilis est effectus. Negativè valet argumentatio à remotione materiæ permanentis ad existentiam effectûs, *ut non sunt lapides, nec cœmenta; igitur nec domus.* Canon, remotâ causâ materiali permanente, removeretur effectus. At non valet à negatione materiæ transeuntis actualis; non enim sequitur, *non est farina; igitur non est panis*, sed ut valeat, ita informari argumentum debet, *non fuit farina; igitur non est panis*: valet tamen ad fieri effectus, *ut non est farina; igitur non fit, nec fieri potest panis.*

III. Colligitur ex materia ex qua permanente longior, aut brevior duratio operis, corruptibilitas, & incorruptibilitas, pretium, & vilitas, *ut domus ex luto confecta est; igitur non diu perstabit: ex lapidibus duris, & cœmento tenaci ritè compactis; igitur durabit diu: ex terra homo factus est; igitur corruptioni obnoxius: calum constat ex materia nullis agentibus corrumpentibus subjecta; igitur incorruptibile: statua ex auro confecta; igitur magni pretii: vasa habet tantùm fictilia; vilis ergo supellex ejus est.*

IV. Ab effectu materiæ permanentis affirmando arguitur ad existentiam causæ actualem , *est statua ex auro , & gemmis ; igitur aurum , & gemma sunt.* Canon , posito effectu materiæ permanentis , ponitur & causa. Ab effectu materiæ transeuntis arguitur materiam præfuisse , *augetur animal ex nutritione ; igitur fuit alimentum.* Canon , posito effectu materiæ transeuntis , necesse est materiam præextitisse. A negatione actualis existentia effectus vtriusque materiæ , non colligitur negatio vtriusque materiæ , vt *statua aurea non est ; igitur non est aurum : non augetur animal ; igitur non est alimentum.* Valet autem si possibilitas negetur ; *non potest esse aurea statua ; igitur nec aurum : animal augeri non potest per nutritionem ; igitur nec alimentum esse potest.*

V. A remotione materiæ in qua , arguitur ad remotionem eorum , quæ insunt , vt *non est paries ; igitur nec albus.* Canon , sublato subjecto , quæ inhærebant accidentia , tolluntur.

VI. Cautio , argumenta à materia petita , in refellendo validiora sunt , quàm in confirmando , vt *non sunt lapides , & cormenta ; igitur domus fieri non potest.* Non item , *sunt lapides ; igitur domus est.* Excipitur materia proxima argumentationis ; positis enim , ac datis præmissis , conclusio necessariò sequitur.

VII. Ex materiæ , circa quam , nobilitate , & ignobilitate , colligitur nobilitas , & ignobilitas potentiarum , habituum tum mentis , tum voluntatis , denique actuum : sic præstantior mens , quàm sensus , quia nobilius illius , quàm hujus objectum ; animastica præstantior , quàm aliæ partes physicæ , quia versatur circa animam. Denique moralis po-

tior medicinâ, quia illa animi, hæc corporis morbos curat.

§. VII. *Locus à causa formali.*

I. **F**ORMA, alia essentialis, vt anima, alia accidentalis, vt vis intelligendi, alia artificialis, & externa, quæ ab arte, éstque in figura, & partium ordine posita.

II. A causa formali argumentari licet 1. affirmando, vt *scientia est; igitur sciens est: habet animam sentientem; igitur animal est.* 2. negando, *non est scientia; igitur nec sciens: Simia animam rationis participem non habet; igitur non est homo.* Duplex canon, 1. positâ causâ formali, ponitur effectus: 2. sublatâ causâ formali, tollitur effectus. Non tamen sequitur, *anima rationalis est; igitur homo est*, quia potest stare sine materia; sequitur tamen, *anima rationalis unitur corpori humano; igitur homo est.* Huc pertinet locus ab inesse ad denominare.

III. Et quoniam causâ formali cuiusque rei operationem metiri solemus juxta hunc canonem, talis est vis compositi in agendo, qualis est ejus forma; hinc probatâ inexistentiâ formæ in materia, probatur ejus operatio, negatâ inexistentiâ, negatur operatio, *inest calor igni; igitur calefacit: non inest; igitur non calefacit.*

IV. Rursus cum formis artificialibus juxta & moralibus perinde ac naturalibus res distingui soleant; hinc varia artificum officia à variis artibus, ab hominum variis statibus, & virtutibus colligimus, vt *statuarius est; igitur de re statuaria judicet, non de re grammatica: Theologus non est,*

*non itaque de rebus fidei decernat.* Denique à formis rerum inter se comparatis præstantia major, aut minor colligitur, ut *homo præditus est animâ rationali, bruta animâ sentiente; igitur homo brutis antestat, sicut bruta plantis, quia anima rationalis præstantior sentiente, sentiens vegetante.*

v. Ab effectu formali affirmando, & negando arguitur ad formam, ut *sciens est; igitur est scientia: non est sciens; igitur nec scientia est.* Canon, posito effectu formali, ponitur causa formalis, sublato tollitur.

§. VIII. *Locus à causa efficiente.*

I. **C**AUSA efficiens alia actu, alia potestate; illa Cest causa actu agens, hæc potens effectum producere: sic ædificans est causa domus actu: qui potest ædificare, est potestate causa ædificii. Item alia proxima, & remota, adæquata, & inadæquata, necessaria, vel libera, primò producens, vel secundò producens, seu conservans.

II. A causa efficiente potestate ad existentiam effectûs possibilem valet illatio 1. affirmando, ut *potest esse ignis; igitur & possibilis calor.* Canon, positâ causâ in potentia, ponitur effectus in potentia. 2. negando, *ignis non est possibilis; igitur nec possibilis calor.* Canon, ablatâ causâ in potentia, aufertur effectus in potentia. Item licet ab existentia effectûs procedere ad existentiam possibilem causæ affirmando progredi, & à negatione possibilem effectûs ad negationem causæ possibilem.

III. A causa in potentia non infertur affirmativè existentia actualis effectûs; hinc non sequi-

tur, est adificator ; igitur est domus.

IV. A causa in actu secundo argumentamur affirmando ad effectum in actu secundo , vt ignis est actu calefaciens ; igitur est calor actu productus, item à remotione causæ in actu secundo ad negationem effectûs in actu secundo. Non est ignis actu calefaciens ; igitur non est calor actu ab igne productus. Duplex canon , 1. positâ causâ in actu, ponitur effectûs in actu : 2. causa non actu causante , non est effectus actu causatus. Valet quoque ab effectu in actu ad causam in actu tum affirmando, tum negando.

V. A causa efficiente libera , cum omnibus ad agendum requisitis, posita, non arguitur ad positionem effectûs, quia positis omnibus ad agendum requisitis, potest non agere.

VI. A remotione causæ efficientis actu conservantis ad existentiam effectûs illatio legitima, sol est lumen secundò producens ; igitur est lumen. Item à remotione causæ actu conservantis ad remotionem effectûs secundò producti, non est sol conservans lumen ; igitur nec lumen est.

VII. Ex causa efficiente bona aut mala per se operante , colligitur affirmativè bonitas aut malitia operis , & vicissim ex bono effectu aut malo causæ bonitas aut malitia, vt omnia à Deo creata sunt ; igitur & bona : opera Dei bona sunt ; igitur & Deus. Canon duplex , 1. qualis causa , talis effectus : 2. qualis effectus , talis & causa. Intellige de causa per se , non ex accidenti ; nam causa per se bona , potest per accidens esse causa mali , nec necesse est id esse bonum , cuius per accidens causa est bona ; Deus enim ex malis solet bona elicere , & peccatum est causa pœnitentiæ ex accidenti.

VIII. Propter quod vnumquodque tale est, illud magis est tale, vt bellum propter libertatem optandum; ergo magis libertas: ab igne vicina corpora calida sunt; igitur ignis multò calidior sit necesse est, vt pronuntiatum valeat, 1. affectio debet esse communis effecto, & causæ: 2. vtrique vnâ ratione inesse: 3. non recipere intensionem, & remissionem.

### §. IX. Locus à causa finali.

I. **A**B existentia finis non infertur necessariò effectus, quia sine proposito aliquando efficiens cessat. Canon, si finis sit, non necesse est rem effectam esse. Posito tamen sine actu, id est, movente actu, ponitur effectus, quia finis ratione motus actionem terminat.

II. A causæ finalis bonitate, aut malitia valent argumenta affirmativè ad bonitatem, aut malitiam mediorum. *Beatitudo est bona; igitur & virtus: conservatio speciei bona est; igitur & generatio bona est*, quia virtus ordinatur ad beatitudinis adeptionem, generatio ad speciei conservationem. Canon multiplex, 1. cuius causa finalis bona est, ipsum quoque bonum est. 2. cuius finis malus, ipsum, & malum (intellige de fine per se, ad quem res ex natura sua ordinatur): vnde cum elemosyna non sit finis per se furti, si quis furetur, vt elemosynam largiatur, non ideò furtum ejus bonum est. 3. id melius, cuius finis melior; id optimum, cuius finis optimus. 4. id pejus, cuius finis est peior; pessimum, cuius finis pessimus; hinc negatâ bonitate finis, negatur & bonitas medii, vt *occidere non est bonum; igitur nec bonum ad hoc venenum parare.*

I I I. Ex negatione causæ finalis, negationem effectûs concludimus, quia agens agit propter finem; igitur si finem non habuit, nec egisse putandum est.

§. X. *Loci à generatione, corruptione,  
& usu.*

I. **G**ENERATIO est rei productio à non esse, ad esse, genitum idem ac productum à non esse, ad esse; corruptio, desitio rei ab esse, ad non esse: corruptum, quod desinit esse.

I I. Locus à generatione est illius habitudo ad genitum, sicut à corruptione est illius habitudo ad corruptum.

I I I. Fiunt ab his locis argumenta penes isthæc prædicata, *bonum, & malum*; à generatione quidem sic, *assuefactio ad virtutem est bona; igitur virtus bona est: assuefactio ad vitium mala est; igitur & vitium malum est.* Canon, 1. *cujus generatio bona est, ipsum quoque bonum est: 2. cuius generatio mala est, & ipsum malum est.*

I V. E converso valet quoque à genito ad generationem, *domus bona est; igitur constructio domus bona.* Canon, quod est bonum, ejus generatio bona est. *Virtus non est mala; igitur nec assuefactio ad virtutem mala est.* Canon, quod non est malum, nec ejus generatio mala, &c.

V. In loco à corruptione antecedentis, & consequentis prædicata sunt opposita; à corruptione autem sic arguitur affirmativè, & negativè, *assuetudo à vitio est bona; igitur vitium malum.* Canon, cuius corruptio bona est, ipsum est malum. *Perditio virtutis mala est; igitur sapientia, &*



*virtus bona est.* Canon , *cujus corruptio mala , ipsum bonum est.*

VI. Valet quoque argumentatio à corrupti bonitate ad malitiam corruptionis , vel à malitia ad bonitatem : *bona res est virtus ; igitur mala illius corruptio.* Canon , si quidpiam bonum sit , ipsum corrumpi malum est. *Idolorum statuae mala sunt ; igitur ipsas destrui bonum.* Canon , si quidpiam malum sit , ipsum corrumpi bonum.

VII. Cautio , in iis , quæ per accidens bona , & utilia dicuntur , argumentum non valet ; hinc non valet , *mors Christi bona fuit ; igitur ipsius mala vita* , quia non per se , ac sui gratiâ mors illa bona fuit , sed per accidens duntaxat , ratione salutis nostræ concomitantis.

VIII. Vfus est rei operatio , ad quam res vel ex natura sua , vel per artem ordinatur. Porrò hic locus distinguitur à causa finali , quia vſus , prout est in intentione agentis , est quidem causa finalis ipsius ; vt autem est in executione , est effectus , & operatio rei vſitatæ , quo sensu hîc sumitur.

IX. Ab vſu rerum tunc ducitur argumentum , cùm ex vniuscujusque rei vſu , ipsius bonitatem , aut malitiam inquirimus. In loco ab vſu simile est prædicatum in antecedente , & consequente , & ab vſu ad vſitatum arguitur affirmando , & ex opposito negativè , vt *studium scientiæ est bonum ; igitur libri sunt boni.* Canon , *cujus vſus est bonus , & ipsum bonum est : ex opposito , venenum non est bonum ; igitur nec veneficium.* Canon , *quod non est bonum , nec illius vſus bonus est , &c.*

X. Duplex cautio , I. ab hoc loco argumentum

valet tantum in iis, quæ per se bonum, aut malum habent usum; hinc nulla consequentia, *peccati usus aliquo modo bonus est; igitur peccatum bonum est*, quia peccatum est tantum bonum per accidens, quatenus Deus novit ipso uti ad bonum finem. 2. videndum, & quidem diligentius, ne abusus pro usu sumatur; hinc non valet, *sine causa gladio interficere malum est; igitur gladius malus est*, quia interficere gladio sine causa est gladii abusus; verus enim usus gladii est tueri se contra hostes, aut nocentes punire.

### §. XI. *Locus à communiter accidentibus.*

I. **N**OMINE communiter accidentium tria genera accidentium possunt intelligi. Primum eorum est, quorum alterum vel semper, vel ut plurimum ad alterum sequitur, itaut alteroposito, alterum poni consequens sit, licet vnum non sit causa alterius, ipsūque tempore præcesserit: sic arborem prius est florere, quam fructum ferre; hominem prius esse juvenem, quam senem. Secundum eorum est, quæ non semper quidem, sed tamen frequenter, & ut plurimum eveniunt, sicuti amœno die, multi solent deambulare. Tertium denique eorum est, quorum vnum interdum sequitur alterum, non tamen necessariò, nec ut plurimum, sed rariùs, & quasi indifferenter. His positis.

I I. In primo genere accidentium, argumentum valet affirmativè à positione posterioris secundum tempus ad positionem prioris, ut *arbor floret; igitur fronduit: profert fructum; igitur floruit.* Canon, communiter accidentium si posterius est,

prius fuisse necesse est.

III. Valet item negativè à priori ad posterius, ut *arbor non floruit ; non igitur fructus feret ; non sunt vapores elevati ; itaque non sunt nubes.* Canon, communiter accidentium, si prius non fuerit, nec erit posterius. Tale fuit argumentum Pauli Rom. 10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt ? quomodo autem credent in eum, quem non audierunt ? quomodo autem audient sine prædicante ?*

IV. A priori secundùm tempus ad posterius non arguitur affirmativè, nec à posteriori ad prius negativè ; hinc non sequitur, *arbor ista floruit ; igitur fructum feret ; hunc hominem peccati non pœnituit ; igitur non peccavit ;* multos enim flores tempestas aut gelu demessuit, & multi peccant, quos peccati nunquam pœnitet. Canon, duplex, 1. posito priori, non est necesse poni posterius ; 2. remoto posteriore, non oportet prius removeri.

V. Ab accidentibus secundi generis petit etiam argumenta dialecticus, tum affirmando, tum negando, ut *amœnus dies est ; igitur à prandio multi deambulabunt ; imminet bellum ; igitur erit annonæ caritas ; non erit bellum hoc anno ; nec igitur annonæ caritas ; habet frontem parvam, & depressam ; igitur est stupidus ; quadratam, & moderatam ; igitur est magnanimus.* Ad hunc quippe locum pertinent signa physiognomica, in quibus à constitutione corporis externa interior animi constitutio colligitur, de quibus Aristoteles sub finem lib. 1. Analyt. hinc valet, *habet carnem mollem, non valde pinguem, & ad maciem pronam, item mixtam rubore albedinem ; pilos non*

*valde duros, nec nigros; igitur ingeniosus est.* Huc etiam revocatur locus à portentis, & prodigiis, poetis perquam familiaris.

VI. A tertio genere communiter accidentium non tam ducitur argumentum dialecticum, quam sophisticum, ut si quis pauperem conspicatus ad ostium, per rimas prospectantem, colligat furem esse. Quòd si tamen plurimæ ejusmodi suspiciones unà concurrant, tum probabilem faciunt illationem, ut si quis colligat, hic homo cum eo, qui hodie occisus, paulò ante illius interitum, rixari visus est; ab eo duriter verbis exceptus, dissimulavit, domumque advolans, gladium retulit sub veste latentem, quem gestare non solet; visus deinde pergere ad locum, ubi cædes patrata, & vulnere accepto rediit, nec authorem vulneris designare potuit; igitur illius cædis est author.

## A R T I C V L V S II.

### *De locis extrinsecis.*

**I**NTER locos extrinsecos numerantur loci ab oppositis, & disparatis; à comparatis, qui sub se continent paria, & imparia, similia, & dissimilia, quia comparatio fit in quanto, & quali; à testimonio, & autoritate, de quibus breviter hîc ago.

#### §. I. *Loci ab oppositis.*

I. **L**OCVS ab oppositis quatuor sub se continet juxta quatuor oppositionis species, de quibus egimus in postprædicamentis, dum diffe-

rentias singulorum oppositorum profecuti sumus ; hîc quomodo à singulis argumentum peti possit , & debeat , edocemus.

I I. In omnibus oppositis ab vnius affirmatione argumentum valet ad negationem alterius. Canon generalis , de quocumque affirmatur vnum oppositorum , negatur , & alterum.

I I I. Relata sumuntur , vel vt consentiunt , vel vt dissentiunt ; vt consentiunt , se mutuò ponunt , & perimunt : vt dissentiunt , posito vno , negatur alterum ; hinc

I V. Ab affirmatione vnius relativè oppositi , ad alterius negationem consecutio valet , vt *Anchises fuit pater Ænea ; igitur non fuit ejus filius : quatuor sunt duplum ad duo ; igitur quatuor non sunt dimidium ad duo : Davus est servus Simonis ; igitur non dominus ejus.* Canon , posito vno relato , vt opposito , negatur correlatum , seu si vnum relativè oppositorum affirmatur de aliquo singulari , alterum non affirmatur de eodem pro eodem tempore , & respectu ejusdem , & in eodem genere causæ ; non enim simpliciter sequitur , *hic est pater ; ergo non est filius omninò alicujus* , sed inferri debet , *igitur non est filius ejusdem , cujus est pater.*

V. Ab vnius relativi positione ad positionem alterius , vt consentiunt , vicissimque à negatione vnius ad negationem alterius bene arguitur , vt *dominus est ; igitur habet servum : non habet servum ; igitur nec dominus est : pater est ; igitur & filius est : non est filius ; igitur nec pater est.* Canones duo , 1. relativorum vno posito , ponitur & alterum : 2. ablato vno relativorum , aufertur & alterum. Excipiuntur relata , quorum alterum si-

gnificat cum ampliacione ; non enim valet , *prius est ; igitur & posterius est : scibile est ; igitur scientia est.*

V I. Ab vnus contrarii affirmatione ad negationem alterius illatio bona , vt *hic paries est albus ; igitur non est niger : Paulus est sanus ; igitur non ager : liberalis est ; igitur non avarus.* Canon , posito vno contrariorum , removetur alterum : à negatione vnus contrarii mediati , non valet ad affirmationem alterius ; hinc non sequitur , *paries non est niger : ergo est albus ;* potest enim esse flavus aut viridis ; at valet in contrariis immediatis , vt *corpus mixtum non est grave ; igitur est leve.* Canon , remoto vno contrariorum immediatorum , ponitur alterum.

V I I. A privativè oppositorum vnus affirmatione , valet ad negationem alterius , vt *hic homo est videns ; igitur non est cecus : Paulus est surdus ; igitur audire non potest.*

V I I I. A negatione ad affirmationem non valet vniversaliter , 1. cum subjectum est prorsus incapax ; hinc non sequitur , *lapis non potest videre ; igitur est cecus* , quia lapis non est capax facultatis visivæ. 2. cum tempus à natura definitum nondum advenit : quare non sequitur , *hic catulus recens natus non videt ; igitur est cecus ;* catulus enim recens natus non est subjectum definitum eo tempore , quo videre queat. Valet tamen , cum subjectum est capax , & tempus à natura definitum advenit : vt *Paulus non potest videre , cum adsit tempus à natura definitum , quo ceteri homines videre solent ; igitur est cecus.*

I X. In contradictoriè oppositis ab affirmatione vnus de aliquo subjecto singulari ad negationem

alterius de eodem valet consecutio, vicissimque à negatione vnius ad affirmationem alterius. Canon, de quolibet est affirmatio, vel negatio, de nullo verò simul.

x. In disparatis ab affirmatione vnius ad negationem alterius licet arguere, vt *Petrus est homo; igitur non est leo, nec arbor, &c.* Canon, posito vno disparato, removentur reliqua; at non licet pariter à negatione vnius disparati ad affirmationem alterius arguere, vt *leo non est equus: ergo leo est homo.* Canon, remoto vno disparatorum, non statim ponitur aliud. Quòd si tamen inductione factâ, removeas omnia disparata præter vnum, tum valebit illatio à negatione istorum ad affirmationem reliqui.

## §. II. Locus à comparatis.

I. C O M P A R A T A dicuntur, quæ inter se comparantur, siue sint res, siue rationes; comparatio est habitudo comparati ad comparatum, quæ duas habet partes, *propositionem*, Græcis πρότασιν, & *redditionem*, ἀπόδοσιν.

II. Quorum par ratio est, Aristoteli dicuntur τὰ ὁμοίως ὑπάρχοντα, quæ *similiter*, hoc est, *æquè probabiliter insunt*; majus μάλλον ὑπάρχει, id est, *probabilius inest*, ideòque antecedens problematicis magis probabile est, quàm consequens. Minus ἢ ἦν ὑπάρχει, ideòque enthymematis antecedens minùs est probabile, quàm consequens; itaque majus est hîc propositio, quæ majorem habet veritatis apparentiam, quàm altera: sic hæc propositio, *homo est disciplina capax*, majorem habet veritatis apparentiam, quàm ista, *equus est*

*disciplina capax* : unde prima propositio est majus , secunda minus. Minus verò est propositio , quæ minorem habet veritatis apparentiam , quàm altera : sic minus videtur , quòd brutum sit futurorum providum , quàm homo.

III. Argumentatio ducitur à majori ad minus negativè tantùm , 1. ex parte subjecti , vt *rex potentissimus non potuit expugnare hanc civitatem ; igitur nec dux poterit : vir non potest ferre pondus 20. librarum ; ergo nec puer*. Canon , si ei , cui magis verissimile est inesse , non inest , neque inerit ei , cui minus inesse verissimile est. 2. ex parte prædicati , vt *dux iste impar est expugnanda arci parùm munita ; ergo & impar expugnanda civitati munitissima : Callias non potest ferre pondus 100. librarum ; igitur nec pondus 300. librarum*. Canon , duobus de vno dictis , si quod magis videtur inesse , non inest , nec quod minus videtur inesse , inerit. 3. ex parte subjecti simul , & prædicati , *vir robustus impar est ponderi 300. librarum attollendo ; igitur & puer non satis virium habebit ad pondus 400. librarum attollendum*. Canon , si quod alteri videtur magis inesse , non inest , nec reliquum inerit.

Dixi valere tantùm negativè ; nam affirmativè non valet : non enim sequitur , *vir robustus huic oneri ferendo par est ; igitur & puer imbecillis*.

IV. A minori valet affirmativè tantùm 1. subji-  
ciendo sic , *puer pondus 20. librarum ferre potest ; igitur & vir*. huc spectat Christi effatum Ioan. 13. *si ego lavi pedes vestros dominus , & magister ; & vos debetis alter alterius lavare pedes*. Canon , cùm vnum de duobus dicitur , si cui id inest , quòd minus inesse videtur , etiam id ei inerit , quòd



magis inesse videtur. 2. prædicando, *si Deus aves cali sic pascit, quantò magis homines?* Canon, cum duo dicuntur de vno, si id quod minus videtur inesse, inest, profectò id quod magis videtur inesse, inerit. 3. tum prædicando, tum subijciendo, *Christus pro nobis gravissima tulit supplicia; nos igitur vel modica ipsius causâ ferre debemus.* Canon, si duo duobus inesse videantur, alterum alteri, & id inest, quod alteri inesse minus videtur, etiam reliquum inerit reliquo. Canon generalis, si quod minus videtur, verum est, id quoque quod magis videtur, verum erit, seu quod in re minori valet, valeat etiam in majori.

v. Duplex cautio, 1. cavendum à fallacia, quâ argumentum, quod à minori ducitur, à majori sumptum existimetur, & è contrario. Causa fallaciæ est, quia sæpè id quod in quantitate majus est, minus censetur in proposito; contra verò minus, id quod mole, vel numero majus est: v. g. in hac illarione, *Deus fecit calum, & terram: ergo & glebam potest facere*, in specie videtur esse argumentum à majori, & tamen est à minori, hoc est, ab eo, quod minus verissimile videtur. 2. à majori semper negativè, à minori semper affirmativè argumentatio fiat.

v i. Comparatio similium fit inter res vel ejusdem generis, vel diversi, quæ similem veritatis apparentiam habent; prima simplex, & stricta: secunda composita, & lata, quæ analogia dicitur.

v i i. A simili ducitur argumentum in rebus eodem genere contentis, 1. affirmando, *vt equus est corruptibilis: ergo & homo corruptibilis*, utrumque enim est animal, 2. negando, *equus non est*

*immortalis ; igitur nec homo immortalis , cùm vtrumque sit animal. Canon , quod vni similibum convenit , vel non convenit , id etiam alteri convenit , vel non convenit , aut cui vnum similibum convenit , vel non convenit , etiam alteram convenit , vel non convenit. Breviùs , de similibus idem est iudicium.*

VIII. A simili per analogiam argumentatio duobus modis petitur , 1. vt hoc ad aliud , sic aliud ad aliud , vt *se habet scientia ad scibile , ita sensus ad sensibile*. 2. vt hoc in illo , ita aliud in alio , vt *tranquillitas est in mari , ita serenitas in aëre : vt se habet semen ad terram , ita verbum Dei ad cor hominis : semen incidens in terram bonam , fert fructum bonum ; igitur & verbum Dei incidens in cor bonum*. Canon , de proportionalibus idem est iudicium : quare quod de vno affirmatur , vel negatur , etiam de altero affirmari , vel negari potest.

IX. Hic locus valet 1. ad doctrinam morum : 2. ad justam æstimationem mercedis , & laboris : 3. iudicibus utilis in infligendis pœnis.

X. Ad hunc locum reducitur locus ab exemplo. Porrò exemplum aliud verum , aliud fictum , illud est rei , quæ verè contigit ; hoc docendi gratiâ excogitatur , idque duplex , parabola , & fabula. Parabola est exemplum fictum ductum ab actionibus hominum , quæ fieri possunt , & solent ; fabula verò exemplum fictum , & à brutis ductum , aliisve eiusmodi rebus , quibus humanæ actiones non competunt.

XI. Vfus exempli duplex ; alter ad probandam thesim generalem : sic probat Seneca neminem à Philosophia excludi : *Patricius Socrates non fuit , Cleantes aquam traxit , Platonem non accepit nobilem*

*bilem Philosophia, sed fecit: unde inferre videtur, ergo neminem Philosophia rejicit; alter ad thesim particularem, Caesar in senatu casus est; igitur aliquis in senatu casus est. Magna vis exempli in practicis disciplinis, & in sacra Theologia, rebúsque ad salutem spectantibus.*

XII. Ut à simili, & proportionem argumentum ducitur affirmando, & negando, cùm extrema spectantur secundùm id, in quo similitudinem aut proportionem habent: ita à dissimili, & disproportionem, habitâ ratione dissimilitudinis, & disproportionis. A dissimili quidem, *non ita est de anima bruti, & anima hominis: anima bruti cum corpore interit; itaque anima hominis cum corpore non interit.* A disproportionem verò, *non ita se habet Deus ad mundum, ut architectus ad domum: architectus domum confectam non servat; igitur Deus mundum conditum conservat.* Canon, de iis, inter quæ non est proportio, non idem iudicium.

### §. III. Locus ab Autoritate.

I. **A**UTOR dicitur, qui in aliqua facultate expertus est: autoritas, auctoris dictum, & bene, & verè assertum.

II. Autoritas triplex, divina, humana, & mixta; divina summa est, & ex sacris literis, Conciliis, & consensu Patrum locum vnum interpretantium, & communi fide sumitur. Humana ab homine, ideòque errori obnoxia. Mixta ex loco Scripturæ, per se quidem non claro, sed à Theologis explicato. De autoritate tum divina, tum humana hæc sunt pronuntiata.

111. De divina quidem duo, 1. autoritas divina nunquam fallit, quia Deus nunquam errat, nullibi labitur, nusquam decipitur, ipsi enim veritas essentialis: quare Deum loqui, & verum dicere idem sunt, & Dei testimonia *αὐτίματα*, *per se ipsa vera sunt*. 2. cùm autoritas Scripturæ aperta, nudè proposita per se valet ad faciendam fidem; sin obscura sit, tum illustranda testimonio interpretum, & sic in mixtam degenerat.

1 v. De humana autem quatuor, 1. Humana autoritas vt valeat, duo requirit in eo, à quo sumitur, 1. cognitionem rerum, de quibus agat: 2. veracitatem, nempe vt ita loquatur; atque sentit juxta illud Aristotelis 1. Ethic. *ἕκαστος καλὸς κριτῆς τῶτων, ἃ γινώσκει*, *quisque verum, quas novit, idoneus estimator*. 2. Plurium autoritas præfertur autoritati paucorum, præsertim si sapientes sint, & probati. Patet ex natura probabilis. 3. Autoritas veterum cæteris paribus præferenda autoritati recentium juxta illud Aristotelis *τὸ πρεσβύτερον τιμιώτερον*, & Iobi 12. *In antiquis est sapientia*. 4. In rebus moralibus multùm valet testimoniorum autoritas, quia disciplinæ practicæ principia sua ducunt ex lege naturæ, & testimonio conscientiæ; in speculativis perparùm, quia non tam autoritas in disputando, quàm rationum momenta quaerenda sunt.

v. Argumentum ab autoritate ducitur affirmativè, cùm probamus aliquid esse, vel non esse, quod vel omnes, vel plurimi, vel sapientiores, & experti in aliqua facultate senserunt: v. g. *Physici docent quatuor esse elementa; igitur quatuor sunt elementa: Aristoteles tradit syllogismum constare tribus terminis; igitur syllogismus constat*

tribus terminis, Canon, cuique in sua scientia experto credendum est.

VI. Ab autoritate non valet argumentum negativè, nisi autor ea de re, quæ in quæstionem venit, clarè agere debuerit; quòd enim aliquis de re aliqua nihil dixerit, non sequitur rem idè non ita se habere: Aristoteles hoc non dicit; igitur non ita est, consecutio nulla; vix enim vlli totam se natura, aut ars ita prodit, vt nihil ipsum celet.

### A R T I C V L V S I I I.

#### *De locis mediis.*

**L**OCORVM mediolorum alius est à conjugatis; alius à casibus, à divisione alius, de quibus strictim ago.

#### §. I. *Locus à conjugatis.*

**I**NTER locos, qui medii appellantur, primus est à conjugatis, quæ conjugata dicuntur, quòd sub eodem significationis iugo flectantur, aut quia ad idem significationis jugum pertinent. Definiuntur termini, quorum vnus ab alio denominativè derivatur. Porro ex terminis illis vnus dicitur abstractivus, alter denominativus, sed idem principaliter significantes, Cicero definit in Topicis, quæ sunt ex verbis ejusdem generis, & ab vno orta, variè commutantur: sic *justitia*, *justus*, & *justè* conjugata sunt. Item *sapientia*, *sapiens*, & *sapienter*; idem enim habent significatum principale, differunt tamen in significato mi-

nus principali, quod terminus abstractivus nudam qualitatem significet, concretus autem substantiam simul, & formam:

II. Argumentum fit à conjugatis, i. affirmativè, ut *justitia est laudabilis; igitur & justus est laudabilis: quod justè fit, bene fit; igitur justitia est bona: obedientia sancta est; igitur sanctum obedire.* Canon, quidquid vni conjugatorum convenit, & alteri convenit in eodem sensu sumpto. Item *quod dulce est, sapidum est; igitur dulcedo est sapor: qui justus est, idem & probus; igitur justitia est probitas.* Canon, si conjugatorum vnum vni convenit, & alterum alteri conveniet.

III. Fit quoque argumentum negativè, *injustitia non est virtus; igitur injustus non est studiosus: poësis à repub. non est excludenda; igitur nec poëta.* Canon, quod non convenit vni conjugatorum, nec conveniet aliis. Item *nihil unquam fecit Aristides injustè; injustus itaque non fuit.* Canon, à quo removeretur vnum conjugatorum, removeretur & alterum.

IV. Ut argumentum à conjugatis valeat, triplici cautione opus est, i. usurpandæ propositiones, in quibus prædicatum per se conveniat subjecto; hinc non valer; *album est dulce, & dulce est album; igitur albedo est dulcedo.* Ratio est, quia album, & dulce de se invicem prædicantur tantum per accidens, quia res significata per vnum, non est in re per alterum significata, nec eadem est utriusque natura, sed ratione subjecti, cui insunt, de se invicem prædicantur, tales sunt hæ propositiones, *sciens est probus: Grammaticus est Philosophus, &c.* quia nec probitas est per se in scientia, nec Philosophia in Grammatica, nec vnius sunt

naturæ. 2. conjugata sint non tantum secundum vocem, sed etiam secundum rem, & significationem; hinc non est consecutio legitima, *somnus bonus est; igitur somnolentum esse bonum est: somnolentus vitiosus est; igitur somnus malus*, quia somnolentus non derivatur denominativè à somno penes significatum, sed à somnolentia. Porrò verbum denominativum fit significatione tantum, an voce simul, & significatione, parum interest, quia significatio potissimum quæritur; hinc *valet, honestè vivunt, & ex virtute viri probi; probis igitur bene est, felicitèrque: dormire bonum est animali defesso; igitur & somnus bonus est animali defesso.* 3. vitanda imprimis vocis ambiguitas: unde vitiosa argumentatio Simonidis 1. Ethic. *homines sumus; igitur humana curare tantum debemus; ibi enim sumit, humana, pro rebus caducis, cum propriè illa vox significet res ad hominis finem spectantes.*

### §. I I. Locus à casu.

I. **L**OCUM à casu sub loco à conjugatis complectitur Cicero propter affinitatem; distinguunt Philosophi, quòd casus sint adverbia, ac denominativa à denominante termino formata, ut *fortis, fortiter, à fertitudine; justus, justè, à justitia*: sic dicti quòd ab abstracto deducantur, & per quandam deflexionem cadant.

1. Argumentatio à casibus fit 1. affirmativè, ut *justus est bonus: ergo quod justè fit, bene fit.* Canon, si concretum de concreto affirmatur, & adverbium de adverbio, & è contrà, *quod justè fit, bene fit; igitur justum est bonum.* Canon, si ad-

verbum de adverbio dicitur, & concretum de concreto. 2. negativè, *injustus non est bonus; igitur quod injustè fit, non bene fit.* Canon, si concretum de concreto dicitur, & adverbium de adverbio, & contrà. Canon generalis, casuum in eo quòd casus sunt, eadem est natura.

I I I. Cautio duplex, 1. in propositionibus per accidens consecutio nulla, vt *Grammaticus est probus; igitur grammaticè loqui est probè loqui.* 2. cùm denominativa non sunt propria, vt *bibere bonum est*, nempe cùm fitis vrget; hinc non debet inferri: *igitur bibulus bonus est, sed igitur bibens, cùm sitit, bene facit.*

### §. III. Locus à divisione.

I. **A**R G U M E N T A T I O petitur à divisione, 1. procedendo ab affirmatione vnus membrorum dividendum de aliquo, ad negationem alterius, si duo tantum sint, vel omnium aliorum de eodem, si plura, vt *animalium aliud est sanum, aliud agrum: hoc animal est sanum; igitur non est agrum.* Canon, cui convenit vnum membrorum dividendum, de eodem reliqua omnia negari necesse est.

I I. 2. Cùm de aliquo affirmatur divisum, & membra dividenda in antecedente omnia præter vnum de eo negantur, id quod reliquum est, in conclusione de eodem affirmabitur, vt *animalium aliud sanum, aliud agrum; Petrus est animal, & non est ager; igitur est sanus.*

I I I. Cautio duplex, 1. vis argumenti à divisione petita nititur legibus bonæ divisionis, de quibus egimus parte 4. Logicæ, disp. 2. a. 3. §. 1. quæ



ideò sciri apprime debent : præsertim primus argumentandi modus nititur hac lege : membra dividèntia sint opposita , & pugnantiâ ; secundus verò istâ , divisum non debet excedere membra dividèntia.

2. Si duo sunt tantùm membra dividèntia , vnum tantùm negatur in antecedente ; sin autem plura sint , quàm duo , debent omnia in antecedente negari , illo excepto , quòd in conclusione , affirmando de subjecto infertur , aliàs vitiosa erit argumentatio : aut certè plura illa membra , quæ non sunt in antecedente negata , debent concludi disjunctivè de subjecto ; hinc non valet , hæc est propositio , *Paulus currit* , & non est vniversalis , nec particularis , igitur est indefinita , quia membrum omissum est in antecedente ; valebit autem , si disjunctivè in conclusione jungas , dicásque , ergo est indefinita , vel singularis.

#### §. IV. De aliis locis ab Aristotele allatis.

I. **P**RÆTER locos hæctenùs explicatos , aliorum mentionem facit Aristoteles , cujusmodi sunt à magis ad simpliciter , à positivo ad comparativum , & superlativum , denique ex appositione.

II. Locus à magis ad simpliciter , est , cùm ex comparativo infertur positivum , vt *quod magis bonum est* , id sit *bonum oportet* , sed comparativum sumi propriè debet ; cùm enim neutri congruit forma in sufficienti gradu , vt neutrum possit simpliciter tale denominari , non valet conclusio ad positivum , vt si duo Philosophiâ leviter instructi sint , quamvis vnus altero instructior vt-

cunque sit, eoque magis Philosophus dici queat, non tamen rectè colligitur eum esse Philosophum.

III. A positivo ad comparativum, & superlativum, & vicissim, argumentatio petitur, ut *quod bonum est, id ipsum expetendum; igitur quod magis bonum, id magis expetendum, & quod maxime bonum, id maxime expetendum.*

IV. Cautio, in propositionibus per accidens consecutio non est legitima, *qui est Philosophus, est probus; igitur qui magis est Philosophus, est magis probus.*

V. Ex appositione illatio valet, ut *ignis aquam sibi admotam calefacit; igitur & ipsum calidum esse oportet; Paulus ex convictu Petri probitatem morum contraxit; igitur Petro morum probitas inerat.* Canon, si alterum appositum alteri, facit ipsum esse aliquale, ipsum quoque tale est.

#### ARTICVLVS IV.

*De aliis dialectici officiiis,*

*seu*

*De methodo disputandi.*

**N**ON vnum est dialectici officium ex mente Philosophi, 1. invenit, 2. disponit, 3. eloquitur. Invenit argumenta, inventa disponit, disposita eloquitur; de inventione hactenus egimus, superest ut de dispositione, & elocutione agamus, sed quoniam dispositio, & elocutio alia oratoris propria, alia Philosophi; illa fusior, utpote à legibus syllogismi soluta; hæc pressior, quia legibus syllogismi astricta, prætermisissis iis, quæ ad ora-

toris partes spectant, ea prosequimur officia, quæ Philosophi inter disputandum propria. Porrò partes dialectici in tractando problemate sunt 1. aggre-  
gredi, & interrogare; deinde sustinere, & respon-  
dere: quare hunc articulum in quatuor paragra-  
phos distribuo. Primus naturam disputationis ex-  
plicabit. Secundus officia tum argumentanti, tum  
respondenti communia exponet. Tertius leges, &  
officia argumentantis prosequetur. Quartus leges,  
& officia respondentis.

### §. I. *Natura disputationis explicatur.*

I. **D**ISPUTATIO, si notio nominis quaeritur,  
dicitur, inquit Ludovicus Vives, lib. 1. de  
causis corruptarum artium, *quòd per eam veritas  
putetur, & purgetur*, metaphorâ à Hortulanis du-  
ctâ. Ut enim illi corticem arborum putare solent  
ac discindere, ut interiora arboris explorent, &  
inutilia refecent: ita Philosophi inquisitione ve-  
ritatis, quæ disputatio dicitur, latentem veritatem  
refectis, & quasi amputatis vel falsis, vel ambi-  
guis, vel incertis, studiosius indagant, & in lucem  
apertam educunt; hinc

1. 1. Disputatio definitur, duorum juxta leges lo-  
gicas concertatio, quorum alter thesim oppugnet,  
alter defendat, ad investigandam veritatem, si  
ignota sit, vel declarandam si obscura, vel con-  
firmandam si dubia. Hæc definitio traditur per cau-  
sas; causa efficiens est tum argumentans, tum  
respondens: illius finis internus est evertere the-  
sim, constitutâ contradictione, hujus thesim op-  
pugnatam tueri; externus utrique communis,  
cum ingenii, tum doctrinæ specimen dare: finis

intrinsecus disputationis, veritatis indagatio, elucidatio, & confirmatio: causa materialis, problema ad disputandum propositum, seu thesis, cujus veritas quæritur: formalis modo tum argumentandi, & interrogandi, tum respondendi continetur. Apud veteres, vnâ potissimum interrogatione, & responsione continebatur, nunc syllogismorum, qui ab argumentante proponuntur, & à respondente solvuntur, serie: verus consuetudo aptior ad doctorum concertationem, vnde Aristoteles opponentem in Topicis passim interrogantem nuncupat, & libro 8. ait, *syllogismis apertis uti quidem iustum esse, sed non decorum*; sed quæ nunc viget in scholis, ad exercitationem discipulorum utilior: quia sic melius consulitur, 1. imbecillitati respondentis, qui id quod ab opponente proponitur, facilius multò percipit, cum syllogismo illigatur: 2. brevitati, 3. auditorum minùs exercitatorum profectui, juxtâ & attentioni, qui, dum res syllogismis agitur, scopum disputationis commodiùs assequuntur.

III. Disputatio alia solitaria, alia socialis. Primam vocat Aristoteles 8. Topic. cap. 1. *πρὸς ἡμᾶς*, cum quis quæstionem, de qua est controversia, tacitâ meditatione secum agit: secundam *πρὸς ἄλλον καὶ ἕτερον* nuncupat, quâ quis cum adversario sermonem conferit; éstque vel privata ad doctrinæ comparationem instituta, vel publica ad probationem ingenii, & doctrinæ facta, de qua hîc præsertim agitur.



§. I I. *De officiis argumentanti, & respondenti communibus.*

I. **A**M B O studeant imprimis iis virtutibus, quibus tota disputatio regitur, cujusmodi sunt modestia tum in aggrediendo, tum in sustinendo, mansuetudo, & vrbalitas in agendo, studium pacis, & concordia, nec tam se inanis cujusdam gloriolæ, quàm veritatis cupiditate duci probent.

I I. Nemo imparatus ad disputationem accedat, sed ambo aliquid meditatum, cogitatumque afferant.

I I I. Nihil præjudicati ex vtraque parte sit; præjudicium enim affert vim veritati, nec facile animus verum dispicere potest, vbi affectus officiant.

I V. Alstringant se in ipsa concertatione legibus à Logica præscriptis; disputatio enim est actio ex arte juxta normas logicas: quare artificium logicum ambo probè tenere debent, sine quo argumentatio peræquè ac responsio vitiosa sit.

V. Conveniant inter se de certis quibusdam principiis, ne disputatio de nomine potius, quàm de re instituta videatur, aut ne à scopo aberrant ipsi. Huc adde; qui in primis principiis non conveniunt, in conclusionibus indidem deductis haud conventuros.

V I. In opponendo, & respondendo brevitatem, perspicuitatem, & munditiam orationis adhibeant, missis verborum ambagibus, aut excultiori pompâ; gaudet enim simplice cultu veritas: non respuit tamen ornatum omnem in explicando, sed amat præsertim germanum purumque sermonem. Caveant tamen, ne à vocibus abhorreant, qui-

bus tanquam suis utitur Philosophia.

V I I. Abstineant à clamoribus importunis , & declamationibus , quibus non tam difficultas solvitur , quàm protrahitur ; disputatio enim negotium est mentis , in quo non clamor , aut strepitus , sed pacata mentis agitatio dominari debet. Ne tamen lenti sint in disputando , ac pene frigidi ; ardor quippe animorum , dum moderatus sit , scintillas veritatis elicit , auditorum attentionem conciliat , denique amborum ingenii aciem acuit , & alacriores tum in laceſſendo , tum in sustinendo reddit.

V I I I. Servent oppugnandi , & respondendi vi-ces , nec se vsquam interpellent.

### §. III. De officiis argumentantis.

I. **O**P P O N E N T I S , seu argumentantis quatuor sunt præsertim officia , nempe electio theſis , inventio mediæ seu argumenti , propositio ejusdem , denique instantia. In electione theſis judicii maturitas elucet , in inventione argumenti ingenii subtilitas , in proponendo claritas , & brevitatis dictionis , in vrgendo animus præſens , & acer.

I I. Circa theſim quatuor sunt canones , 1. eligenda theſis , quæ ad captum argumentantis , respondentis , & auditorum accommodata sit , non nimis abstrusa ; hunc canonem præſcribit Aristoteles lib.

1. Topic. *Non est* , inquit , *disputandum de iis , quorum nimis remota est demonstratio*. Peccat contra hunc canonem argumentans , quoties respondentem ad res captu superiores deducit , ut logicum ad res phycas , aut philosophum ad theologicas , 2. Non sit de rebus per se manifestis , sed dubiis , & controversis. *Pessima* , inquit Cassiodorus lib. 3. va-

riarum lectionum, cap. 2. *consuetudo est despiciere veritatem, quod fit, si de rebus manifestatissimis dubitetur.* Nemo nisi ineptè cum Anaxagora quaerit, an nix sit alba, cum Zenone an sit morus; aut vtrum in mundo contineatur; an verò mundum ipse contineat. 3. quæ facilè oppugnari possit, oppugnatur autem facilè thesis, 1. cuius contradictio est maximè probabilis, 2. quæ vniversaliter affirmat, aut negat, quia in paucioribus modis probari potest: denique quæ definitionem astruit, quia definitiones sunt A, quod evertitur per O: 3. quæ non religioni aut primis principiis aduersetur. Hunc canonem tradit Aristoteles 1. Topic. cap. 11. *Non oportet omne problema aut omnem thesim in questionem vocare, sed eam, de qua quisque dubitare posset, egens argumentis, non pœna, aut sensu;* nam qui ambigunt, vtrum oporteat Deum colere, & parentes diligere, castigatione sunt digni; hæc enim principia nobiscum nata, nobiscum adolevere.

III. Vbi thesis est electa, de argumento inveniendò cogitandum; quòd cum vel intrinsecum sit, vel extrinsecum, illud ex locis insitis, hoc ex autoritate ducitur.

IV. Circa argumentum intrinsecum tres sunt canones, 1. argumentum, quantum fieri potest, ducatur ex natura subiecti, & prædicati ipsius problematis, quia potissimùm valet tum ad probandum, tum ad refutandum. 2. vnicum assumatur, & illud quidem, quod caput, & firmamentum sententiæ aduersarii directè, & aperto Marte, non per cuniculos petat: aut si plura assumantur, jam inde ab initio distributio illorum fiat per particulam, vel &c. 3. idem medium constantissimè seruetur;

postulat enim recta argumentandi forma, ut quod negatum est, semper directè probetur, nec alia sit conclusio argumentantis à propositione negata. Porrò tandiu servatur idem medium, quandiu propositio negata cùm assumpta eam connexionem habet, ut datâ assumptâ, non possit alia negari.

v. Circa argumentum ab autoritate ductum duplex canon, 1. rarò utendum autoritate in publicis concertationibus, nisi clara sit; nisi fortè disputatio sit aut de rebus moralibus, aut de rebus theologis, ut jam monui. 2. proponenda autoritas, quæ rationem in se inclusam habeat, quam subinde vrgeat acriter opponens, etiam cum laude autoris. De inventione argumenti satis, jam de propositione.

v i. Cùm ad disputandum accedit opponens, alii canones spectant ingressum disputationis, alii progressum.

v i i. Circa ingressum disputationis quinque sint canones, 1. saluter respondentem opponens perhumaniter, 2. si quid in ejus honorem præfari velit, brevissimè id fiat, & ad rem aptissimè: 3. thesim apertè designet, quam oppugnare velit: 4. ita syllogismum informet, ut conclusio sit contradictoriè opposita thesi, quam convellendam suscipit: 5. caveat sibi ab inepta argumentandi forma, quâ novitii Logici solent contradictionem thesis pro antecedente ponere, cujus hoc sit consequens, *ergo falsa thesis*.

v i i i. Circa progressum argumenti, plures sunt canones, 1. in cursu disputationis, argumentis categoricis, non hypotheticis utatur: 2. rarò enthymema adhibeat, nisi vel contentio sit cum viro perito, vel altera propositio per se clara sit; tunc



enim prætermitti potest propositio, quam respondens vltro daret, & exprimenda, in qua vis est, roburque argumenti.

IX. Propositio, quam negat respondens vel plures habet partes, vel est immediata, vel mediata, vel certè, datis præmissis, consequentiam respuit.

X. Cùm propositio negata plures habet partes, incumbendum in illius probationem, quæ ad rem magis facit; cùm est immediata, probatur vel à posteriori, vel deductione ad impossibile, vel leges definitionis eidem asserendo: si mediata, medium assumi debet, quòd ipsam à priori conficiat. Denique si consequentia à respondente negata sit, vel petitur ab eo vitium argumenti, quod vbi detexerit, ne vrgeat ampliùs argumentans; vitiosam enim syllogismi formam velle pertinaciùs tueri puerilis ingenii sit: vel deducitur ad impossibile.

XI. Hi præterea canones servandi ab opponente, 1. interdum postulet, & interroget, vt ex datis responsis, argumentari possit; ita tamen, vt conclusio non interrogetur, ex propositionibus inferenda, sed ex potissimum propositiones, contra quas obiectio vel nulla est, vel non apparet, sed latet; denique interrogetur primùm, an sit hoc, an tot modis dicatur, quòd si respondens negarit esse hoc, vel tot modis dici, tum licebit interrogare, quid igitur est, vel quot modis dicitur? 2. propositionibus non necessariis eatenùs vtatur, quatenùs necessariis inserviunt. 3. cùm verum astruit, vtatur descensu, hoc est, à superiori ad inferius arguat: cùm falsum impugnat, ascensum adhibeat. 4. respondentem interdum ad principia sua reducat, si de eorum veritate minùs ipsi constet, quia sic apertius impugnabit eadem, quibus labefactaris, thesis facile ruet.

X I I. Vitia hæc fugiat opponens, 1. syllogismos, quos informat, ne verborum ambagibus implicet, aut justo plus diffundat, sed dilucidum juxtâ ac pressum dicendi genus vsurpet: 2. ne præmittat argumenta, quæ non tam rei serviunt, quàm temporì: 3. respondentem non interpellet, nisi fortè vim argumenti eludat, vocibus, quæ ad rem maximè faciunt, aut omissis, aut immutatis: 4. non patiatur thesim mutari, & disputationem aliò transferri, antequam res, qua de agitur, perfecta sit: 5. rariùs exemplo, & pari vtatur, quia imbellia, & sine ictu tela sunt, quæ exigua disparitate re-tunduntur.

X I I I. Vbi data est, & explicata solutio à respondente, hos canones seruet argumentans, 1. tacitâ cogitatione secum ipse perpendat, an supra formam, an supra materiam cadat; si primum, petat regulam logicam, in quam impingit argumentum: si secundum, quod sæpiùs contingit, videat, an responsio sit vocis ambigux distinctio, an limitatio.

X I V. Si respondens distinxerit, 1. sinat explicare distinctionem: 2. nonnunquam breui eorum, quæ inter distinguendum vel data sunt, vel negata, repetitione ostendat, quo in loco sit quæstionis status, & hac ratione indicet, quid sibi probandum præsertim incumbat: 2. oppugnet membrorum distinctionis negatum, itaut semper conclusionem sibi vindicet. Oppugnatur autem tribus modis, 1. si partis negatæ veritas probatur: 2. si ex parte concessa quidpiam inferatur, quod thesi repugnet, vel alteri propositioni jam concessæ: 3. si inutilitas solutionis ostenditur, quod tum fit, vel cùm à legibus distinctionis deficere ostenditur, vel cùm in

simili à respondente rejicitur, vel si probetur esse merum effugium.

xv. Inter vrgendum caveat sibi argumentans ab his vitiis, 1. respondentem non interpellet, dum solutionem illustrat; suæ enim sunt argumentantis ac respondentis in loquendo vices: 2. ne contradictionem partis negatæ pro antecedente ponat, sub quo subsumat: *ergo nulla solutio*. Hoc est enim, & tempore, & patientiâ auditorum abuti: 3. nunquam, aut rarò assumat eas propositiones, quæ eandem solutionem admittunt: 4. confecto argumento, non dissimulet sibi à respondente satisfactum: 5. nullibi, sive cum primum proponit, sive cum vrget, sophistæ famam laudemve aucupetur.

#### §. IV. De officiis respondentis.

I. **R**ESPONDENS duplex, alter superior, & honorarius, alter inferior, 1. de officiis inferioris, tum de partibus superioris.

II. Inferioris officia vel spectant ad initium disputationis, vel ad cursum; duo sunt potissima illius officia, 1. argumentum assumere, deinde assumptum solvere vel directè, vel indirectè.

III. Canones generales, quos vbique seruet respondens, tres præscribo, 1. toto disputationis decursu habeat præ oculis principia, quibus thesis innititur, vt quidquid iisdem repugnat, faciliùs rejiciat; quæ cum illis non pugnant, vtrò det, vt contentioni locus non sit. 2. argumenti, quod proponitur, vim, principia, scopum, & consectaria diligenter attendat, ne labi inter respondendum contingat; præsertim videat, an major vera sit, an simpliciter vera, an tantùm secundùm quid;

an simplex, an composita, an vitiosam habeat connexionem; raro enim majores aperte falsæ adhibentur, sed vel limitatione indigent, vel vitiosum habent nexum: 3. thesim perspicuè falsam aut pietati bonisque moribus contrariam ne disputandi quidem gratiâ vsquam defendat.

I V. Circa initium concertationis duo sunt canones, 1. vbi argumentum ab opponente informatum est, fideliter repetat, etiam eadem verba; & si fieri potest, nihil detrahat, addat, aut immutet, nisi justo prolixior sit syllogismus, tunc enim vel coget in brevius, nec sensu immutato, nec imminuto, vel argumentantem rogabit, vt contrahat, inutilibus verbis rejectis. 2. sinat argumentum cursum obtinere suum, nec statim ab initio distinguat, sed neget, quæ neganda sunt, concedat, quæ concedenda, donec opportunum distinctioni suæ locum nactus sit.

V. Argumentum, quod proponitur, laborat vitio vel formæ, vel materiæ; si primum, datis majore, & minore, negatur consequentia, & detegitur vitium formæ: si secundum, vel vtraque præmissa est falsa, vel altera tantum falsa, aut ambigua, aut ad rem nihil facit. Cum vtraque est falsa, neganda major, sed inculcandum adversario, etiamsi daretur, nihil inde effecturum, quia etiam minor falsa est; si altera sit tantum falsa, & altera vera, ad illam negando, ad istam annuendo respondebitur; si ad rem nihil facit, permittitur transire; si ambigua, distinguitur.

VI. Circa majorem, & minorem, cautio multiplex, 1. non antè respondendum minori, quam constet majorem non esse vitiosam: 2. minor sæpius neganda, distinguenda rariùs, aut limitanda,

quia continet hypothesim adversarii : 3. si alterutra composita sit , vel partes , ex quibus constat , ambæ sunt veræ , vel falsæ , vel altera vera , & altera falsa ; si ambæ falsæ , negatur propositio quoad vtramque partem : si ambæ veræ , tota conceditur ; si vna vera , & altera falsa , conceditur quoad vnam partem , & negatur quoad alteram : 3. si alterutra veri speciem præferat , & tamen negetur , proferenda causa , cur negetur , aut instantia aliqua , aut viri sapientis autoritas.

VI I. In cursu argumenti argumentans interdum interrogat , interdum ex hypothesi arguit.

VIII. Cùm interrogat , vel postulatum est manifestum , vel dubium ; si manifestum , vtrò annues ; si dubium , tunc cum principiis , & antè concessis compones , videbísque diligenter , an consentiat cum iisdem , & tum concedes ; an verò dissentiat , & tum negabis ; quòd si terminis ambiguus propositum sit , distingues varios sensus , & ambiguitatem tolles.

IX. Cùm opponens arguit ab hypothesi , 1. respondens repetit hypothesim solenni formulâ , *supponit* , &c. 2. vel admittit , ostenditque nihil ex ea concludi contra thesim : vel rejicit , quod vel petat principium , vel contradictionem involvat. Quòd si impossibilis sit hypothesis , tum voluntaria responsio. Porrò quando liceat argumentari ab hypothesi impossibili , aut non , docuimus in hac parte , disp. 1. ad lib. prior. Anal. a. 2. §. 6.

X. Solutio duplex est , altera directa , altera indirecta ; directa tunc fit , cùm directè ad argumentum respondetur : indirecta , cùm indirectè , & quasi obliquè respondetur.

XI. Directa vel cadit supra formam , vel supra

materiam syllogismi propositi ; si supra formam ; vitium syllogismi detegitur modo jam explicato : si supra materiam , vel est dictionis , vel rei extra dictionem. Solutio dictionis datur , explicatâ vocis ambiguitate. Solutio rei est vel quæstionis , vel probationis. Solvitur quæstio , cùm status quæstionis rectè constituitur , & quæstio multiplex discernitur , ostenso malæ oppositionis vitio. Solutio probationis vel est circa medium , vel circa medii ipsius dispositionem cum extremis. Medium , quod ab argumentante proponitur , vel nullum est , sed aliis terminis proponitur , & tunc solvitur , si ostendas argumentantem petere principium ; vel extrinsecum , putâ ab autoritate ductum , & tunc solvi potest tribus modis ; aut enim rejicitur , quòd non sit testis idonei : aut admittitur , negatâ consequentiâ : aut eluditur , prolato ejusdem auctoris testimonio , quod thesim respondentis clariùs , validiùsque confirmet , & quo proinde allatum ab opponente testimonium destrui videatur. Quòd si autoritas maximi ponderis sit , tum explicanda est hac formulâ , *explico locum* , &c. Deinde reddenda ratio , cur ita explices , aut citandus interpres , qui ita solvit ; si intrinsecum , vt plurimum distinctione solvitur , quæ supra materiam cadat ; nam si medium peccet ratione dispositionis malæ , negatur consequentia.

XII. Circa distinctionem multi sunt canones , 1. rarò inficiando responderetur , cùm propositio vel limitari , vel distingui debet : 2. distinctio nec fastidiosè inculcanda , nec negligenter omittenda : 3. tunc adhibenda , cùm ex alicujus propositionis ambiguae veritate , aut falsitate conclusionis nostræ veritas , aut dictorum nostrorum consensus pen-

det. 4. cùm sensus , in quo falsa propositio , ad præsentem materiam nihil facit , tunc concedenda propositio , quia in sensu vero admittitur ; supervacanea enim est ambiguitatis distinctio , cùm nullum ex ea causæ affertur præjudicium , & aliunde crebritas distinctionum parit confusionem , & à recto argumentandi tramite abducit. 5. cujuslibet distinctionis duæ sunt saltem partes , juxta quarum vnâ propositio admittitur , juxta alteram repudiatur , sed terminus , in quem cadit distinctio , ab aliis secernendus est , eique applicanda distinctionis membra. 6. vnus partis aliquando duæ sunt , aliquando plures sunt partes , quæ cùm afferuntur , propositio subdividui debet. 7. distinctio non nunquam duas propositiones , nonnunquam tres afficit. Ratio est , quia aliquando majus , & minus extremum ambigua sunt , aliquando majus extremum tantum , aliquando minus extremum tantum , aliquando medius terminus. Cùm majus , & minus extremum ambigua sunt , omnes propositiones distinguendæ , sed rariùs id contingit , cùm majus extremum duntaxat ambiguum , major cum conclusione distinguenda ; cùm minus extremum , minor , & conclusio ; cùm medium , maior , & minor.

x i i r. Distinctio data habet explicatus vel faciles , vel difficiles ; si primum , explicatione non indiget ; si secundum , tum explicanda.

x i v. In explicanda solutione , servandi hi canones , 1. terminus , quem distinctio afficit , in duo membra dividatur , itaut divisio petatur ex notione termini. 2. vbi membra divisa sunt , vtriusque definitiones afferantur , quæ ad rem faciunt. 3. definitiones , non voces definitæ materiæ , de qua con-

tentio est , applicentur. 4. applicatio definitionum probetur , prolatis tum rationum momentis , tum autoritatibus illustrioribus , quibus thesis nititur. Exemplis hîc abstineo , quia hujus methodi exempla passim habes in Philosophia nostra in præcipuis quæstionibus fusiùs explicata. Porrò inter explicandum , si respondens varias sententias recenseat , caveat 1. ne contra leges dividendi peccet , 2. si quas refuter , brevitati studeat , & in sententiæ suæ confirmationem incumbat potiùs , quàm in aliarum refutationem ; quisquis enim sententiam validissimè astruxit , contrariam refutavit. Quòd si sub finem argumenti , mediorum seriem retexere placeat , brevissimâ id eorundem repetitione fiat , & iis solvendis enucleandisque potissimùm incumbat , quæ thesi propugnatae magis adversari videntur. De solutione directa satis , jam de indirecta.

xv. Solutio , seu responsio indirecta fit vel ad rem , vel ad personam.

xvi. Solutio indirecta ad rem datur 1. per retorsionem , 2. per antypophoram , 3. per ostensionem ἀσυσάτης , 4. per oppositionem patris , vel majoris autoritatis , 5. per instantiam.

xvii. Retorsio , quam Hermogenes βίαιον , violentam responsionem , Logici inversionem , appellant , tum fit , vel cùm ostenditur argumentantem petere principium : vel cùm , sumpto adversarii principio , concluditur thesis , quam impugnat : vel cùm quidpiam à thesi falsum conficitur , quod ut impediatur argumentans , cogitur ipse distinctionem afferre , qua argumentationem à se propositam solvat. Porrò argumenti retorsio argumentum non omninò solvit , quare alia solutio adjungenda. Exemplum retorsionis illud sit contra Arrianos , qui



fic arguebant : *Christus est primò genitus ante creaturas : ergo est creatura*, per inversionem sic responderetur, *immo Christus non est creatura, quia genitus est, antequam vlla creatura existeret.*

xviii. Antypophora fit, non solutione quidem argumenti, sed validioris argumenti oppositione, idèoque dicitur ἀντιπαγωγή, *contraria illatio*, & ἀπ' ἑλπίσεως, *contraria manus injectio* : sic Apostolus Rom. 6. iis, qui ex eo quòd aucto peccato augetur gratia, concludebant in peccato permanendum, fortiùs opponit, immo non permanendum in peccato, quia peccato mortui sumus.

xix. Ostensio ἀσυστάτου fit, cùm ostenditur contradiçtio in dictis argumentantis.

xx. Oppositio paris, vel majoris autoritatis est, cùm testimonio alterum aut par, aut majus opponitur.

xxi. Solutio per instantiam, κατ' ἀππαρέστασιν, fit, cùm affertur quidpiam, per quòd vniversalitas propositionis destruitur, de qua duo sunt canones, 1. instantia sic clarissima, 2. idè ex propositionibus evidentibus vel in 1. vel in 3. figura, non in 2. informari debet. Consule Aristotelem lib. 2. Prior. cap. 26.

xxii. Solutio indirecta ad personam dicitur ἐπιπληξίς, *objurgatio*, cùm adversarium increpamus, quòd vel contra pietatem, & honestatem, vel contra manifestum sensum, & experientiam disputet : hac responsione vitur Aristoteles 1. Top. cùm ait, eum, qui contra pietatem, & religionem, aut contra manifestum sensum disputat, poenâ egere, & 3. Physic, ait eos, qui contra res in sensu incurrentes pertinaciùs disputant, impotentiam mentis laborare.

XXIII. Alia est solutionis species, quæ dicitur apparens, cùm in speciem ad argumentum responderetur, & sophistarum propria, cùm vel ad argumentum nihil solidi respondent, sed verba dant, ne nihil dixisse videantur, vel fallacias malè applicant, vel rationes elevant potiùs, quàm solvunt, vel opponentem à proposito abducunt, & aliò traducunt, vel eidem bilem commovent, sed hæc levioris momenti.

XXIV. Honorarii respondentis, seu præsidis, duplex officium, I. debet regere, deinde respondentem adesse. Regit cùm intra disputationis terminos tum argumentantem, tum respondentem continet, nec finit à scopo aberrare: adest respondentem, cùm eidem deficienti solidiorem responsionem vel suggerit, vel affert; ita tamen, vt illius pudori consulat, & si quam tolerabilem responsionem dederit, palam laudet, vberiusque explicet.

XXV. Plura si voles de modo argumentandi, & respondendi, consule Aristotelem lib. 8. Topic. & lib. 2. Elench. Pacium, & Crassorium in eisdem libros, & R. P. Ioannem Garnier in compendio Logicæ Aristotelicæ, 2. parte disp. 2. Dialecticæ, vbi fusiùs subtiliusque de arte disputandi disserit.

#### A R T I C V L V S V L T I M V S.

#### *De effectu syllogismi Topici, seu de opinione.*

**O**PINIO potest spectari vel secundùm se, vel relativè ad scientiam; hinc duplex nascitur quæstio; prima, quid sit opinio, & quotuplex: secunda; an actus opinionis stare simul possit cum actu scientiæ in eodem intellectu.

§. I. *Quid sit opinio.*

1. **O**PINIONIS multiplex est, & varius significatus, sumitur 1. pro qualibet cognitione, etiam demonstrativa, quo sensu sumit Aristoteles 2. prior. c. 24. & 3. Metaph. tex. 4. ubi cognitionem primorum principiorum vocat communem opinionem: 2. pro cognitione obscura, quæ sub se fidem divinam, opinionem propriè, & fidem humanam complectitur: 3. strictissimè pro cognitione, quæ adjunctam habet formidinem.

1. Opinio strictius accepta, definitur, dispositio, seu qualitas inclinans ad assensum probabilem cum formidine radicali partis oppositæ, sive ex motivo probabili, sive ex terminis. Dicitur 1. dispositio, non virtus intellectûs, quia potest ipsi subesse falsum: 2. inclinans ad assensum, ut distinguatur à dubitatione, quâ intellectus suspensus hæret inter utramque partem contradictionis, vel quia motiva ex æquo ad affirmativam, & negativam partem inclinant: vel quia nulla ex parte proferuntur argumenta, quæ ad vnam potiùs partem, quàm ad alteram inclinent; deinde à suspitione, quæ inclinat quidem ad vnam potiùs partem, quàm ad alteram, sed ob levem duntaxat conjecturam: itaque dubitatio, & suspicio differunt ab opinione, quòd opinio plenè inclinè, determinètque ad alteram ex partibus oppositis; dubitatio autem suspensum animum relinquit, suspicio leviter inclinè. Denique à scrupulo, qui est levis quædam suspicio ex levibus rationibus orta, ideòque à suspitione differt secundùm magis, & minus: 3. cum formidine radicali, quia qui opinatur, ex motivo

probabili iudicat ; at omne probabile potest secum pati formidinem , an verum sit id , cui assentitur ; probabili enim potest subesse falsum : 4. ex motivo probabili , vt opinio mediata distinguatur à scientia , quæ ex motivo necessario ; ab errore , qui ex falso ; à fide , quæ autoritate dicentis nititur , quia quisquis opinatur , ex motivo tantum probabili iudicat : vel ex terminis , si sit opinio immediata , quæ ab intelligentia distinguitur , quòd hæc sit circa necessaria , illa circa contingentia ; hinc

I I I. Prima partitio opinionis in immediatam , & mediatam , quarum meminit Aristoteles 1. poster. tex. 44. Immediata est acceptio propositionis immediatæ , non necessariæ , seu cui intellectus assentitur , non per medium , & rationem probabilem , sed auditis statim , vel expositis terminis , vt *omnis mater diligit filium*. Mediata est , quæ habetur per medium probabile , ex quo deducitur , itaut medium sit probabile , vel si necessarium sit , conclusio ex eo probabiliter , non necessariò eliciatur. Vt enim in necessariis dantur propositiones immediatæ , in quas resolvuntur propositiones mediatæ , ne fiat processus in infinitum : ita in probabilibus dantur propositiones immediatæ , non necessariæ , adeoque contingentes , quæ propositionibus immediatis necessariis respondent , sicut mediatæ necessariis conclusionibus scientiarum.

I V. Vtraque opinio distinguitur specie , quia immediata assentitur ex notitia terminorum , & respondet intelligentiæ ; mediata autem ex medio , & ita respondet scientiæ ; hinc opinio est , genus est ad opinionem immediatam , & mediatam.

V. Rursus opinio dividitur in veram , & falsam. Per illam res iudicatur ita se habere , vt reverà se

habet ; per hanc res judicatur aliter se habere , quàm se habeat. Item ex objecto , in speculativam , quæ est de objecto speculabili , & practicam , quæ est de objecto operabili. Denique in eam , quæ est objecti necessarii , quod non apprehenditur vt tale , & objecti contingentis , quod possit aliter se habere.

v r. Formido duplex , altera radicalis , seu objectiva ; altera actualis , seu formalis : radicalis est possibilitas formidinis actualis , fundata in imbecillitate motivi probabilis ; talis enim est assensus conclusionis probabilis ex parte objecti aut mediæ , vt non repugnet ei subesse falsum. Actualis est vacillatio , seu fluctuatio intellectûs , supra imbecillitatem motivi probabilis se reflectentis ; hinc duplex incertitudo , prima positiva , & exclusiva certitudinis , quâ intellectus iudicat actum posse aliter se habere , quàm iudicat , ex advertentia actuali supra imbecillitatem motivi : secunda præcisiva , per quam intellectus nec actu est certus , nec incertus , ideòque non tollit certitudinem , quam aliunde intellectus habeat.

v i i. Actualis formido non est de essentia opinionis , nec proprietas ab ea necessariò fluens. Probatur i. ex Aristotele 7. Ethic. c. 3. *Si vera , inquit , opinio , & non scientia sit , ex qua continenter agant homines , nihil ad rationem refert , cum nonnulli ex iis , qui opinantur , non ambigant , sed certò se scire existiment.* Ergo ex Aristotele nonnulli opinantes sunt sine formidine actuali. Quid quod monet Aristoteles opinionibus prudentum , vt demonstrationibus assentiendum ? rationem reddit sub finem capitis , *quia jam experientiâ visum habent , & principia ipsa cernunt.*

2. Sæpè abest formido actualis ab opinione: ergo formido actualis non est de essentia opinionis, nec ejus proprietas. Probat<sup>ur</sup> antecedens: actualis formido oritur ex reflexione supra motivi imbecillitatem, quâ detectâ, opinans subdubitare incipit, hæretque suspensus, cui parti assentiatur: at non opus est ad opinionem, ut opinans supra imbecillitatem motivi se reflectat, & quasi recurrat, sed satis est, quod ex motivo probabili judicet rem ita se habere; hinc multum differunt hæc tria: judicare ex motivo, ut necessario: judicare ex motivo, ut contingenti, & imbecilli: judicare ex motivo imbecilli, præscindendo à cognitione ejusdem imbecillitatis; primum, & secundum ad opinionem non requiruntur, quia tertium sufficit, à quo abest formido actualis.

VIII. Formido radicalis est saltem proprietas quarto modo opinionis, quia cum motivum probabile imbecillum ex principiis intrinsicis, & svapte naturâ sit, rationem dubitandi fundare potest. Opinamur tamen sæpius citra formidinem, & vacillationem actualem, vel quia non advertimus ad motiva, quæ dubitationem afferre aliquam possunt: vel quia jam inde à teneris ea opinione imbuti sumus: vel quia recordamur nos rei, qua de agitur, scientiam aliàs habuisse: vel denique ex affectu voluntatis, quæ pro imperio politico, quod in intellectum habet, ipsum à consideratione rationum contrariarum, & imbecillitatis motivi avocet, ut sæpè in scientiis actuosis obvenit. Porro opinio, à qua abest formido radicalis, dicitur imperfecta: quæ autem cum formidine actuali conjuncta, perfecta nuncupatur.

IX. Opinio non tantum est circa res contingen-

tes, sed etiam circa res necessarias. Ita Aristoteles lib. 3. Ethic. c. 2. ἡ δόξα δοκεῖ περὶ πάντα εἶναι, καὶ εἶναι ἢ πρὸς τὰ αἰδία, καὶ τὰ ἀδύνατα, ἢ τὰ ἐφ' ἡμῶν: opinio videtur circa omnia versari, & non minus circa aeterna, & impossibilia, quàm circa ea, qua in nobis sunt. Tribus modis id contingit, 1. si res contingens per medium contingens noscitur, vt regis adventus per apparatus regis domus: 2. si res necessaria per medium contingens noscitur, vt existentia Dei ex consensu populorum: 3. si res necessaria per medium quidem necessarium attingitur, sed cuius causa non penetretur, vt si cognoscas mundum ex Deo, non penetrando altius connexionem inter existentiam mundi, & existentiam Dei.

### §. II. *Quid sit fides.*

**F**IDES est assensus datus alicui rei ob solam auctoritatem extrinsecam dicentis; hæc est duplex, naturalis, & supernaturalis. Naturalis nititur auctoritate creata hominis, vel Angeli. Supernaturalis auctoritate Dei revelantis; illa incerta, & fallibilis, quia homo, & Angelus in dictis fallere possunt quantum est ex se, & falli; hæc certa, & omnis erroris expers, quia Deus nec fallere potest, nec falli, ideòque definitur ab Augustino in Enchir. c. 9. convictio eorum, quæ non videntur. Conveniunt tamen, quòd inevidentiam habeant intrinsecam, deinde quòd ad assensum utriusque intellectus à voluntate pendeat. Ratio est, quia intellectus non convincitur ab evidentia objecti tum fidei, tum opinionis: ergo non potest ab ipso, nec ex se determinari, cum liber non sit: ergo debet deter-

minari à voluntate. Huc spectat illud Augustini tract. 26. in Ioan. *Multa potest homo facere non volens, credere autem non potest nisi volens*, & illud Bernardi lib. 5. de confid. c. 6. *Fides est voluntaria quadam, & certa prelibatio nondum propalata veritatis*: vtraque vel est immediata, cum vel Deus, vel homo loquens immediatè auditur, ipsiſſime datur assensus propter eorum autoritatem: vel mediata, cum ex propositionibus auditis, & creditis per fidem aliqua veritas infertur. Circa fidem humanam hæc pronuntiata accipe.

I. Fides humana distinguitur essentialiter ab opinione, quia diversa est vtriusque ratio assentiendi: fides enim humana habet pro ratione assentiendi: autoritatem hominis dicentis, & quidpiam affirmantis; opinio autem probabilitatem, quæ sunt diversa media.

II. Sua fidei humanæ inest certitudo, licet tanta non sit, quanta in scientia, tum quia sublata certitudine fidei humanæ, rueret omnis amicitia; non enim possum aliquem vnicè diligere, nisi certò mihi constet, me ab eo redamari; at idcirco credo me ab eo redamari, quia dicenti credo: tum quia rueret omnis ratio tradendæ disciplinæ; debet enim discipulus fidem iis adhibere, quæ traduntur à magistro, juxta illud pronuntiatum I. post. tex. 5. & I. Elench. cap. 4. *Addiscentem oportet credere*. Ratio est, quòd à magistro non omnia simul ostendi, & demonstrari possint, sed scientia rerum perfecta longo vsu, & exercitatione comparetur: ergo necessarium est, vt doctori suo aures sedulò, & assiduè discipulus præbeat, & doctrinæ illius in plurimis fidem habeat.

III. Principium certitudinis in fide istud est,



quod multi viri sapientes, nullâ inter se conventionem factâ, stituerunt, est certò credendum, utpote verum, quia intellectus ex se non habet inclinationem nisi ad verum, & mendacium ex natura sua inconstans est: ergo quod ab omnibus asseritur, id verum, & fide tenendum est; id enim sentiunt naturâ duce, quæ ex se ad falsum non ducit. Huc spectat pronunciatum D. Thomæ 1. 2. q. 5. a. 3. ad tertium: *Videtur esse naturale, quod in pluribus est; natura autem non deficit totaliter*: & alterum istud Senec. epist. 118. *Multum dare solemus presumptioni omnium hominum, & veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri.*

v. Nihil de facto credimus, nisi judicemus certò, aut probabiliter credibile.

v. Tunc res certò credi potest, cùm est evidenter credibilis; est autem evidenter credibilis, cùm ex principiis prudentiæ judicatur evidenter credibilis, quod iudicium prudens dicitur, habetque certitudinem moralem: sic evidenter credibile est esse Romam: unde qui nunquam vidit Romam, eam esse in Italia non tam credit, quàm scit certitudine, & scientia morali.

v. Quò certior est auctoritas dicentis, eò major est fidei certitudo; hinc cùm multi viri prudentes quidpiam asseverant, tum fides certior; quæ ex eorum auctoritate ducitur; hinc fides divina certissima, quia nititur auctoritate Dei revelantis, qui est ipsa veritas, ac proinde neminem fallere potest.

v. In moralibus factò magis, quàm dictò creditur: hoc pronunciatum petitur ex 10. Ethic. cap. 8. ubi docet Aristoteles opinionibus sapientum fidem esse quidem habendam; veritatem tamen in iis, quæ sub actionem cadunt, ex operibus, & vita

porissimum judicari, quia, inquit, *in operibus præcipua certitudo veritatis posita est.* Unde subjungit. *Proinde considerare oportet, quomodo ea, quæ promittunt, vel dicunt aliqui, eadem in opus redigant: & si quidem dicta consentiunt operibus, acceptanda sunt; sin vero dissentiant, verba sunt tantum putanda.*

V I I I. *Antiquissimum quodque verissimum:* Virtutem suam, & ortum habet hoc effatum à communi multorum autoritate, quæ ætate ipsâ invalescit, & confirmatur; opinionum enim vanitas paulatim evanescit; usu, & experientiâ falsitas detegitur, & quod fictum est, ferre ævum vix potest: contra verò veritas temporis ipsius decursu se prodit, & instar lucis matutinæ crescit usque ad perfectum diem. Hoc pronuntiarum valet in materia fidei divinæ contra novatores; hæresis enim novitas quædam est, utpote à vera religione defectio, quæ prior est qualibet hæresi, sicut veritas mendacio. Probat 2. veteribus autoribus, plus fidei habendum, quàm recentibus. Denique quod antiquior sententia, eò cæteris paribus probabiliorem videri, nec novam sententiam, antiquarum, & in scholis communi doctorum suffragio receptarum autoritati præferri oportere, nisi firmiora intrinseca habeat fundamenta, ut quod illi deest ab autoritate, rationum robore, & momenti suppleatur.

§. III. *An actus opinionis, aut fidei, cum actu scientiæ stare simul possit.*

R A T I O dubitandi est, quòd actus opinionis sit incertus, & actus fidei inevidens; actus verò scientiæ certus, & evidens, adeoque ratione

certitudinis opinionem, ratione inevidentiæ fidem ab eodem intellectu videatur excludere. Ad hæc, intellectus ab opinione videtur habere, vt sit infirmus ac debilis; à scientia, vt sit firmus, & sanus; at idem homo non potest esse simul firmus, & debilis, sanus, & infirmus: vt quæstio solvatur, certa ab incertis sejungenda.

Porro quatuor in hac quæstione certa sunt, r. actus scientiæ, & actus opinionis in eodem intellectu de rebus diversis simul stare possunt; non enim repugnat me scire, quòd homo sit risibilis, quia rationalis, & simul opinari Petrum currere. Id ipsum potiori jure de habitibus dici potest.

I I. Habitus scientiæ, & habitus opinionis possunt simul esse in eodem intellectu de eodem objecto, quia non pugnant nec ex parte intellectûs, nec ex parte habitûs. Non ex parte intellectûs, qui cùm sit virtualiter multiplex, potest esse principium diversorum actuum, adeoque subjectum diversarum qualitatuum, quæ per actus comparantur. Non ex parte habituum, siquidem constat experientiâ nos simul habitum scientiæ, & habitum opinionis circa idem objectum contrahere, qui intellectum juvent ad assensus tum scientificos, tum probabiles. Deinde Philosophi ad Christum conversi scientiam habitualem non amittunt, quam de Deo habebant, dum habitus fidei ipsis infunditur: ergo habitus non pugnant ex parte sui.

I I I. Actus opinionis, & scientiæ diverso tempore de eodem subjecto stare possunt. Ratio est, quia nulla est repugnantia me primâ horâ opinari cælos esse rotundos, quia Aristoteles dixit, & alterâ horâ scire, quia sunt corpora perfectissima, quibus proinde figura perfectissima debeat.

I v. Actus opinionis, & habitus scientiæ possunt simul stare in eodem intellectu de eodem objecto, & eodem tempore, & vicissim. Quid enim repugnat eundem hominem, qui habitu scientiæ instructus sit, medio probabili, quod ipsi objicitur, assentiri? Nec dicas per actum opinativum habitum scientiæ destrui; patet enim experientiâ post actum opinativum, nos conclusioni scientiæ pari facilitate assentiri: ergo id argumento est superesse habitum scientiæ, à quo illa facilitas oritur. Status itaque hujus quæstionis est, an actus opinionis, & actus scientiæ possint stare simul eodem tempore, in eodem intellectu, de eodem objecto.

I. A S S E R T I O. Actus opinionis junctus formidini actuali, non potest stare simul eodem tempore, in eodem intellectu circa idem objectum cum actu scientiæ. Probat *1.* ex Aristotele lib. 1. poster. cap. penult. τὸ δὲ αἰσθὲ δόξα, καὶ ἐπιστήμη ἐπὶ πάντως ἐστὶν: *ejusdem rei opinio, & scientia non omninò sunt, & 3. Ethic. Opinio, inquit, non est eorum, quæ scimus.*

Probat *2.* ratione: Intellectus non potest sibi persuadere contradictoria simul esse vera, quia cum certò sciat, simul esse vera non posse, utique illis simul assentiri non potest: si actus opinionis junctus actuali formidini cum actu scientiæ simul in eodem intellectu de eodem objecto stare posset, intellectus sibi persuaderet contradictoria: ergo actus opinionis junctus actuali formidini non potest simul stare cum actu scientiæ in eodem intellectu de eodem objecto. Probat *minor*, intellectus, qui judicat simul rem eandem posse aliter se habere, & non posse aliter se habere, sibi persuadet contradictoria simul esse vera: intellectus per actum

opinionis cum formidine actuali conjunctum, judicat rem posse aliter se habere; per actum scientiæ non posse aliter se habere: ergo sibi pertraheret contradictoria simul esse vera. Minor patet; quisquis enim opinatur cum formidine actuali, se reflectit supra imbecillitatem motivi, dicitque, res ita est, sed fortè potest aliter se habere; quisquis verò scit actu, ita comparatus est, saltem implicite, & virtualiter, ut judicet rem ita esse, ut non possit aliter se habere: unde actus scientiæ est modalis implicite.

Dices id fieri posse per diversos actus ex diversis motivis, quæ impediunt contradictionem. Contrà 1. licet actus sint distincti, & diversa motiva, tamen sunt dependenter ab objectis, à quibus proportionem, aut oppositionem accipiunt: ergo si in objectis est contradictio objectiva, ipsi quoque actus erunt contradictoriè oppositi, saltem mediante objecto; & ita intellectus judicaret idem simul esse, & non esse, quia judicaret rem eandem non posse aliter se habere, & posse aliter se habere. 2. contradictoria non possunt verificari de eodem, etiam per diversa media; aliter possem affirmare, & negare idem de eodem per diversa media; item credere aliquid esse verum, & falsum propter diversa motiva. 3. ex communi consensu, amor efficax, & odium efficax non possunt esse simul in eadem voluntate circa idem objectum, etiam per duos actus: ergo à pari actus scientiæ, & actus opinionis cum actuali formidine simul in eodem intellectu circa idem objectum esse non possunt. Denique veritas est proprium objectum assensûs: ergo quando apparet rem falsam esse posse, tandiu intellectus renuit assensum suum; & quidem necessariò, alias

ferretur extra objectum proprium : at ubi est formido actualis , apparet , quòd rei falsum subesse possit , quia videtur posse aliter se habere , quàm iudicetur.

**II. ASSERTIO.** Actus opinionis , seclusá formidine actuali , cum actu scientiæ simul in eodem intellectu circa idem objectum stare potest. Ita Alensis 1. parte , quæst. 79. aliique plures. Probatur 1. illi actus stare simul possunt in eodem intellectu , qui non habent formalem oppositionem : actus opinionis , seclusá formidine actuali , & actus scientiæ non habent formalem oppositionem : ergo possunt stare simul in eodem intellectu. Probatur minor : nec habent formalem oppositionem ex parte objecti , nec ex parte potentiæ , nec ex parte sui : ergo nulla ex parte habent.

Non ex parte objecti , quia in opinione radicaliter formidolosa , objectum non apparet incertum exclusivè , sed duntaxat non certum præcisivè ; dum enim ex parte scientiæ certum apparet objectivè , & dicitur , non negatur hæc certitudo ex parte opinionis , sed ab ea tantùm præscinditur , in quo nulla est repugnantia. Verbo dicam , objectum non iudicatur incertum absolutè , & simpliciter per actum opinionis , semotâ formidine actuali , sed tantùm non iudicatur certum ; at cognitio significans certitudinem absolutè , & cognitio abstrahens à certitudine non pugnant inter se. Deinde per utrumque actum objectum dicitur esse , aut negatur esse.

Non ex parte potentiæ intelligentis , quia est capax eodem tempore multorum actuum ex diversis motivis , ut patet experientiâ.

Non ex parte actuum , quia si pugnarent actus , utique pugnarent vel quantitate , vel qualitate ,

vel contrarietate ; non quantitate , quia vnus non est vniversalis , & alter particularis ; non qualitate , quia ambo sunt affirmantes vel negantes , & ita vnus actus non affirmat , quod alter negat , immo ambo affirmant rem esse , sed actus scientiæ iudicat certò rem esse , & actus opinionis dicit rem quidem esse , sed abstrahendo à certitudine. Certè motivum opinionis , dum abest formido actualis , & motivum scientiæ de eodem objecto non inclinant intellectum ad partes oppositas , vti motiva assensus , & dissensus , sed ad eandem : ergo non est cur se impediunt , sed potiùs cur se adjuvent in motione ; motivum enim opinionis verisimilitudinem parit in intellectu , non ostensâ ratione dubitandi , & formidandi , & motivum scientiæ certitudinem , quæ duo non se mutuò perimunt. Non contrarietate , quia contraria strictè sub eodem genere maximè distant : actus opinionis , & actus scientiæ non maximè distant sub genere qualitaris , quia actus scientiæ , & actus opinionis actu formidantis , aut erroris , longè magis distant ; quare ad summum sunt disparati.

Deinde ex D. Thoma , 3. parte , q. 2. a. 3. ad 2. Opinio , est dispositio ad scientiam ; at dispositio non est contraria formæ : calor v. g. in palea existens , antequam inflammetur , non est igni contrarius , immo paleam disponit ad ipsum ignem , & vnâ cum ipso manet , eumque iuvat , vt resistantiam , si quæ sit , vincat ; materiæ finem faciliùs sibi asserat , & constantiùs retineat ; hinc ex D. Thoma opinio se habet ad scientiam , quandiu non est iuncta formidini actuali , sicut minùs perfectum ad perfectius , & minùs luminosum ad majus.

Confirmatur ampliùs : Dum judico cælum esse mobile , quia est corpus naturale , non repugnat me idem affirmare , quia probabile est , quod Aristoteles dixit. Et verò solent doctores rem eandem variis argumentis tum scientificis , tum probabilibus astruere , quod fieri non deberet , si opinio esset positivè incerta ; auctis enim rationibus probabilibus , augetur incertitudo , & ita quò rationes probabiles plures essent , eò magis obessent , ne dum prædesent : nec dicas , auctis rationibus probabilibus , addi quidem incertitudinem , sed à probabilitate superari , quia id si ita est , possent ita multiplicari rationes probabiles , vt tandem omnis incertitudo tolleretur.

Dices : Licèt non sit repugnantia ex parte dicti , tamen esse ex parte modi , quia actus scientiæ dicit rem necessariò esse , actus verò opinionis rem contingenter esse , cùm vterque actus sit modalis.

Contra ; licèt actus scientiæ sit modalis implicite , id tamen ad actum opinionis saltem imperfectæ non requiritur , quia aliunde habetur illius discrimen à scientia à priori , quòd sit ex medio probabili , & non necessario , adeòque satis est ad actum opinionis , quòd sit modalis potentiâ. Ratio est , quia bonum ex integra causa , malum ex quolibet defectu.

III. ASSERTIO. Actus scientiæ cum actu fidei sive divinæ , sive humanæ , potest simul stare in eodem intellectu circa idem objectum.

Probatur 1. ex D. Paulo ad Hebr. II: *Sine fide impossibile est placere Deo : credere enim oportet accedentem ad Deum , quia est , & inquirentibus se remunerator sit* : vnde sic arguo , datur scientia de existentia Dei , & tamen Philosophus , qui demon-



strativè novit existentiam Dei , tenetur ex Paulo credere , quòd sit Deus. Ad hæc, doctores Christiani deterioris forent conditionis , quàm rudes , & imperiti , quippe qui certitudinem fidei divinæ cum certitudine scientiæ jungere non possent , & ita minùs certi forent.

Dices : Ad ea , quæ sciunt evidenter , non teneri , nisi negativè , quatenùs tenentur non discredere , aut non negare , vel credere conditionarè , & in præparatione animi , quatenùs parati sunt positivè credere , si non videant : vnde quæ à nobis de Deo demonstrantur , credibilia dicuntur per accidens , alia autem credibilia per se.

Contra 1. Pugnat autoritas D. Pauli , qui cùm existentiam Dei à munere remuneratoris præscindat , tanquam duo objecta credibilia , apertè videtur postulare fidem existentia Dei , vt præscindit ab omni munere supernaturali ; quo pacto existentia Dei cognoscitur demonstrativè à Philosopho. 2. verteretur damno fidei , scientiæ de Deo acquisitio , quia per illam actus fidei impediretur ; vix enim fieri potest , vt qui existentiam Dei v. g. aut omnipotentiam demonstrativè novit , si actum fidei circa utramque exercere velit , statim non cognoscat evidenter , vel per medium demonstrativum , quod statim se offeret , vel per experimentalem memoriam præteritæ demonstrationis. 3. meritum fidei multùm minueretur in fideli , qui novam de Deo scientiam acquireret , quia non posset amplius credere , quod sciret ; fides enim non habet meritum , vbi humana ratio præbet experimentum. 4. quis credat B. Virginem , dum pro cruce staret , non potuisse elicere actum fidei circa dolores Filii , quem patientem coram cernebat ? aut

Apostolos multa, quæ ex convictu Christi evidentiâ quâdam abstractivâ, seu experimentaliper sensus haustâ de Christo ipso, & exordio Christianæ religionis evidenter noverant, & fide jam credimus, non potuisse credere?

Probatur 2. ratione, quia actus scientiæ, & fidei non pugnant ex objecto, quia sunt de eodem: nec ex motivis assentiendi, quia motivum in scientia est causa passionis, & in fide autoritas dicentis, quæ duo non sunt contraria: nec ex modo assentiendi claro, & inevidenti: quia evidentiâ, & inevidentiâ ex diversis motivis, & per diversos actus non pugnant in eodem intellectu; evidentiâ enim scientiæ est à tali actu, & à tali motivo: ergo inevidentiâ ei opposita deberet esse à tali actu, qui scientificus dicitur; at inevidentiâ fidei est ab actu disparato, & alio motivo, nempe à motivo fidei: unde evidentiâ ex motivo scientiæ partam non negat inevidentiâ fidei, sed ab ea præscindit.

Confirmatur: Non magis pugnant actus evidens scientiæ, & actus inevidens opinionis, quàm sol, & fax in eodem aëre ad videndum idem objectum: aut si voles, perinde se habet intellectus sciens, & credens ex diversis motivis circa idem objectum, atque idem oculus, qui idem objectum perspicit clarè simul, & obscurè per specillum ex diversis speciebus, quarum vna sit magis clara, & tersa, altera magis fusca; sic enim per diversas species attingitur idem objectum.

#### §. IV. *Diluuntur objecta.*

**E**X objectis, alia pugnant actum opinionis junctum cum formidine actuali, & actum scientiæ

posse stare simul : alia opinionis actum non esse à formidine actuali separabilem , adeoque cum actu scientiæ stare nullatenus posse. Singulis ordine satisfacio.

Objicies 1. in 1. assertionem : Possunt esse in eodem intellectu duæ cognitiones ejusdem objecti , quarum vna sit distincta , & altera confusa : ergo à pari potest esse opinio juncta formidini actuali cum scientia.

Resp. nego conseq. quia scientia , & opinio actu formidans contradictoriè pugnant saltem secundum modum ; scientia enim dicit rem nullo modo posse aliter se habere , & opinio actu formidans rem posse aliter se habere , quod dici non potest de cognitione distincta , & confusa. Certè potest quis clarè videre rem eandem vno oculo , & confusè altero.

Objicies 2. Intellectus potest eidem propositioni assentiri , & dissentiri : ergo & habere scientiam simul , & opinionem actuali formidini junctam. Probatur ant. possum enim assentiri huic conclusioni , *ergo voluptas est bona* , quia sensui jucunda , & huic alteri , *ergo voluptas est mala* , quia rationi contraria.

Resp. dist. ant. Per duo judicia simplicia , nego antecedens : per duo judicia illata ex præmissis probabilibus , concedo ant. & nego conseq. Nam per simplicia judicia , & non illata , idem intellectus non potest dicere de eodem objecto , quòd sit , & non sit , quia clarè videt duo judicia contradictoria non posse simul esse vera ; at duo judicia illata ex præmissis probabilibus non pugnant contradictoriè : v. g. voluptas , vt conformis sensui , est bona ; voluptas , vt repugnans rationi , est mala , quia

totale vnius propositionis objectum , non est objectum totale alterius : ergo idem non affirmatur simul , & negatur , sed affirmatur duntaxat voluptatem vno respectu esse bonam , & altero non esse bonam. At per actum scientiæ , & actum opinionis actuali formidini junctum , res eadem iudicatur non posse aliter se habere , & posse aliter se habere.

Objicies 3. in 2. assertionem : Idem intellectus non potest simul esse certus , & incertus circa idem objectum : per actum scientiæ certus est , per actum opinionis incertus circa idem objectum : ergo idem intellectus non potest habere simul actum scientiæ , & actum opinionis.

Resp. concessâ primâ parte majoris , distinguo secundam : idem intellectus non potest esse incertus , incertitudine exclusivâ , hoc est , quæ sit formalis negatio omnis certitudinis , concedo : incertitudine præcisivâ , & radicali , nego : intellectus per actum scientiæ est certus , & per actum opinionis incertus , concessâ primâ parte minoris , distinguo secundam ad sensum majoris , incertitudine præcisivâ , & radicali , concedo : exclusivâ , quæ sit formalis negatio omnis certitudinis , nego minorem , & consequentiam. Porrò incertitudo præcisiva , seu negativa non opponitur certitudini scientiæ , sed sola incertitudo exclusiva , seu positiva , quâ expressè de opposito dubitatur.

Instabis 1. Incertitudo est privatio certitudinis : ergo non potest simul stare cum certitudine.

Resp. distinguo antecedens , est privatio certitudinis , quæ oritur ex tali actu , & tali motivo certitudinis ejusdem actûs oppositæ , concedo : certitudinis cujuslibet , nego. Vt enim tenebræ non sunt privatio cujuslibet lucis , sed solaris , quæ non pro-

hibet, & excludit lumen facis ab aëre ; ita incertitudo, quæ est in actu opinionis, non negat certitudinem, quæ oritur ab actu scientiæ, sed quæ oriretur ab actu opinionis. Ratio est, quia à certitudine scientiæ præscindit ; quod dixi de certitudine, & incertitudine, idem de evidentia, & inevidentia dicendum.

Instabis 2. Idem actus non potest esse certus, & incertus, evidens, & inevidens : ergo nec idem intellectus, &c.

Respondeo, nego consequentiam ; dispar ratio est, quia intellectus est certus, & incertus, evidens, & inevidens mediantibus actibus, & ita est subjectum vtriusque duntaxat mediatum, non immediatum. Certè idem homo potest simul esse clarè videns oculo dextero, & obscurè videns oculo sinistro, quid ita ? quia homo est duntaxat subjectum mediatum, oculi autem subjectum immediatum ; hinc ruit instantia ab aëre petita, qui non potest esse simul lucidus, & tenebrosus, quia est subjectum immediatum lucis, & tenebrarum luci oppositarum. Huc adde in eodem aëre posse esse lucem solis, & carentiam lucis, quæ oritur à face, quia lux solis, & carentia lucis, quæ oritur à face, non se excludunt, sed à se præscindunt.

Objicies 4. Frustra est motivum opinionis in intellectu, cùm adest motivum scientiæ : ergo non debet admitti. Probat<sup>r</sup>ur antecedens : motivum opinionis non movet intellectum, dum ipsi præfulget motivum scientiæ : ergo frustra<sup>r</sup> Probat<sup>r</sup>ur antecedens : movens finitum n<sup>r</sup> <sup>ere id</sup> quod movetur à movente inf<sup>r</sup> <sup>in-</sup> finitum proportio nulla : mo<sup>r</sup> <sup>est</sup> movens finitum, motivum sc<sup>r</sup>

finitum : ergo motivum opinionis non potest movere intellectum mediante actu opinativo , dum movetur ex motivo scientiæ , mediante actu scientifico. Probatur minoris prima pars , nam secunda patet : illud motivum movet infinite , quod movet intellectum motu superante quemlibet motum possibilem opinabilem : motivum scientiæ movet intellectum motu superante quemlibet motum opinabilem possibilem ; nam si adessent infinita motiva probabilia , & actus infiniti opinabiles , non tantum moverent intellectum , quantum actus scientiæ vel vnus movet : ergo &c.

Respondeo 1. Licet frustra esset actus opinionis cum actu scientiæ , malè tamen inde inferri , quod simul esse non possint ; quamvis enim natura nihil frustra agat in causis necessariis , utpote ad vnum determinata ; tamen agens liberum , utpote sui juris , potest interdum quædam frustra agere , si comparetur cum causa necessaria : & ita intellectus , licet sit potentia naturalis , & ut talis nihil frustra faciat , tamen ut subest voluntati , dicitur aliquatenus liber , potestque multa operari pro nutu voluntatis. Quamquam nec sic quidem frustra ageret , quia voluntas tunc haberet pro fine , imperium suum in intellectum ostendere.

Respondeo 2. nego motivum scientiæ esse movens infinitum , sed ad summum est movens superioris ordinis ; ut enim esset movens infinitum , deberet continere in se omnem vim movendi possibilem , at continet tantum vim movendi propriam actus scientifici : sic homo , licet superet omnes animalium species possibilem , non ideo est infinitus quia earum perfectiones non continet , quamvis eas superet , sed est superioris duntaxat ordinis.

Resp. 3. distinguo majorem 1. syllogismi, movens finitum non potest movere id quod moveretur à movente infinito, addendo vires infinito, vt infinitum est, concedo: vires proprias exerendo ad movendum in suo genere, nego: at dum actus opinativus movet cum actu scientifico, non jungitur ipsi in ratione vnius moventis scientifici, sed movet in suo genere vt actus disparatus, quod non repugnat. Itaque quamvis motivum scientiæ moveret infinitè, quod falsum, non aliter moveret, quàm in ratione motivi scientifici, nec impediret, quominus intellectus moveri posset per medium ductum ex signis probabilibus, quæ vel objecto annexa sunt, vel ipsum extrinsecè comitantur, quod præstat medium opinativum.

Instabis 1. Medium scientificum illuminat intellectum, quantum illuminari potest.

Resp. dist. In ratione scientiæ, & per medium cum objecto ex natura rei conjunctum, concedo: in ratione opinionis, & per medium ductum ex signis, nego.

Instabis 2. Ergo intellectus moveretur motu perfecto, & imperfecto, 2. motibus contrariis, quia actus opinionis, & actus scientiæ sunt contrarii.

Resp. ad 1. distinguo, sub diverso genere, concedo: sub eodem genere, nego. Ad 2. nego motus illos esse contrarios, sed ad summum sunt disparati, tenduntque ad idem, licet ex diverso motivo tendent. Vt ergo non repugnat me ad vnum eundemque terminum simul ferri tunc motu navis, tum motu proprio progressivo: ita potest mens simul ferri ad idem affirmandum, aut negandum motu vel scientifico, vel opinativo.

Instabis 3. Rotæ per virtutem infinitam incitatur,

virtus finita non potest motum novum imprimere: ergo à pari, intellectui, qui movetur per motivum evidens, motivum obscurum non potest motum imprimere.

Resp. nego paritatem; dispar ratio est, quia rota non est simul capax duorum motuum localium, quorum vnus alterum impediatur, destruaturque: at motus tardior impediret celeriores. Deinde quidni dicas in hoc aliquam esse paritatem, quòd sicut virtus finita non potest motum rotæ imprimere, quo motus à virtute infinita impressus intendatur, ita opinio non possit intendere scientiam. Denique argumentum est ex falso supponente, quia supponit scientiam movere infinitè.

Instabis 4. Non potest explicari, quam perfectionem addat motivum opinativum ad motivum scientificum.

Respondeo addere perfectionem extensivam, non intensivam; licet enim intellectus non cognoscat clariùs per motivum scientiæ, & opinionis simul, quàm per vnum scientiæ motivum, tamen per plura motiva cognoscit, adeoque cognitionem habet extensivè majorem: sic Christus non magis intensivè cognoscebat per scientiam beatificam simul & acquisitam, quàm per solam beatificam, sed perfectiùs tantùm extensivè.

Objicies 5. Quidni actus opinionis pariat formidinem actualem, quando actui scientiæ jungitur?

Respondeo, quia scientia lumine suo intellectum copiosissimè perfundit adeoque impedit, ne actus opinativus fundat ex se formidinem actualem, quam fundere ex se posset in sensu diviso scientiæ, sicut virgula, licet tenera, trahi tamen adjuncta, proximè & in sensu composito flecti non potest, quam-



vis secundum se, remotè, & in sensu diviso flecti facilè, immo & frangi possit.

Objicies 6. Non possunt esse simul assensus, & dissensus, error, & scientia actualis in eodem intellectu de eodem objecto: ergo nec actus opinionis cum actu scientiæ.

Resp. nego consequentiam, quia per assensum, & dissensum, judicamus rem non posse aliter se habere, & posse aliter se habere, esse, & non esse; per actum verò scientificum, & actum opinionis, seclusâ formidine actuali, judicamus rem tantùm esse. Deinde error, & scientia pugnant vt verum, & falsum: vterque actus scientiæ, & opinionis est verus, & verum vero non repugnat. Certè ita scientia est contraria errori, vt in nullo gradu possit esse cum actu erroris in eodem subjecto. Ratio est, quia scientia excludit ex natura sua omnem actum erroris; ita enim per actum scientiæ persuadetur intellectus de objecto, vt impossibile existimet esse aliter se habere: at vbi est eiusmodi persuasio, nullus relinquitur locus errori, aliàs idem simul esse possibile, & impossibile judicaret intellectus; & quemadmodum in Physicis non potest idem accedere, & recedere ab eodem termino, ita non potest idem intellectus assentiri perfectè eidem objecto, & dissentiri eidem.

Objicies 7. Omnis actus opinionis parit formidinem actualem: ergo non potest stare simul cum actu scientiæ. Consequentia patet ex 1. assertionem. Probatur antecedens: omnis actus opinativus est modalis: ergo omnis actus opinativus parit formidinem actualem in intellectu. Patet consequentia, quia actus modalis opinionis hunc sensum habet: *v.g. contingens est calum esse rotundum, quia Ari-*

*stoteles dixit, vel calum est rotundum, quia Aristoteles dixit, ita tamen ut possit non esse.*

Resp. negato primo antecedente, distinguo illius probationem, omnis actus opinativus est modalis, si perfectus sit, esto: si imperfectus, nego: aut iterum distinguo, omnis actus opinativus est modalis, potentiâ, concedo: actu, subdistinguo, si perfectus sit, esto: si imperfectus, nego. Duplex quippe actus opinionis, alter imperfectus, qui formidinem habet in radice, sed ad quam mens non attendit: alter perfectus, cui annexa formido actualis ex reflexione supra motivi imbecillitatem orta, primus non est modalis, nisi potentiâ, secundus est modalis actu.

Instabis 1. Omnis actus scientificus est modalis: ergo & omnis actus opinativus. Probatur antecedens: omnis sciens debet scire, quod objectum non possit aliter se habere: ergo omnis actus scientificus est modalis.

Respondeo, transeat primum antecedens, nego consequentiam; disparitas est, quod bonum sit ex integra causa, malum ex quolibet defectu: porro scientia est quid perfectum, opinio quid imperfectum: ergo ut sit scientia, debet utique habere omnia requisita ad perfectam certitudinem: ut sit autem opinio saltem imperfecta, satis est, quod sit ex motivo probabili, & non necessario, nec opus est ut ad imbecillitatem motivi attendam.

Resp. 2. dist. antecedens: omnis actus scientificus est modalis, vel implicitè, vel explicitè, concedo: semper explicitè, nego. Porro tunc actus scientificus est explicitè modalis, cum modus est prædicatum, adeoque directè, & expressè affirmatur, aut negatur. Ut sit implicitè, & virtualiter modalis, sufficit

sufficit ut ex modo tendendi in objectum, sciens judicet rem non posse aliter se habere; at in quolibet actu scientifico non affirmatur, aut negatur modus expressè; simplices enim syllogismi scientifici, licet sint virtualiter modales, quia ex modo tendendi judicamus implicitè rem non posse aliter se habere, non sunt tamen formaliter modales, quia non expressè, & distinctè modum affirmant, aut negant, sed implicitè duntaxat, & virtualiter.

Instabis 3. Idèò actus scientificus est modalis implicitè, quia debeo scire me scire: at opinans debet scire se opinari: ergo actus illius opinativus est modalis implicitè.

Resp. nego minorem: Satis enim est ut concludat opinans ex motivo non necessario, quia malum ex quolibet defectu. 2. distinguo minorem, opinans perfectè, debet scire se opinari, concedo: opinans imperfectè, nego.

Instabis 4. Opus est imperio voluntatis, ut intellectus assentiatur conclusioni probabili; non alia de causa, nisi quia mens advertit ad modum contingentiae: ergo mens opinantis semper advertit ad modum contingentiae, adeoque omnis actus opinionis est modalis.

Resp. nego minorem, sed idèò tantùm opus est imperio voluntatis, quia mens non est sufficienter determinata per motivum opinabile ad assensum; deest enim illi evidentia.

Instabis 5. Talis est opinio mediata, quoad modum, qualis est immediata: opinio immediata quælibet est modalis, quia apparet ex terminis modus contingentiae: ergo & opinio mediata.

Resp. dist. minorem: Opinio immediata est mo-

Apostolos multa, quæ ex convictu Christi evidentiâ quâdam abstractivâ, seu experimentaliter per sensus haustâ de Christo ipso, & exordio Christianæ religionis evidenter noverant, & fide jam credimus, non potuisse credere?

Probatur 2. ratione, quia actus scientiæ, & fidei non pugnant ex objecto, quia sunt de eodem: nec ex motivis assentiendi, quia motivum in scientiâ est causa passionis, & in fide autoritas dicentis, quæ duo non sunt contraria: nec ex modo assentiendi claro, & inevidenti: quia evidentia, & inevidentia ex diversis motivis, & per diversos actus non pugnant in eodem intellectu; evidentia enim scientiæ est à tali actu, & à tali motivo: ergo inevidentia ei opposita deberet esse à tali actu, qui scientificus dicitur; at inevidentia fidei est ab actu disparato, & alio motivo, nempe à motivo fidei: unde evidentiam ex motivo scientiæ partam non negat inevidentia fidei, sed ab ea præscindit.

Confirmatur: Non magis pugnant actus evidens scientiæ, & actus inevidens opinionis, quam sol, & fax in eodem aëre ad videndum idem objectum: aut si voles, perinde se habet intellectus sciens, & credens ex diversis motivis circa idem objectum, atque idem oculus, qui idem objectum perspicit clarè simul, & obscurè per specillum ex diversis speciebus, quarum vna sit magis clara, & tersa, altera magis fusca; sic enim per diversas species attingitur idem objectum.

#### §. IV. *Diluuntur objecta.*

**E**X objectis, alia pugnant actum opinionis junctum cum formidine actuali, & actum scientiæ

posse stare simul : alia opinionis actum non esse à formidine actuali separabilem , adeoque cum actu scientiæ stare nullatenus posse. Singulis ordine satisfacio.

Objicies 1. in 1. assertionem : Possunt esse in eodem intellectu duæ cognitiones ejusdem objecti , quarum vna sit distincta , & altera confusa : ergo à pari potest esse opinio juncta formidini actuali cum scientia.

Resp. nego conseq. quia scientia , & opinio actu formidans contradictoriè pugnant saltem secundum modum ; scientia enim dicit rem nullo modo posse aliter se habere , & opinio actu formidans rem posse aliter se habere , quod dici non potest de cognitione distincta , & confusa. Certè potest quis clarè videre rem eandem vno oculo , & confusè altero.

Objicies 2. Intellectus potest eidem propositioni assentiri , & dissentiri : ergo & habere scientiam simul , & opinionem actuali formidini junctam. Probat ant. possum enim assentiri huic conclusioni , *ergo voluptas est bona* , quia sensui jucunda , & huic alteri , *ergo voluptas est mala* , quia rationi contraria.

Resp. dist. ant. Per duo judicia simplicia , nego antecedens : per duo judicia illata ex præmissis probabilibus , concedo ant. & nego conseq. Nam per simplicia judicia , & non illata , idem intellectus non potest dicere de eodem objecto , quòd sit , & non sit , quia clarè videt duo judicia contradictoria non posse simul esse vera ; at duo judicia illata ex præmissis probabilibus non pugnant contradictoriè : v. g. voluptas , vt conformis sensui , est bona ; voluptas , vt repugnans rationi , est mala , quia

totale vnius propositionis objectum , non est objectum totale alterius : ergo idem non affirmatur simul , & negatur , sed affirmatur duntaxat voluptatem vno respectu esse bonam , & altero non esse bonam. At per actum scientiæ , & actum opinionis actuali formidini junctum , res eadem iudicatur non posse aliter se habere ; & posse aliter se habere.

Objicies 3. in 2. assertionem : Idem intellectus non potest simul esse certus , & incertus circa idem objectum : per actum scientiæ certus est , per actum opinionis incertus circa idem objectum : ergo idem intellectus non potest habere simul actum scientiæ , & actum opinionis.

Resp. concessâ primâ parte majoris , distinguo secundam : idem intellectus non potest esse incertus , incertitudine exclusivâ , hoc est , quæ sit formalis negatio omnis certitudinis , concedo : incertitudine præcisivâ , & radicali , nego : intellectus per actum scientiæ est certus , & per actum opinionis incertus , concessâ primâ parte minoris , distinguo secundam ad sensum majoris , incertitudine præcisivâ , & radicali , concedo ; exclusivâ , quæ sit formalis negatio omnis certitudinis , nego minorem , & consequentiam. Porrò incertitudo præcisiva , seu negativa non opponitur certitudini scientiæ , sed sola incertitudo exclusiva , seu positiva , quâ expressè de opposito dubitatur.

Instabis 1. Incertitudo est privatio certitudinis : ergo non potest simul stare cum certitudine.

Resp. distinguo antecedens , est privatio certitudinis , quæ oritur ex tali actu , & tali motivo certitudinis ejusdem actûs oppositæ , concedo : certitudinis cujuslibet , nego. Ut enim tenebræ non sunt privatio cujuslibet lucis , sed solaris , quæ non pro-

hibet, & excludit lumen facis ab aëre; ita incertitudo, quæ est in actu opinionis, non negat certitudinem, quæ oritur ab actu scientiæ, sed quæ oriretur ab actu opinionis. Ratio est, quia à certitudine scientiæ præscindit; quod dixi de certitudine, & incertitudine, idem de evidentia, & inevidentia dicendum.

Instabis 2. Idem actus non potest esse certus, & incertus, evidens, & inevidens: ergo nec idem intellectus, &c.

Respondeo, nego consequentiam; dispar ratio est, quia intellectus est certus, & incertus, evidens, & inevidens mediantibus actibus, & ita est subjectum utriusque duntaxat mediatum, non immediatum. Certè idem homo potest simul esse clarè videns oculo dextero, & obscurè videns oculo sinistro, quid ita? quia homo est duntaxat subjectum mediatum, oculi autem subjectum immediatum; hinc ruit instantia ab aëre petita, qui non potest esse simul lucidus, & tenebrosus, quia est subjectum immediatum lucis, & tenebrarum luci oppositarum. Huc adde in eodem aëre posse esse lucem solis, & carentiam lucis, quæ oritur à face, quia lux solis, & carentia lucis, quæ oritur à face, non se excludunt, sed à se præscindunt.

Objicies 4. Frustra est motivum opinionis in intellectu, cum adest motivum scientiæ: ergo non debet admitti. Probaturs antecedens: motivum opinionis non movet intellectum, dum ipsi præfulget motivum scientiæ: ergo frustra est. Probaturs antecedens: movens finitum non potest movere id quod movetur à movente infinito, quia finiti ad infinitum proportio nulla: motivum opinionis est movens finitum, motivum scientiæ est movens in-

finitum : ergo motivum opinionis non potest movere intellectum mediante actu opinativo , dum movetur ex motivo scientiæ , mediante actu scientifico. Probatur minoris prima pars , nam secunda patet : illud motivum movet infinitè , quod movet intellectum motu superante quemlibet motum possibilem opinabilem : motivum scientiæ movet intellectum motu superante quemlibet motum opinabilem possibilem ; nam si adessent infinita motiva probabilia , & actus infiniti opinabiles , non tantùm moverent intellectum , quantum actus scientiæ vel vnus movet : ergo &c.

Respondeo 1. Licèt frustra esset actus opinionis cum actu scientiæ , malè tamen inde inferri , quòd simul esse non possint ; quamvis enim natura nihil frustra agat in causis necessariis , vtpote ad vnum determinata ; tamen agens liberum , vtpote sui juris , potest interdum quædam frustra agere , si comparatur cum causa necessaria : & ita intellectus , licèt sit potentia naturalis , & vt talis nihil frustra faciat , tamen vt subest voluntati , dicitur aliquatenùs liber , potèstque multa operari pro nutu voluntatis. Quanquam nec sic quidem frustra ageret , quia voluntas tunc haberet pro fine , imperium suum in intellectum ostendere.

Respondeo 2. nego motivum scientiæ esse movens infinitum , sed ad summum est movens superioris ordinis ; vt enim esset movens infinitum , deberet continere in se omnem vim movendi possibilem ; at continet tantùm vim movendi propriam actûs scientifici : sic homo , licèt superet omnes animalium species posibles , non idè est infinitus quia earum perfectiones non continet , quamvis eas superet , sed est superioris duntaxat ordinis.



Resp. 3. distinguo majorem 1. syllogismi , movens finitum non potest movere id quod moveretur à movente infinito , addendo vires infinito , vt infinitum est , concedo : vires proprias exerendo ad movendum in suo genere , nego : at dum actus opinativus movet eum actu scientifico , non jungitur ipsi in ratione vnius moventis scientifici , sed movet in suo genere vt actus disparatus , quod non repugnat. Iraque quamvis motivum scientiæ moveret infinitè , quod falsum , non aliter moveret , quàm in ratione motivi scientifici , nec impediret , quominus intellectus moveri posset per medium ductum ex signis probabilibus , quæ vel objecto annexa sunt , vel ipsum extrinsecè comitantur , quod præstat medium opinativum.

Instabis 1. Medium scientificum illuminat intellectum , quantum illuminari potest.

Resp. dist. In ratione scientiæ , & per medium cum objecto ex natura rei conjunctum , concedo : in ratione opinionis , & per medium ductum ex signis , nego.

Instabis 2. Ergo intellectus moveretur motu perfecto , & imperfecto , 2. motibus contrariis , quia actus opinionis , & actus scientiæ sunt contrarii.

Resp. ad 1. distinguo , sub diverso genere , concedo : sub eodem genere , nego. Ad 2. nego motus illos esse contrarios , sed ad summum sunt disparati , tenduntque ad idem , licet ex diverso motivo tendent. Vt ergo non repugnat me ad vnum eundemque terminum simul ferri tum motu navis , tum motu proprio progressivo : ita potest mens simul ferri ad idem affirmandum , aut negandum motu vel scientifico , vel opinativo.

Instabis 3. Rotæ per virtutem infinitam incitatæ,

virtus finita non potest motum novum imprimere: ergo à pari, intellectui, qui movetur per motivum evidens, motivum obscurum non potest motum imprimere.

Resp. nego paritatem; dispar ratio est, quia rota non est simul capax duorum motuum localium, quorum vnus alterum impediatur, destruaturque: at motus tardior impediret celeriores. Deinde quidni dicas in hoc aliquam esse paritatem, quòd sicut virtus finita non potest motum rotæ imprimere, quo motus à virtute infinita impressus intendatur, ita opinio non possit intendere scientiam. Denique argumentum est ex falso supponente, quia supponit scientiam movere infinite.

Instabis 4. Non potest explicari, quam perfectionem addat motivum opinativum ad motivum scientificum.

Respondeo addere perfectionem extensivam, non intensivam; licet enim intellectus non cognoscat clarius per motivum scientiæ, & opinionis simul, quàm per vnum scientiæ motivum, tamen per plura motiva cognoscit, adeoque cognitionem habet extensivè majorem: sic Christus non magis intensivè cognoscebat per scientiam beatificam simul & acquisitam, quàm per solam beatificam, sed perfectius tantum extensivè.

Objicies 5. Quidni actus opinionis pariat formidinem actualem, quando actui scientiæ jungitur?

Respondeo, quia scientia lumine suo intellectum copiosissimè perfundit adeoque impedit, ne actus opinativus fundat ex se formidinem actualem, quam fundere ex se posset in sensu diviso scientiæ, sicut virgula, licet tenera, trahi tamen adjuncta, proximè & in sensu composito flecti non potest, quam-

vis secundùm se , remotè , & in sensu diviso flecti facilè , immo & frangi possit.

Objiciès 6. Non possunt esse simul assensus , & dissensus , error , & scientia actualis in eodem intellectu de eodem objecto : ergo nec actus opinionis cum actu scientiæ.

Resp. nego consequentiam , quia per assensum , & dissensum , judicamus rem non posse aliter se habere , & posse aliter se habere , esse , & non esse ; per actum verò scientificum , & actum opinionis , seclusâ formidine actuali , judicamus rem tantùm esse. Deinde error , & scientia pugnant vt verum , & falsum : vterque actus scientiæ , & opinionis est verus , & verum vero non repugnat. Certè ita scientia est contraria errori , vt in nullo gradu possit esse cum actu erroris in eodem subjecto. Ratio est , quia scientia excludit ex natura sua omnem actum erroris ; ita enim per actum scientiæ persuadetur intellectus de objecto , vt impossibile existimet esse aliter se habere : at vbi est eiusmodi persuasio , nullus relinquitur locus errori , aliàs idem simul esse possibile , & impossibile judicaret intellectus ; & quemadmodum in Physicis non potest idem accedere , & recedere ab eodem termino , ita non potest idem intellectus assentiri perfectè eidem objecto , & dissentiri eidem.

Objiciès 7. Omnis actus opinionis parit formidinem actualem : ergo non potest stare simul cum actu scientiæ. Consequentia patet ex 1. assertionem. Probatur antecedens : omnis actus opinativus est modalis : ergo omnis actus opinativus parit formidinem actualem in intellectu. Patet consequentia , quia actus modalis opinionis hunc sensum habet : *v.g. contingens est calum esse rotundum , quia Ari-*

*stoteles dixit, vel calum est rotundum, quia Aristoteles dixit, ita tamen ut possit non esse.*

Resp. negato primo antecedente, distinguo illius probationem, omnis actus opinativus est modalis, si perfectus sit, esto: si imperfectus, nego: aut iterum distinguo, omnis actus opinativus est modalis, potentiâ, concedo: actu, subdistinguo, si perfectus sit, esto: si imperfectus, nego. Duplex quippe actus opinionis, alter imperfectus, qui formidinem habet in radice, sed ad quam mens non attendit: alter perfectus, cui annexa formido actualis ex reflexione supra motivi imbecillitatem orta, primus non est modalis, nisi potentiâ, secundus est modalis actu.

Instabis 1. Omnis actus scientificus est modalis: ergo & omnis actus opinativus. Probaturs antecedens: omnis sciens debet scire, quod objectum non possit aliter se habere: ergo omnis actus scientificus est modalis.

Respondeo, transeat primum antecedens, nego consequentiam; disparitas est, quod bonum sit ex integra causa, malum ex quolibet defectu: porro scientia est quid perfectum, opinio quid imperfectum: ergo ut sit scientia, debet utriusque habere omnia requisita ad perfectam certitudinem: ut sit autem opinio saltem imperfecta, satis est, quod sit ex motivo probabili, & non necessario, nec opus est ut ad imbecillitatem motivi attendam.

Resp. 2. dist. antecedens: omnis actus scientificus est modalis, vel implicite, vel explicitè, concedo: semper explicitè, nego. Porro tunc actus scientificus est explicitè modalis, cum modus est prædicatum, adeoque directè, & expressè affirmatur; aut negatur. Ut sit implicite, & virtualiter modalis, sufficit

sufficit vt ex modo tendendi in objectum, sciens iudicet rem non posse aliter se habere; at in quolibet actu scientifico non affirmatur, aut negatur modus expressè; simplices enim syllogismi scientifici, licèt sint virtualiter modales, quia ex modo tendendi iudicamus implicitè rem non posse aliter se habere, non sunt tamen formaliter modales, quia non expressè, & distinctè modum affirmant, aut negant, sed implicitè duntaxat, & virtualiter.

Instabis 3. Idèd actus scientificus est modalis implicitè, quia debeo scire me scire: at opinans debet scire se opinari: ergo actus illius opinativus est modalis implicitè.

Resp. nego minorem: Satis enim est vt concludat opinans ex motivo non necessario, quia malum ex quolibet defectu. 2. distinguo minorem, opinans perfectè, debet scire se opinari, concedo: opinans imperfectè, nego.

Instabis 4. Opus est imperio voluntatis, vt intellectus assentiatur conclusioni probabili; non alia de causa, nisi quia mens advertit ad modum contingentia: ergo mens opinantis semper advertit ad modum contingentia, adeoque omnis actus opinionis est modalis.

Resp. nego minorem, sed idèd tantum opus est imperio voluntatis, quia mens non est sufficienter determinata per motivum opinabile ad assensum; deest enim illi evidentia.

Instabis 5. Talis est opinio mediata, quoad modum, qualis est immediata: opinio immediata quolibet est modalis, quia apparet ex terminis modus contingentia: ergo & opinio mediata.

Resp. dist. minorem: Opinio immediata est mo-

alis, respectu opinantis, qui attendit ad modum contingentiae, & terminos reflexè penetrat, esto: qui non attendit, nec se reflectit, & terminos non penetrat, nego; ut enim datur opinio mediata duplex, perfecta, & imperfecta: ita duplex est immediata, altera perfecta, imperfecta altera; prima est modalis, non secunda.

Objicies 7. Voluntas non potest ferri in bonum praesens plenè possessum per motum desiderii, sed tantùm in bonum absens: ergo nec intellectus potest ferri per actum opinionis in objectum clarè cognitum per scientiam.

Ratio disparitatis est, quia voluntas fertur in objectum realiter possidendum, quod semel tantùm possideri potest; intellectus autem fertur in objectum intentionaliter possidendum, quo pacto potest à nobis multoties possideri.

Objicies 8. Contra ultimam assertionem, intellectus idem non potest cognoscere idem objectum intuitivè simul, & abstractivè: ergo non potest idem objectum cognoscere simul per actum scientiae, & actum fidei.

Resp. distinguo antecedens, per eandem speciem, esto; per diversas species, nego: sic multi Theologi censent, dum beatus videt Deum intuitivè, & ejus bonitatem, posse simul credere ejusdem bonitatem, quia Deus se esse bonum dixit.

Instabis: Ergo fides divina perseverare posset cum visione intuitiva: distinguo, absolutè, concedo: congruenter ad statum beatitudinis, nego. Licet enim fides non pugnet entitativè cum visione intuitiva, pugnat tamen moraliter, quia actus inevidens, & habitus, à quo oritur, dedecent sta-

tum luminosissimæ cognitionis.

Objicies 9. Fides est obscura: ergo cum scientia evidente ejusdem objecti in eodem intellectu componi non potest, quia evidentia, & obscuritas sunt prædicata opposita.

Resp. nego consequentiam; ad probationem, distinguo, evidentia, & obscuritas sunt prædicata opposita, respectu ejusdem actûs, concedo: respectu diversorum, nego.

Objicies 10. Omnis actus fidei debet esse liber: actus fidei, cum adest evidentia objecti ejusdem per scientiam, non esset liber: ergo non posset stare cum actu scientiæ. Minor probatur, quia cum adest evidentia objecti, nullus relinquitur dubitationi locus, adeoque actus intellectûs non potest esse ampliùs liber, quia nihil est, quod intellectum ab assensu retrahat.

Respondeo 1. ex multis posse actum fidei exerceri, quamvis liber non sit, ut si Deus aliquem ad credendum prædeterminaret. Resp. 2. ad libertatem actûs fidei sufficere, quod motivum, quo nititur, & movetur intellectus ad assensum, formidini locum relinquat ex se, licet per accidens præcludatur à motivo actus scientiæ ejusdem objecti, cum quo in intellectu componitur.

Objicies 11. Fides ex D. Paulo, est argumentum rerum non apparentium, 2. ex SS. Patribus, quæ videntur, credi non possunt; Augustinus enim ait tract. 40. in Ioan. *Quid est enim fides, nisi credere, quod non vides?* tract. 68. *Fides, quod non videt, credit; nam si videt, non est fides.* Chrysostomus hom. 21. in epist. ad Hebr. *Si fides est argumentum eorum, quæ non videntur, quid est, quod vultis ea videre, ut excidatis à fide?*

Respondeo ad hæc, & alia SS. PP. testimonia, dist. fides est argumentum non apparentium, per motivum, cui ipsa innitur, concedo; nam illud motivum est autoritas revelantis, quæ rem clarè non manifestat: per motivum scientiæ, nego; quod enim non apparet ex motivo fidei, potest ex motivo scientiæ apparere. Deinde SS. PP. non negant fidem de eodem objecto simul & scientiam haberi posse, sed negant duntaxat esse tantam meriti, & laudis segetem, cum res per motivum scientiæ apparet, quanta esse solet, cum res credenda humani intellectus captum longè superat.

Instabis ex D. Gregorio, homil. 26. in Evang. Nec fides habet meritum; ubi humana ratio præbet experimentum.

Resp. distinguo, in iis, qui nolunt credere revelatis, nisi rationibus convincantur, esto: in iis, qui ad motivum fidei scientiam adiungunt, & parati sunt credere, licet scientiam non haberent, nego; hinc dixit Christus D. Thomæ, *beati, qui non viderunt*, nempe sicut tu, qui ita voluisti videre, ut aliter non esses crediturus.

Instabis 2. D. Augustinus ægrè explicat, cur dixerit Christus, *quia vidisti me Thomæ, credidisti?* quia fides est non apparentium.

Respondeo in eo fundari D. Augustini, & aliorum Patrum dubium, quod scriptura videatur asserre pro motivo fidei claram Thomæ cognitionem, quod intellectu difficile illis Patribus, qui credere strictè sumunt, id est, ex motivo Dei revelantis, non ex clara visione Christi.

Quæres, an idem numero actus possit naturaliter esse simul scientiæ, & opinionis, seclusâ formidine actuali? Respondent aliqui posse, quia non re-




pugnat naturaliter eundem actum respicere duplex objectum formale; assentimur enim conclusioni ob præmissas, quæ sunt duo motiva saltem partialia: ergo non repugnat eandem conclusionem respicere simul præmissas scientificas, & probabiles.

Respondent alii non posse, tum quia habitus non potest actum elicere, nisi sub proprio formali motivo, nec actus attingere potest aliud motivum formale, quàm motivum habitus: tum quia motiva totalia per se ordinantur ad actus distinctos: tum quia nullus actus indivisibilis potest esse certus, & incertus, sicut idem actus non potest esse simul virtutis, & vitii: tum quia dici non posset, cujus speciei esset ille habitus.

At respondent ad 1. Sicut potest mulus ex equo & asina produci, qui est diversæ speciei: ita ex motivo scientifico, & opinabili conclusionem effici posse, quæ ab utroque seorsim sumpto diversa sit.

Ad 2: aiunt motiva illa non esse totalia, respectu actûs secundùm omnes virtualitates, & formaliter sumpti, sed tantùm respectu actûs materialiter sumpti.

Ad 3. ejusmodi actum esse incertum præcisivè duntaxat, non negativè: esse certum, & incertum non per idem, sed per diversa motiva. Deinde esse tertiæ speciei innominatæ, sicut mulus est tertiæ speciei; denique se habere aliter, quàm virtus, & vitium se habeant, quia virtus, & vitium se habent ut forma, & privatio, non autem certitudo ex scientia orta, & incertitudo per opinionem parta, sed ab hac aut simili quæstione, quæ Philosophorum sunt suo abutentium otio, satius abstinere, quàm longiori earum disceptatione fastidium legentibus parere.



A D L I B R O S

E L E N C H O R V M

D I S P U T A T I O V N I C A .

*De Sophistarum fallaciis.*

Q U O D est in corporibus tumida constitutio, aut fucus vultui ex arte illitus, id ipsum est in disciplinis ac scientiis syllogismus sophisticus. Tumida constitutio opimi habitus speciem præferret, fucus nativi coloris pulchritudinem ementitur: syllogismus sophisticus virtutis syllogisticæ speciem refert, & apparentiam: vnde Philosophus sophisticam *φαινομένην σοφίαν*, *apparentem, & fucatam sapientiam* vocat, quod specie quidem sapientia esse videatur, re ipsâ sapientiæ umbra, & quædam quasi larva sit, quæ specie recti incautioribus imponit: quare magnâ cautione opus est in detegendis Sophistarum fallaciis, quos fucatos, & personatos Logicos jure dixeris.

Vt detegeret Aristoteles, hocce opus scripsit, cujus materia est syllogismus sophisticus; vno libro Græci complectuntur, Latini duobus, quorum primus artem construendi syllogismi sophistici continet; secundus ejusdem destruendi methodum tradit; hinc finis internus totius operis adæquatus est confectio, & destructio syllogismi sophistici, partialis, & inadæquatus destructio falsitatis, seu manifestatio negativa veri. Inscribuntur

hi duo libri de sophisticis Elenchis, seu de apparentibus reprehensionibus; non quòd de vna duntaxat reprehensione, seu redargutione mentio in illis fiat; de aliis enim captionibus agit etiam Aristoteles, sed quòd inter fines, quos Sophista in fallendo sibi proponit, redargutio principem locum teneat.

Multi hunc ordinem in eiusmodi opere sequuntur, vt 1. finem Sophistæ scopumque declarent, 2. fallaciarum construendarum modos omnes aperiant, 3. varias terminorum acceptiones, ex quibus fallaciæ ducuntur, explicent, vt causis cuiusque fallaciæ cognitis, ab iis cautio, & faciliior sit, & tutior.

Nos hanc disputationem in duos articulos partiemur. Primus, naturam syllogismi sophistici, & metas Sophistæ aperiet. Secundus, tum fallacias in dictione, tum fallacias extra dictionem ita enodabit, vt & locos sophisticos vna simul aperiam, & vsum edoceam, denique argumentorum solutionem subnectam.

ARTICVLVS I.

*De natura Sophistica, & eius fine.*

**D**V O hoc articulo examinanda; primum, quid sit Sophistica, & syllogismus sophisticus: secundum, qui fines, & metæ ipsius Sophistæ.

§. I. *Quid sit Sophistica, & syllogismus sophisticus.*

I. **S**OPHISTICA est sapientia quædam apprensens, *φανερών σοφία*, quia Sophista vult

videri sciens, cum re ipsâ non sit. Id enim agit vnum, vt hominibus fucâ suo illudat, & veritatis specie imponat; hinc sophistica definitur 1. Elench. c. 2. apparens sapientia, & non existens; duplex quippe genus apparentiæ, altera est eorum, quæ verè apparent, quod sunt; altera eorum, quæ apparent, quod non sunt; hinc artium aliæ verum aliquid sibi propositum habent, vt medicina in eibis salubritatem, dialectica probabilitatem: aliæ fucum, & meram apparentiam, vt Sophistica. Describitur ab aliis Sophistica, ars fucata, quæ speciem sapientiæ, & probabilitatis cum quæstu, potius quàm sapientiam, & probabilitatem propositam habet, & eam fallacibus conclusiunculis venatur.

11. Sophistica partim convenit cum dialectica, partim discrepat. Quatuor sunt capita convenientiæ: 1. suos habet locos perinde ac dialectica, vnde argumenta sua depromat: 2. in contentione versatur, vt dialectica, vnde dicitur Aristoteli *επιστημὴ λitiγiosa*, seu *contentiosa*: 3. vtriusque finis est victoria: 4. tria Sophistæ, vt dialectici officia, inventio, dispositio, & elocutio.

111. Discrepant autem 1. Ducta ex locis dialecticis argumenta ad verum, aut verissimile suadendum apta: quæ autem ex locis sophisticis depromuntur, ad fallendum accommodata. 2. dialectica bonis artibus agit, adeoque victoriam suo ac legitimo jure ambit: sophistica malis artibus utitur, nullòque jure victoriam affectat.

1v. Itaque Sophistica, mala ars cum sit, in fabricandis syllogismis vitiosis saltem inadæquatè versatur. Mali porrò syllogismi sunt vel ratione formæ, vel ratione materiæ, vel ratione vtriusque.

Ratione formæ peccat syllogismus, cum non habet legitimam formam, & videtur habere, vt

*Omnis ovis est animal:*

*Omnis lupus est animal:*

*Ergo omnis lupus est ovis.*

Hic syllogismus peccat ratione formæ, quia constat ex puris affirmativis in 2. figura. Ratione materiæ, cum propositiones vel necessariae, vel probabiles videntur, & tamen non sunt, vt

*Quidquid non amisisti, habes:*

*Centum nummos non amisisti:*

*Ergo centum nummos habes.*

Denique ex parte utriusque, cum peccat tum ratione materiæ, tum ratione formæ, vt

*Illud est corpus, quod movetur:*

*Omnis umbra movetur:*

*Ergo omnis umbra est corpus.*

Peccat hic syllogismus 1. ratione formæ, quia ex puris affirmativis nihil sequitur in 2. figura, 2. ratione materiæ, quia falsum est umbram moveri.

v. Syllogismus, qui peccat ratione formæ apparentis, aut ratione materiæ, aut utriusque, dicitur sophisticus. Ratione formæ definitur, syllogismus, qui videtur habere formam, & non habet. Ratione materiæ, syllogismus constans præmissis, quæ apparent vel necessariae, vel probabiles, nec tamen sunt. Si præmissæ apparent necessariae, dicitur syllogismus pseudographus: si probabiles, dicitur sophisticus, seu contentiosus; hinc pseudographus ex præmissis apparenter tantum necessariis, & veris concludit; sic dictus, quia descriptionem mentitur. Fit autem vel cum principia alicujus scientiæ latius sumuntur, quam debeant, vel malè intellecta, malè applicantur. Sophisticus strictè conclu-

dit ex propositionibus apparenter probabilibus , in quo distinguitur à syllogismo demonstrativo , qui ex necessariis , & evidenter certis ; à dialectico , qui ex probabilibus apud sapientes ; à pirastico , qui ex probabilibus ipsi respondententi concludit.

§. I I. *Fines , seu meta sophista.*

I. **S**OPHISTA hîc non sumitur , vt apud veteres , pro sapiente aut magistro declamandi , sed pro eo , qui aut sapientem , aut dialecticum mentitur ; brevius pro fucato , & larvato dialectico.

II. Finis sophistæ alius operantis , alius operis ; operantis duplex , primus , inanis gloria cum quæstu. Ita Aristoteles , Sophista , inquit , est , qui gloriam , ex qua quæstum facit , aucupatur ; ideoque vocat sophisticam *γεννατιστικὴ τῆς σοφίας φαινομένη* , *artem questuosam ex apparente sapientia.* Secundus , vt est *ἐπισιχὸς* , *contentiosus.* est victoria nullo jure parta , non profectus disputantium , & auditorum.

III. Finis operis est perceptio regularum sophisticè interrogandi , & respondendi. Et quia duplex officium sophistæ , alterum in interrogando , alterum in respondendo positum ; hinc

IV. Finis externus est , vt videatur impedire , & solvere interrogationes , & responsiones adversariorum , quamvis nec impediatur reipsâ , nec solvat , sed apparenter duntaxat.

V. Finis interrogantis aut argumentantis quintuplex , elenchus , falsum , paradoxum , solœcismus , & nugatio.

VI. Elenchus , Latinis reprehensio , seu redargutio est , vi argumentationis in eadem disputatio-

ne prænegati concessio, aut præconcessi negatio; hoc est, cum cogitur adversarius vi argumentationis aut negare, quod antea concesserat, aut quod prius negaverat, rursus concedere, adeoque pugnantia loqui; elenchus enim est syllogismus contradictionis: v. g. si quis factus omnem voluptatem esse bonam, deinde vi argumentorum cogatur fateri aliquam voluptatem non esse bonam.

VII. Falsum est, quod nullam habet veritatis causam, ne apparentem quidem, quod tamen respondens concedere cogitur: v. g. si quis cogatur admittere *caeste sidus esse latrabile*, quia factus est, *caeste sidus esse canem*, & *omnem canem esse latrabilem*.

VIII. Paradoxum est, quod contra communem opinionem, maximè autem sapientum, esse videtur, ad quod tamen asserendum, & probandum, disputatione, & argumentis respondens compellatur: vt ei, *cui virtus insit, nihil ad bene, beatèque vivendum deesse*.

IX. Solœcismus est vitium in contextu partium orationis contra regulas artis grammaticæ factum, vt *vir docta, homines currit*. Huc revocatur etiam barbarismus, qui à Donato definitur, vna orationis pars vitiosa in communi sermone, vt *habetur, pro ametur*.

X. Nugatio est eisdem, & ex eadem parte inutilis repetitio. Dixi, inutilis, quia aliquando idem repeti potest ad maiorem energiam, & tunc non est nugatio, sed emphasis, vt *Deus, Deus meus respice me*. Ad nugationem sophisticè deduci quis potest hoc modo: *virtus est amanda: ergo quod amandum est, amandum est; omnia enim amanda sunt amanda: aut simus idem est, quod natus simus;*

*Et iste nasus est simus : ergo iste nasus est nasus simus.*

x i. Inter fines sophistæ , præcipuus est elenchus , quia reliqui implicitam redargutionem continere videntur ; hinc ex locis sophisticis plures ad elenchum pertinent , pauci ad alios fines.

## A R T I C V L V S II.

### *De locis sophisticis.*

i. **D**V O genera locorum constituunt Sophistæ , ex quibus captiones , & fallaces conclusivunculas ducunt ; alterum , quod ex verbis , & phrasi : alterum , quod ex rebus ipsis ortum habet ; primum in dictione est , secundum extra dictionem.

ii. Loci , qui ex verbis nascuntur , sex omnino sunt , nempe æquivocatio , ambiguitas terminorum , seu amphibologia , compositio vocum , eorumdem divisio , accentus , & figura dictionis.

iii. Loci , qui rerum sunt , septem numerantur ; fallacia ex accidente , ab eo quod est secundum quid , ad id quod est simpliciter , ignoratio elenchi , ex consequenti , petitio principii , non causa pro causa , multiplex interrogatio quasi vna.

iv. Ut solvantur ejusmodi captiones , juvat i. æquivoca , & ambigua distinguere : 2. observandæ leges formæ , & regulæ consequentiæ : 3. instandum in simili materia , ut ad absurdum deducas : 4. quæ propositio contradictoria videtur , dissolvenda : 5. verborum superfluitas rescanda : 6. affectiones terminorum , de quibus parte 4. Logicæ , disp. 2. §. 1. 2. 3. & 4. apprimè sciantur : 7. cui-libet interrogationi sua responsio reponenda : 8. hæc



duo pronuntiata semper menti obversentur 1. ab una suppositione ad aliam non valet consequentia : 2. non debent esse quatuor termini in vero syllogismo. Sed ut facilior captio-  
num solutio habeatur, de singulis strictim agendum : quare fit

§. I. *Fallaciarum in dictione explicatio, & solutio.*

I. **P**RIMVS fallendi locus in dictione, petitur ab æquivocatione, quæ est unius ejusdemque nominis multiplex, & diversa significatio; duas species recenset Aristoteles lib. 2. Elench. c. 7. aper-  
tam alteram, alteram latentem: ab utraque argu-  
mentatio ducitur.

*Omnis canis latrat :*

*Aliquod caeleste sidus est canis :*

*Ergo aliquod caeleste sidus latrat.*

Solvitur hæc captio vel distinctione nominis æqui-  
voci, sic: omnis canis latrat, distinguo majorem,  
terrestris, concedo: cælestis, nego, & distinctâ  
pariter minore, negatur consequentia: vel con-  
cessis præmissis, negatur consequentia, quia syllo-  
gismus habet quatuor terminos, adeoque nullus.

Sic olim Diogenes lusit Professore, qui cum  
in schola sua duos tantum haberet auditores, in qua  
novem Musæ cum Apolline erant depictæ, οὐδὲ  
θεοῖς, dixit, *habes auditores duodecim.*

I I. Ad æquivocationem ampliatio refertur, ut

*Qui surgebat, stat :*

*Sedens surgebat :*

*Ergo sedens stat.*

III. Secundus est ab ambiguitate sententiæ, seu  
amphibologiæ, quæ est captio orta ex oratione di-

versa significante. Differt ab æquivocatione, quòd æquivocatio ex varia significatione vnius vocis; amphibologia verò ex varia significatione orationis ortum habeat. Duobus modis ab ipsa argumentum duci potest, i. cùm orationem, quæ plures sensus habet, Sophista vsurpat, vt

*Quidquid est Aristotelis, possidetur ab Aristotele.*

*Hic liber est Aristotelis:*

*Ergo hic liber possidetur ab Aristotele.*

Solvitur distinctione, quidquid est Aristotelis, vt domini, possidetur ab Aristotele, concedo: vt auctoris, nego. At hic liber est Aristotelis, vt auctoris, non vt domini; deinde mutatur suppositio: quare concessis præmissis, negari potest consequentia.

i v. 2. Cùm oratio à proprio significato, quem habet in vna propositione, ad metaphoricum in altera transfertur, vt

*Qui littus arat, eget vomere:*

*Qui operam perdit, littus arat:*

*Ergo qui operam perdit, eget vomere.*

Littus in majori sumitur propriè, in minori metaphoricè: quare sic distingui debet, qui littus arat propriè, eget vomere, concedo: qui impropiè tantùm, & tralatitiè, nego. At qui perdit operam, littus arat impropiè tantùm, & tralatitiè, ideòque consecutio nulla: deinde diversa est suppositio.

v. Huc refertur ambiguitas orationis ob constructionem, vt

*Quidquid vides, hoc vides:*

*Hoc vides lignum:*

*Ergo ligno vides.*

Nam pronomen, *hoc*, potest esse in ablativo casu, vel accusativo, & ita varium habet significatum,

quia in majori refertur ad oculum, in minori ad lignum.

v i. Tertius fallendi locus à compositione petitur, in qua fit progressus à sensu diviso vero, ad compositum falsum, vt

*Quemcumque possibile est stare, possibile est vt stet:*

*Possibile est sedentem stare:*

*Ergo possibile est, vt sedens stet.*

Vbi minor sumitur in sensu diviso, conclusio in sensu composito; solvitur distinctione sensûs divisi, in quo vera est propositio, & sensûs compositi, in quo falsa.

v i i. Quartus est à divisione, superiori contrarius; cum à sensu composito vero ad sensum divinum falsum arguitur, & ita pariuntur fallaces conclusionculæ, vt

*Quemcumque impossibile est stare, impossibile est vt stet:*

*Impossibile est sedentem stare:*

*Ergo impossibile est, vt sedens stet.*

Item,

*Petrus est Philosophus peritus, & Rhetor:*

*Ergo est peritus Rhetor.*

Solvitur quoque distinctione sensûs compositi, & divisi; facilius tamen solveris, si roges sophistam vt sua singulis substantivis adjectiva, verbis adverbialia, & voces regiminibus restituat: v. g. si roges vt verbo *stet*, adjungat adverbialia *nunc, aliàs, semper*. Item, si quæras cui nomini *peritus*, adjungat, an Philosopho, an Rhetori; alius enim sensus, & alia sententia fuerit, vocibus conjunctim sumptis, alia disjunctim.

viii. Quintus ab accentu fallacias struit, & quidem multis modis, i. cum oritur deceptio ex va-

rietate accentûs propriè dicti , putà vel gravis , vel acuti , &c. vt si quis ita argumentetur

*Qui lepores venatur , canibus indiget :*

*Oratores lepores venantur :*

*Ergo oratores canibus indigent.*

Variatur enim accentus in voce *lepores* , quia in majori , in qua pro animali sumitur , penultima corripitur , in minori , in qua venustatem dicendi significat , penultima producitur. Item,

*Qui librum edit , librum devorat :*

*Paulus librum edit :*

*Ergo Paulus librum devorat.*

In majori *edit* , sumitur pro *manducat* , & habet primam brevem , in minori verò pro *emittit in lucem* , & primam habet longam.

2. Ratione conjunctionis aut divisionis , cùm syllabæ ejusdem dictionis aut conjunctim , aut divisim sumuntur , vt

*Quidquid fit invitè , fit coactè :*

*Vinum fit in vite :*

*Ergo vinum fit coactè.*

Invitè enim conjunctim est adverbium , quod idem significat ac coactè ; disjunctim verò est dictio gemina , nempe præpositio *in* , & casus ablativus *vitis*.

3. Ratione aspirationis , quæ variatur , vt

*Cùm abeo , ab aliquo loco recedo :*

*Cùm quid possideo , illud habeo :*

*Ergo cùm aliquid habeo , ab aliquo loco recedo.*

Nam *habeo* in minori aspiratur , in majori non item , ideòque variatur significatum.

4. Ratione ironiæ , vt cùm Davus bonus vir dicitur , quòd Simo dixerit ei , *heus tu bone vir ?* cùm ironicè diceret , & pessimum intelligeret. Hæc

fallaciarum genera , cùm homonymiæ simillima sint , eadem ratione dissolvenda sunt.

1 x. Sextus , & postremus locus à figura dictionis captionem ducit ; oritur ex similitudine diversarum vocum , cùm ob similitudinem dictionis vnius cum altera , creditur cum ipsa convenire , cum qua tamen non convenit. Duplici modo committitur hæc fallacia.

1. Secundùm proprietates grammaticas , vt

*Pons est masculini generis :*

*Igitur & frons.*

2. Secundùm proprietates logicas , ad idem prædicamentum referendo , quæ ad diversa pertinent.

*Quidquid emisti , comedisti :*

*Emisti carnes crudas :*

*Ergo comedisti carnes crudas.*

Major enim accipitur pro carnibus secundùm substantiam spectatis ; in minori verò , & consequente additur cruditas , quæ est quoddam accidens substantiæ , & ita mutatur suppositio , quia fit transitus à substantia ad qualitatem.

Solvitur hæc captio 1. dicendo mutari suppositionem , 2. distinctione categoriarum , vt docet Aristoteles 2. Elench. quibus quæ ad singulas pertinent , restituuntur , denique nonnunquam adjectivum substantivo annectendo , vt in hac fallacia , *omne animale est corporeum : ergo omnis homo est corporeum , quia omnis homo est animal.* De fallaciis , quæ ex dictione oriuntur , satis : de eo genere , quod ex rebus ducitur , agamus.



§. II. *Fallaciæ extra dictionem explicantur, & solvuntur.*

I. **P**RIMA est fallacia accidentis, quæ suo furo non rarò etiam sapientes ludit, ut observat Aristoteles 1. Elench. c. 5. Tunc incurritur, cum absque discrimine aliquid tribuitur subjecto secundum se, quod convenit illi ratione accidentis, & vicissim. Porrò nomine accidentis intelligitur hic quodlibet prædicatum propositionis, quod aliquo modo diversum est à subjecto, sive genus sit, sive proprium, sive accidens commune. Octo species sub se continet hic locus, de quibus fusè Logici, & ad eum revocantur captiones ex suppositionis variatione ortæ; nonnullas recenseo.

1. Fit cum id quod convenit accidenti, tribuitur subjecto, ut

*Homo est risibilis:*

*Risibile est proprium:*

*Ergo homo est proprium.*

2. Cum tribuitur accidenti, quod convenit subjecto, ut

*Quos digitos habuisti infans, eosdem nunc habes:*

*Digitos olim parvos habuisti infans:*

*Ergo digitos nunc habes parvos.*

Hic fit transitus à substantia ad accidens, nempe ad quantitatem, quia tò quos appellat substantiam, tò parvos quantitatem.

3. Cum id quod convenit accidentaliter vniuersali materialiter sumpto, ejusdem inferioribus tribuitur, ut

*Animal est genus:*

*Homo est animal:*

*Ergo homo est genus.*

Solvitur hæc captio, 1. per distinctionem suppositionis materialis, & formalis: 2. si rogetur sophista, ut sua singulis terminis syncategoremata tribuat; statim enim vitium argumenti apparebit.

II. Secunda fallacia petitur à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter: vel à dicto simpliciter, ad dictum secundum quid, cum argumentamur ab vno ad alterum, aut vicissim, vel affirmando, vel negando. Quatuor species hujus fallaciæ. Prima, quæ ex affirmatione dicti simpliciter, infertur affirmatio dicti secundum quid, ut

*Arma restituenda sunt domino:*

*Ergo restituenda sunt domino furioso.*

Secunda, in qua ex affirmatione dicti secundum quid concluditur affirmatio dicti simpliciter, ut

*Sacrum est audiendum die festo:*

*Ergo audiendum est tempore, & loco interdicto.*

Tertia, in qua ex negatione dicti simpliciter colligitur negatio dicti secundum quid, ut

*Non licet occidere hominem:*

*Ergo non licet occidere in justo bello.*

Quarta, ex negatione dicti secundum quid infertur negationem dicti simpliciter, ut

*Non licet homini tempore quadragesime carnem comedere:*

*Ergo non licet homini carnem comedere.*

Hæc fallacia in omni disputandi genere frequentissima, ideoque monet Aristoteles diligenter videndum, an res dicatur sine limitatione, an cum limitatione, & adjectione; cum enim conclusio non debeat plus inferre, quam ex præmissis accipit, idè malè ex præmissis restrictis conclusio absoluta, & libera colligitur: 2. enthymematis ut

plurimum hæc captio concluditur.

Solvitur negatione consequentiæ, allatâ simili consequentiâ, quæ apertè falsa sit; deinde ratio reddi potest, quia nititur principiis falsis, nempe quòd non liceat à dicto simpliciter ad dictum secundum quid, aut vicissim tum affirmando, tum negando arguere.

III. Tertia fallacia, quæ ab ignoratione Elenchi petitur, est, in qua colligitur id quod apparet esse contradictorium ejus, quod assertum est, licet reverâ non sint. Breviùs, in qua propositiones sumuntur ut oppositæ, quæ non sunt oppositæ: v. g.

*Dormis diu, & non dormis noctu:*

*Ergo dormis, & non dormis.*

Solvitur concedendo totum argumentum, ne conclusione quidem exceptâ. Quòd si sophista reponat contradictoria sibi concedi, negabis, ostendésque deficere ab aliqua ex legibus contradictionis, quarum prima est, ut sit de eodem: secunda, ut sit secundum idem: tercia, ut sit ad idem: quarta, ut sit eodem tempore, & loco.

Quæres quid sit elenchus? Respondeo definiri ab Aristotele I. Elench. syllogismum conclusionis contradictoriæ, id est, cujus conclusio contradictoriè pugnet cum thesi, aut cum responsione adversarii: v. g. si ponatur hæc thesis, *omne animal sentit*; ut ritè elenchus informeretur, debet contradictoriè concludere, *ergo non omne animal sentit*: quare duo ad elenchum requiruntur; primum, ut sit syllogismus: secundum, ut illius conclusio contradictoriè pugnet cum thesi, aut cum responsione adversarii; & ita contradictio est ratio distinctivæ elenchi ab aliis syllogismis.

IV. Quarta fallacia ducitur à petitione principii,



cùm propositio probatur per se ipsam : v. g. cùm Sophista postulat sibi concedi conclusionem probandam, non iisdem omnino verbis, sed aliis idem significantibus, vt si velit probare *voluptatem esse summum bonum*, & postulet sibi concedi *jucunditatem esse summum bonum*.

Petitio principii fit multis modis, 1. cùm id quod in quæstione versatur, quæritur siue sub iisdem, siue sub diversis terminis, sed æquè obscuris aut obscurioribus, siue manente eodem statu quæstionis, siue variato; vt si loco quæstionis vniversalis, particularis quærat, vel è contra. 2. cùm loco quæstionis, de qua est controversia, aliquid de ejus opposito quæritur, siue sit oppositum relativum, siue contrarium, siue privativum, siue contradictorium: v. g. si quis neget lapidem videre, interrogabit Sophista, an lapis sit cæcus necne, & vbi responsum erit lapidem non esse cæcum, inferret lapidem videre, sicut hominem videre necesse est, qui non sit cæcus, hoc modo, *lapis, qui non est cæcus, videt: ex responsis lapis non est cæcus: ergo lapis videt*. 3. cùm interpretatio alicujus termini ambigui sumitur pro certa. 4. cùm definitio ad probandum definitum vsurpatur, quæ æquè negatur ab adversario ac ipsum definitum. 5. cùm in respondendo thesis aliunde non probata affertur pro ratione. 6. cùm sumuntur tanquam concessa, quæ non conceduntur.

Solvitur hæc fallacia negatione, & explicatione responsi, quod petenti principium datum fuit; deinde ne sinat respondens propositionem particularem cum vniversali confundere, & quæstionis statum invertere. 3. ad æquipollentiæ, & oppositionis propositionum leges diligentius respondens

advertat , nec contra eas peccari permittat : v. g. cùm quæritur an homo sit animal , quæritur etiam vtrum homo non sit animal ; qui vnum asserit , alterum constanter negare debet : at cùm disputatur , vtrum lapis sit videns aut non videns , non eodem recidit , an sit cæcus , aut non , quia potest non esse cæcus , nec videns , &c.

v. Quinta est fallacia consequentis , in qua non servantur leges bonæ consequentiæ in propositione conversa , seu in qua sumitur vt consequens , quod non est consequens , vt *omnis homo est animal : ergo omne animal est homo : mel est flavum : ergo quod flavum est , mel est* ; in vtraque argumentatione est fallacia consequentis , quia consequens non convertitur cum antecedente , sed latius patet , quam id , cuius videtur esse consequens , & ita *animal* , & *flavum* sumuntur in consequente distributivè , non in antecedente.

Hæc fallacia , cùm opposita sit loco ab antecedente , & à consequente , duobus modis committitur , 1. cùm ex consequente infertur antecedens , vt *si homo est , corpus est : ergo si corpus est , homo est* : 2. cùm ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis progressio fit , vt *si homo est , animal est ; ergo si homo non est , animal non est*. Ad hunc locum pertinent fallaciæ , in quibus à genere ad speciem affirmando descenditur , vt *doctus est ; igitur est medicus* : aut à specie fit ascensus negando , vt *non est medicus ; igitur non est doctus* : aut à causa adjuvante ad existentiam effectûs , vt *libros habet ; igitur est doctus* : aut à partitione non plenè facta ad totum concluditur , vt *Petrus , & Paulus sunt docti ; igitur omnes homines sunt docti*.

Solvitur , dicendo ex positione consequentis , non

concludi antecedens , nec ex negatione antecedentis negationem consequentis , quia antecedens , & consequens non reciprocantur , vel detecto syllogismi vitio.

v i. Sexta fallacia non causæ pro causa fit , 1. cùm assumitur ad probandum quod non est causa , quasi propria , & vera causa , vt *Musicus edificat : ergo Musicus est causa aedificii.* Non valet consequentia , quia est à sensu materiali ad formalem , & ita variatur suppositio. 2. cùm conclusionis falsitas tribuitur alicui propositioni , quasi ex ea efficiatur , ex qua tamen non efficitur , vt

*Si tempus non esset , dies non esset :*

*Si dies non esset , nox esset :*

*Si nox esset , tempus esset :*

*Ergo si tempus non esset , tempus esset.*

Solvitur hæc captio , ostensione captionis à non causa , vt causa deductæ , & negatione consequentiæ , quæ nullam vim habeat. Porro hæc captio faciliùs detegitur , dum argumentum syllogisticè concluditur , quàm cùm oratorio more latius funditur.

v i i. Septima , & vltima fallacia secundùm plures interrogationes fit , cùm multæ interrogationes quasi vna proponuntur , quibus vna responsio afferitur , quasi vna interrogatio fieret.

Tribus modis fit , 1. cùm vnum de pluribus quæritur : v. g. *homo , & equus suntne rationales ?* si respondeas esse , concludet Sophista : *ergo equus est rationalis :* sin autem neges , concludet , *ergo homo non est rationalis.*

2. Cùm plura de vno quærantur , vt *Socrates estne homo , & equus ?*

3. Cùm plura de pluribus interrogantur , vt si po-

namus Platonem esse videntem, & Socratem cæcum, Sophista interrogabit, *sint ne videntes, & cæci, Plato, & Socrates.*

Solvitur hoc captionis genus, factâ singularum quæstionum, quæ interrogatione implicantur, divisione, & responsione ad singulas datâ, aut si incuriâ id prætermissum sit, distinctione eorum, quæ confusè data sunt, & quid concesserimus, quid non, monstrando.

Hæc sunt varia captionum genera, quibus fucum veritati facere Sophistæ contendunt, & quibus nullo negotio occurre, si præcepta, quæ in singulis præscripsimus, religiosè servabis; ut tamen faciliùs tutiùsque exeas, juvat varias terminorum affectiones recolere, de quibus egimus parte 4. Logicæ, disp. 2. art. ultimo.

### FINIS LOGICÆ.

*Ad majorem Dei gloriam.*

MAG 20068 M

